15
5
395
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES
THEOLOGICO DOGMATICO CANONICO HISTORICO MORALES

Iuxta Sacram Scripturam, Canones, SS. Patres, Celebrioreſque DD. & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ & Diſciplinæ Scriptores exaratæ.

A PATRE

ANTONIO MARIA BORANGA
ORD. S. HIERONYMI
CONGREG. B. PETRI DE PISIS
S. THEOL. LECT. IUBIL. EXPROV. ET TRIBUNALIS S. INQUISITIONIS CONSULTORE.

TOMUS IV.

Complectens Tractatus de Sacramentis in genere, & in ſpecie de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia.

15
5
385

VENETIIS MDCCLXVI.

APUD SIMONEM OCCHI
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX
TRACTATUUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM

IN HOC QUARTO TOMO CONTENTORUM.

TRACTATUS
De Sacramentis in Genere.

CAPUT I.
De Sacramentis Novæ legis.

§. 1. DE *Nomine Sacramenti.* pag. 1
§. 2. *De ſigno.* 3
§. 3. *De exiſtentia Sacramenti.* 4
§. 4. *Sacramenti definitio.* 5
§. 5. *De cauſſis inſtitutionis Sacramentorum.* 6
§. 6. *De exiſtentia Sacramentorum in diverſis hominum ſtatibus.* 7
§. 7. *De Sacramentis in ſtatu legis naturæ.* 8
§. 8. *De Sacramentis legis ſcriptæ.* ibi.
§. 9. *De Sacramentis novæ legis gratiæ, ſeu Evangelicæ.* 9
§. 10. *De differentia Sacramentorum viteris, & novæ legis.* ibi.
§ 11. *De Circumciſione.* 15
§. 12. *De Sacramentorum novæ legis materia & forma.* 16
§. 13. *De verbis, quibus tamquam forma ſacramenta novæ legis perficiuntur.* 19
§. 14. *De diviſione formæ Sacramentorum.* 21
§. 15. *De unione, quæ requiritur inter materiam & formam ſacramentorum ad eorum valorem.* 23
§. 16. *De inſtitutione ſeu determinatione materiæ & formæ, num facta ſit a Chriſto Domino in omnibus ſacramentis.* ibi.
§. 17. *De mutatione, quæ fieri poteſt tum materiæ tum formæ in Sacramentis.* 25
§. 18. *De uſu materiæ, vel formæ dubiæ vel probabilis tantum in Sacramentis perficiendis.* 27
§. 19. *De repetitione formæ ſupra eamdem materiam.* 28.
§. 20. *De cauſſa efficiente Sacramentorum.* ibi.

CAPUT II.
De Miniſtro Sacramentorum novæ legis.

§. 1. *Quinam ſit miniſter Sacramentorum novæ legis.* 31
§. 2. *De intentione miniſtri.* 32
§. 3. *De qualitate intentionis neceſſaria in Miniſtro ad Sacramenta valide peragenda.* 43
§. 4. *De Fide, & Probitate requiſita in Miniſtro ad veritatem ſeu valorem Sacramenti.* 46
§. 5. *De qualitate Miniſtri quoad fidem & probitatem ad licitam Sacramentorum confectionem, & adminiſtrationem.* 47
§ 6. *De Miniſtro, qui conficit Sacramentalia in peccato mortali.* 50
§. 7. *De debito Miniſtri ſervandi diligenter accidentales ritus, ſeu cæremonias uſitatas ab Eccleſia in Sacramentis conficiendis, & adminiſtrandis.* 51
§. 8. *De reatu illius, qui ſacramenta ſimularet, ſeu ficte conficeret, aut miniſtraret.* ibi.
§. 9. *An licite ſacramentum miniſtrari poſſit indigno.* 52
§. 10. *An liceat petere vel recipere ſacramentum ab indigno Miniſtro.* 53
§. 11. *De ſubiecto Sacramentorum, & de eius diſpoſitione requiſita ad ſacramenta rite ſuſcipienda.* 55
§. 12. *De diſpoſitionibus in ſuſcipiente ſacramenta quoad eius intentionem, ſeu conſenſum.* ibi.
§. 13. *De diſpoſitionibus requiſitis in ſuſcipiente, ut licite ſacramenta recipiat cum fructu.* 58
§. 14. *An collatio gratiæ primæ fieri poſſit per Sacramenta vivorum, & ſecundæ per Sacramenta Mortuorum.* 59

CAPUT III.

§. 1. *De virtute & efficacia Sacramentorum eorumque effectibus, ac modo, quo cauſſantur.* 60
§. 2. *De primo Sacramentorum effectu, ſcilicet de Gratia.* ibi.
§. 3. *De modo, quo Sacramenta ſua cauſſalitate gratiam producunt, nempe ex opere operato.* 61
§. 4. *An qualitas cauſſalitatis Sacramentorum*

Digitized by Google

rum, quæ gratiam efficiunt, phyſica ſit, vel moralis. 62
§. 5. *De Gratia actuali, ſeu Sacramentali.* 63
§. 6. *De neceſſitate ſerii propoſiti vivendi congruenter ad finem recepti Sacramenti, ut fructuoſe Sacramentum recipiatur.* 64
§. 7. *De menſura Collationis gratiæ per Sacramenta, ideſt num Sacramenta ſemper conferant æqualem gratiam.* ibi.
§. 8. *De cauſſalitate Sacramenti in voto quoad gratias ſacramentales, ideſt num illas conferat.* 66
§. 9. *De Sacramentorum reviviſcentia.* ibi.
§. 10. *De diſpoſitione requiſita ad reviviſcentiam Sacramenti.* 68
§. 11. *De ſecundo Sacramentorum effectu, ideſt de Charactere.* 69
§. 12. *De numero Sacramentorum novæ Legis.* 70
§. 13. *De proprietatibus Sacramentorum, ideſt de eorum ordine, dignitate, & neceſſitate.* 72
§. 14. *De Sacramentorum neceſſitate, & fine eorum inſtitutionis.* 73
§. 15. *De fine, ſeu de cauſſis unde conſentaneum fuit ſacramenta inſtitui.* 74

APPENDIX

De Cæremoniis Sacramentorum, aliiſque Eccleſiæ Ritibus, ſeu de Sacramentalibus.

§. 1. *De Cæremoniis Sacramentorum.* 75
§. 2. *De iis, quæ in Ritibus ſolemnioribus ſolent adhiberi.* 77
§. 3. *De Sacramentalibus.* 80

TRACTATUS

De Baptiſmo.

§. 1. *De nomine ac definitione Baptiſmi.* 84
§. 2. *De diviſione Baptiſmi ſecundum uſum Eccleſiaſticum, & Sacramentalem.* 85
§. 3. *De tempore, quo Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum Baptiſmi.* 87
§. 4. *De differentia Baptiſmi Chriſti a Baptiſmate Ioannis.* 89
§. 5. *De tempore, quo Baptiſma Chriſti cœperit obligare.* 90
§. 6 *De materia Baptiſmi.* 91
§. 7. *De diviſione materiæ Baptiſmi.* 94
§. 8. *De modis quibus fieri poteſt ablutio in Baptiſmi collatione.* 95
§. 9. *De forma Sacramenti Baptiſmi.* 98
§. 10. *De vocibus formæ, quæ neceſſario exprimendæ ſunt ad Baptiſmi validitatem.* 101
§. 11. *De Miniſtro Sacramenti Baptiſmi.* 103
§. 12. *De ſolemni ordinario Baptiſmi Miniſtro.* 104
§. 13. *De Subiecto Baptiſmi.* 107
§. 14. *De iure baptizandi filios iudæorum, Infidelium, Hæreticorum, & Mancipiorum contra eorumdem Parentum voluntatem.* 110
§. 15. *De Monſtris quando Baptiſmi ſint ſubiectum capax.* 112
§. 16. *De filiis excommunicatorum, num baptizandi ſint.* 113
§. 17. *De Baptiſmo mortuorum, & Campanarum.* ibi.
§. 18. *De neceſſitate Baptiſmi poſt Evangelii publicationem.* 116
§. 19. *De Baptiſmi neceſſitate etiam quoad filios fidelium.* 118
§. 20. *De neceſſitate Baptiſmi præponendi aliis Sacramentis.* 119
§. 21. *De Baptiſmi dilatione.* 121
§. 21. *De Baptiſmi effectibus.* 126
§. 22. *De Charactere Baptiſmi, & de Baptiſmo non reiterando.* 129
§. 23. *De diſpoſitionibus ad ſuſcipiendum Baptiſma requiſitis.* 131
§. 24. *De loco, & tempore, quibus Baptiſma conferebatur.* 133
§. 25. *De obligationibus baptizatorum.* 136

APPENDIX

De Cæremoniis Sacramenti Baptiſmi.

§. 1. *De cæremoniis, quæ præcedebant Baptiſmum.* ibi.
§. 2. *De cæremoniis, quæ comitabantur Baptiſmum.* 137
§. 3. *De Cæremoniis, quæ ſubſequebantur Baptiſmum.* 138
§. 4. *De ſupplendis cæremoniis prætermiſſis in Baptiſmo.* 140

TRACTATUS

De Sacramento Confirmationis.

§. 1. *De notione, & variis Confirmationis nominibus.* 141
§. 2. *De vera, & propria natura Sacramenti, quam habet Confirmatio; & de iis, qui circa talem veritatem errarunt.* 142
§. 3. *De tempore, & modo, quo Chriſtus Dominus Sacramentum Confirmationis inſtituit.* 144
§. 4. *De materia remota Confirmationis.* ibi.
§. 5. *De eſſentiali ratione manus impoſitionis tamquam partialis materiæ remotæ in Confirmationis Sacramento.* 145
§. 6. *De eſſentiali ratione Chriſmatis tamquam partialis materiæ remotæ Sacramenti Confirmationis.* 146
§. 7. *De neceſſitate mixtionis olei, & Balſami, ac utriuſque Epiſcopalis benedictionis.* 148

§. 8.

§. 8. *De materia proxima Saceamenti Confirmationis.* 149
§. 9. *De Forma Sacramenti Confirmationis.* 150
§. 10. *De miniſtro Sacramenti Confirmationis.* 152
§. 11. *De adminiſtratione Confirmationis per ſimplicem Sacerdotem tamquam extraordinarium Miniſtrum.* 153
§. 12. *De ſubiecto confirmationis.* 154
§. 13. *De diſpoſitionibus requiſitis in ſuſcipiente Sacramentum Confirmationis.* 155
§. 14. *De effectibus Sacramenti Confirmationis.* 156
§. 15. *De neceſſitate Sacramenei Confirmationis.* 158

APPENDIX

De Cæremoniis Sacramenti Confirmationis.

§. 1. *De Cæremoniis Confirmationem antecedentibus.* 161
§. 2. *De Cæremoniis, quæ Confirmationem comitantur.* 163
§. 3. *De Cæremoniis ſubſequentibus Confirmationem.* 164
§. 4. *De uſu ſacri Chriſmatis in variis benedictionibus.* ibi.
§. 5. *De cæremoniis quæ reſpiciunt Chriſma.* ibi.

TRACTATUS

De SS. Euchariſtiæ Sacramento.

CAPUT I.

De Euchariſtia prout eſt Sacramentum.

§. 1. *De nomine & natura S. Euchariſtiæ.* 165
§. 2. *De Figuris Euchariſtiæ in veteri Teſtamento ac eius definitione.* 168
§. 3. *In quo conſiſtat ratio ſacramenti in Euchariſtia.* 169
§. 4. *De duplici modo, quo ſpectari poteſt Euchariſtia, in fieri ſcilicet, & in facto eſſe.* 170
§. 5. *De materia Sacramenti Euchariſtiæ.* 172
§. 6. *De mateeia remota Euchariſtiæ, quæ eſt panis, & vinum, necnon de eius quantitate, & præſentia.* 174
§. 7. *De pane azimo, & fermentato; & de pane azimo adhibendo in uſu ſacræ Euchariſtiæ.* 178
§. 8. *De vino, quod eſt altera materia pars Euchariſtiæ.* 180
§. 9. *De modica aqua vino admiſcenda pro Calicis conſecratione.* 181
§. 10. *De forma, ſeu de verbis conſecrationis huius ſacramenti.* 183
§. 11. *De ſenſu formæ Euchariſtiæ, ſeu de vera, & reali præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti in hoc ſacramento.* 186
§. 12. *De modo, & actione, quo Chriſtus Dominus fit præſens in Euchariſtia, ſeu de Tranſubſtantiatione panis, & vini in ipſius corpus, & ſanguinem.* 188
§. 13. *De quantitate corporis Chriſti in Euchariſtia.* 190
§. 14. *De iis, quæ in Euchariſtiæ ſacramento ſunt ex vi verborum, & quæ per concomitantiam.* 191
§. 15. *De communicatione idiomatum ſpecierum ſacramentalium corporis, & ſanguinis Chriſti.* 192
§. 16. *De iis, quæ ſequuntur ex converſione panis, & vini in Chriſti corpus, & ſanguinem.* 193
§. 17. *De geſtatione ſacramenti S. Euchariſtiæ in proceſſionibus, ipſius feſto, & de eius publica expoſitione.* 194
§. 18. *De effectibus S. Euchariſtiæ.* 195
§. 19. *De obicibus, qui effectus S. Euchariſtiæ impedire poſſunt.* 198
§. 20. *De Miniſtro Sacræ Euchariſtiæ.* 199
§. 21. *De ſubiecto Euchariſtiæ, idest de perſonis capacibus huius Sacramenti.* 202
§. 22. *De malis ſceleribuſque inquinatis.* ibi.
§. 23. *De pueris aliiſque uſu rationis carentibus.* 204
§. 24. *De energumenis, ſurdis, ac mutis a nativitate.* 205
§. 25. *De condemnatis extremo ſupplicio.* 206
§. 26. *De hominibus ſceleſtis, qui tempore mortis pœnitentes ſe præſeferunt.* ibi.
§. 27. *De mortuis.* 207
§. 28. *De neceſſitate communionis Euchariſticæ.* ibi.
§. 29. *De obligatione ſumendi ſacram Euchariſtiam ex neceſſitate præcepti divini, & Eccleſiaſtici.* 211
§. 30. *De tempore quo obligat divinum præceptum communionis Euchariſticæ.* 212
§. 31. *De præcepto Eccleſiaſtico ſumendi ſacram Euchariſtiam.* ibi.
§. 32. *De frequentia ſacræ Euchariſticæ communionis.* 217
§. 33. *De communione ſub utraque ſpecie.* 219
§. 34. *De diſpoſitionibus requiſitis ad ſacram communionem.* 223
§. 35. *De diſpoſitionibus corporis pro ſumenda ſacra Euchariſtia.* 227
§. 36. *De iis quæ præſtanda ſunt in ipſa communione, & poſt communionem.* 230

CAPUT II.

De Euchariſtia prout eſt Sacrificium.

§. 1. *De ſacrificio generatim.* 232
§. 2. *De iis, quæ ſpectantur in ſacrificio.* 235

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. *De nomine, & exiſtentia veri & proprie dicti Miſſæ ſacrificii.* 237
§. 4. *De eo in quo ratio miſſæ ſacrificii conſiſtit.* 241
§. 5. *De ſacrificio miſſæ ut propitiatorio, & de cauſſis ac perſonis pro quibus eſt offerendum.* 247
§. 6. *De iis pro quibus offerri poteſt miſſæ ſacrificium.* 248
§. 7. *De miſſis vulgo dictis privatæ, quæ ſine adſtantium communione peraguntur.* 251
§. 8. *De cauſſa finali ſacrificii Miſſæ.* 252
§. 9. *De effectibus ſacrificii miſſæ.* 254
§. 10. *De modo, quo operatur hoc ſacrificium, ſcilicet an ex opere operato, an ex opere operantis.* 255
§. 11. *De valore ſacrificii Miſſæ.* 256
§. 12. *De Miſſæ proprietatibus, ſcilicet de eius neceſſitate ex parte ſacerdotis celebrandi, ex parte populi conveniendi, & communicandi.* 259
§. 13. *De applicatione Miſſæ facienda a Parocho pro populo.* 260
§. 14. *De debito fidelium conveniendi ad divinum Miſſæ ſacrificium.* 263
§. 15. *De debito fidelium communicandi ſacramentaliter in Miſſa.* 264
§. 16. *De Miſſa Conventuali in Cathedralibus Eccleſiis, Collegiatis, & Conventualibus, necnon de eius applicatione pro Benefactoribus.* 265
§. 17. *De honorario, ſeu ſtipendio Miſſarum.* 266
§. 18. *De iis, quæ a Sacerdotibus in receptione honorarii ſunt obſervanda.* 268
§. 19. *De incommodis, quæ orta ſunt ex honorario pro Miſſæ celebratione,* 275
§. 20. *De fundationibus Anniverſariorum, & Miſſarum.* 277
§. 21. *De Miſſarum reductione.* 280
§. 22. *de fructu applicando a Sacerdote ei, a quo ſtipendium accepit, ac de eius ſacrificii applicatione.* 282
§. 23. *De Altari privilegiato.* 283
§. 24. *De diſpoſitionibus requiſitis in celebrante ad miſſæ celebrationem.* 285
§. 26. *De diſpoſitionibus quæ ex parte audientium Miſſam requiruntur, & quinam arcendi ſint.* 286

APPENDIX

De ritibus Miſſæ.

§. 1. *De tempore & loco, quibus liceat Miſſam celebrare.* 289
§. 2. *De quotidiana Miſſæ celebratione.* 290
§. 3. *De loco ad Miſſam celebrandam.* 293
§. 4. *De forma antiquorum Templorum, ſeu Eccleſiarum.* 296
§. 5. *De Oratoriis privatis.* 297
§. 6. *De Altaribus ad ſacrificandum.* 298
§. 7. *De Miſſæ Cæremoniis.* 302
§. 8. *De cæremoniis, quæ Miſſam præcedunt.* ibi.
§. 9. *De Veſtibus Diaconorum, Stola ſcilicet, & Dalmatica.* 304
§. 10. *De veſtibus ſacris.* 306
§. 11. *De corporalibus, aliiſque ſacris linteaminibus.* 307
a. 12. *De Cereorum uſu in Miſſæ ſacrificio.* 308
§. 13. *De Thure, ſeu incenſo.* ibi.
§. 14. *De Cæremoniis, quæ Miſſam comitantur.* 310
§. 15. *De Miſſa ipſiuſque partibus.* 411
§. 16. *De partibus omnibus Miſſæ integræ, ideſt tam Catechumenorum, quam Fidelium* 313
§. 17. *De ſecunda parte Miſſæ, quæ incipit ab Offertorio.* 316
§. 18 *De Canone, qui eſt tertia pars Miſſæ.* 317
De Agapis. 319

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

OMne ſtudium, ſolicitudo, ac œconomia Ethicæ Chriſtianæ verſatur in regulis, præceptiſque tradendis, ut ad horum normam Eccleſiæ fideles mores ſuos componendo æternæ ſalutis ſemitas percurrant. Cum hoc tamen ſine adminiculo divinæ Gratiæ perfici nequeat, ut monuit Chriſtus Dominus Ioannis cap. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*; valde appoſite doctrinæ Moralium præceptorum ſubſequitur doctrina de Sacramentis, quæ ſunt uberrimi fontes fœcundati pretioſo Chriſti ſanguine, qui ex eius latere in ſua paſſione effluxit; unde affluenter opportuna cœleſtis Gratiæ ſubſidia percipere poſſumus. Quare fortiter clamando invitat Dominus per Prophetam, ut omnes qui ſitiunt perpetuam ſpiritualis vitæ felicitatem, currant ad huiuſcemodi fontes, ubi viviſſimæ, ac exuberantes ſupernæ Gratiæ & Chriſti meritorum aquæ manant ſalientes in vitam æternam, quæ ſine auri, & argenti pretio, quaviſve alia commutatione cuique ita exhibentur, ut ad plenam ſatietatem cum vino quoque & lacte attingi valeant: *Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Venite, emite abſque ullo argento, abſque ulla commutatione vinum & lac.* Hinc alio in loco promittit idem Propheta, quod accedentes ad hoſce ſuaviſſimos Chriſti fontes ſaluberrimas aquas magna cum exultatione percipient: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. S. quoque Ioannes ad gratis ex hiſce fontibus cœleſtes ſalutis aquas attingendas ita ſolicite vocat Apocalypſis 22: *Veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*. Hæ ſunt illæ vivæ aquæ, quas nobis divina diſpenſat miſericordia in ſuis Sacramentis, ex quibus qui biberint, ſic ſaturabuntur, ut non ſitiant in æternum. Acturi igitur de tam inſigni beneficio, quod Deus in ſuis Sacramentis nobis præparavit, ut melius eximiæ utilitates, quæ ex talibus inſtrumentis ad nos derivant, deprehendantur, priuſquam ſingulorum excellentiam expendamus, eam quæ iiſdem generatim acceptis convenit, operæ pretium eſt breviter explanare.

CAPUT I.

De Sacramentis Novæ Legis.

§. I.

De nomine Sacramenti.

Quid nomen Sacramenti.

SAcramenti nomen ductum videtur a re ſacra, & ſecreta; a re ſacra, ideſt a verbo ſacrandi, utpote quod conſecrat, promovet, ſeu initiat ad res ſacras, ſeu divino cultui; a re vero ſecreta, quia arcanum continet, ſeu quid occultum. Idcirco quod Sacramentum dicitur apud Latinos, Myſterium apud Græcos appellatur.

Quomodo nomen Sacramenti ſumptum apud auctores prophanos.

Hæ autem voces Sacramenti, ac Myſterii ſunt in uſu etiam apud Scriptores prophanos, & apud ipſos quoque neſcio quid continent religionem redolens, ac maieſtatem reverentiamque ſpirans. Nam latina vox Sacramenti accipitur 1. apud eos Scriptores pro pignore, ſeu pecunia, olim ab utroque litigantium apud Pontifices depoſita, & erat veluti mulcta contra eos, qui cauſſa ceciderant in pœnam iniuſtæ litigationis; ita ut qui iudicio vicerat ſuum depoſitum recipiebat, victus vero relinquere debebat apud Pontificem, & cedebat publico ærario. Hoc autem pecuniæ ſeu pignoris depoſitum Sacramentum dicebatur, vel quia ſacro in loco aſſervabatur, vel quia mutuam illam ſponſionem violare grave erat nefas, vel quia ſacri Miniſtri illa alebantur. Ita Varro l. 4. *de lingua latina*, & Ioachimus Stephanus *de iuriſdict. veter. Græc.* cap. 4.

Secundo ſumitur pro illa obligatione, qua per iuramentum quod concipitur, ac fieri ſolet invocato ſacro quodam Numine, quis alicui ſervitutis vinculo ſe obſtringit; quæ ratio obligationis primitus in morem inducta fuit a Romanis, & peculiariter reſpectu eorum qui militari Reipublicæ ſervitio nomen ſuum dabant. Etenim antequam horum nomina militum ordini adſcriberentur, iureiurando, ſeu quodam certo religioſo ritu præſcriptis verbis concepto, ad fidelem Rei-

Digitized by Google

publicæ pro eius defenſione præſtandam operam obſtringebantur; ita ut deſerere non poterant Milites militaria Reipublicæ inſignia, ſed ea ſequi tenebantur quocumque Senatus, Populuſque Romanus, aut eorum Duces, ſeu Conſules iuſſiſſent, ac proinde nihil poterant contra Rempublicam moliri, imo neque ſurari: & huiuſmodi militum obligatio iuramento firmata dicebatur Sacramentum militare, ipſique milites *Sacramentarii* vocabantur. Livius l. 3. ac 12. Vegetius l. 2. *de re milit.* cap. 5. aliive. Poſtea ex uſu etiam Sacror. Canonum hæc Sacramenti vox retenta eſt ad omne quodcumque iuramentum, ut patet ex Decret. Gratiani 22. q. 4. cap. *Qui Sacramentum &* q. 5. cap. *Parvuli*.

Quomodo nomen Sacramenti ſumptum apud auctores ſacros.

Verum apud Auctores Sacros nomen Sacramenti peculiarem accepit ſignificationem, & hanc triplicem. Etenim Eccleſiaſtici Auctores utuntur hoc nomine ad ſignificandam rem ſacram, non quamlibet, ſed ſublimem, arcanam ſive latentem, ideſt rationem quandam Religionis nonniſi initiandis communicandam, ut nefas ſit eam aliis evulgare: & de hac ſæpenumero habetur in Scripturis Canonicis & alibi; quam rem Græci vocant Myſterium. Et in hoc ſenſu accipitur in hiſce Scripturæ locis Sap. 2. *Neſcierunt Sacramenta Dei*. Matth. 13. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Cœlorum*. Epheſior. 1. *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ*. Unde articuli omnes, ſeu capita Religionis noſtræ & fidei, generatim Sacramenta dicuntur & myſteria: ſic 1. ad Timoth. 3. Incarnatio verbi dicitur *magnum pietatis Sacramentum*. Imo extenditur etiam ad res non ſacras, quas tamen non evulgare religio eſt, ut de Secreto Regis habetur Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*.

Iuxta hanc Sacramenti ſignificationem ea eccleſiaſticæ doctrinæ capita ſive ad fidei dogmata, ſive ad Euchariſtiæ, aliorumque Myſteriorum conſecrationem, ritus, & celebrationem ſpectantia, quæ PP. primis Eccleſiæ ſæculis Gentibus celabant, ne eorum irriſioni, ſive contemptui exponerentur, Sacramenta dici conſueverunt, quæ nos uſitatius myſteria appellamus: & hanc diſciplinam arcani multo tempore in ſuis primordiis ſervavit Eccleſia, ut ait S. Auguſt. in Pſalm. 103. ſerm. 1. n. 14. *Opera enim noſtra bona vident & Pagani, Sacramenta vero occultantur illis*. Et ita alii frequenter loquuntur. Hinc deprehendimus quare olim PP. de Trinitatis myſterio, de Euchariſtiæ frequentatione, necnon de aliis chriſtianæ Religionis arcanis parce, ac tanta verborum obſcuritate locuti fuerint, ut nimirum ſacro initiati baptiſmate, commiſſa ſibi myſteria aſſequerentur, eaque profanis, ſeu infidelibus occulta remanerent. Et hoc paſſim in Patribus qui prioribus ſæculis floruere.

Verum nomen Sacramenti ſumptum in promiſcua ſignificatione cum myſterio, nempe prout dicit rem ſacram ſed obſcuram, arcanam, ac latentem, uſiratum invenimus etiam apud profanos Scriptores. Nam ab ipſis quoque arcana Religionis myſteria ſeu Sacramenta vocabantur ſacra opertanea, ſeu operta, a ſilentio ſcilicet, quo ſua ſacra obtegi & velari curabant; & myſteria apud Ethnicos erant proprie initiationes; unde initiati ab arcanorum doctrina appellabantur *Myſtæ*, & ab hiſce myſteriis arcebantur profani, cum apud illos piaculum eſſet res ſacras non initiatis aperire. Hinc invaluit in Myſteriis peragendis illa formula *Procul hinc ite profani*.

Secundo, Sacramentum & myſterium ipſum ſignificat Symbolum, ſeu ſignum rei arcanæ & occultæ; & in hoc ſenſu Apocalip. 1. dicitur Sacramentum ſeptem ſtellarum, & cap. 17. Sacramentum Mulieris, & beſtiæ, cuius in fronte ut habetur v. 5. ſcriptum erat *myſterium*, ideſt ſignum, ſeu ſignificatum ſeptem ſtellarum mulieris & beſtiæ. Ac in hoc ſenſu ait D. Auguſt. Epiſt. 138. alias 5. n. 7. Signa cum ad res divinas pertinent Sacramenta appellari.

Gentiles quoque in hoc ſenſu uſi ſunt nomine myſterii, ac Sacramenti, cum ſolerent ſua exponere ſacrilega myſteria aliquibus ſignis ſeu ſymbolis, ut habetur ex Euſebio l. 2. Præparatio. Evangel. cap. 3. ubi ait. *Hæc ſunt ſacrorum ſymbola Talus, Pilla, Throcus, Turbo, Speculum, Vellus*.

Tertio Sacramenti nomen ſignificat ſignum rei ſacræ latentis, ſed ſacrantis, ſive initiantis hominem divino cultui; in qua ſignificatione vox Græca *Myſterium* reperitur apud Dionyſium *de Eccleſia. Hierarch.* cap. 1. Et in hoc ſenſu nomen Sacramenti uſurparunt Tertullianus, Lactantius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus epiſt. 138. olim 5. ad Marcellinum, & epiſt. 98. olim 23. ad Bonifacium, & l. 15. *de Civit. Dei* cap. 26. ait: *inde Sacramenta manarunt, quibus initiantur*. Et S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. in corpore ait: *Sacramenta proprie dici illa, quæ adhibebantur a Dei cultoribus ad quamdam conſecrationem, per quam ſcilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei*.

In hac poſtrema ſignificatione, nempe pro

ſigno

ſigno rei ſacræ ſacrantis, & initiantis, ſecundum præſentem inſtitutum nomen ſumitur Sacramenti. Nam ita acceptum omnia complectitur tum veteris, tum novæ legis Sacramenta, tametſi magis proprie conveniat Sacramentis legis novæ, in qua peculiariter Sacramenta vocantur ea ſigna, quæ ſic imaginem gerunt gratiæ inviſibilis, ut ſint etiam ex Chriſti inſtitutione ipſius gratiæ cauſſa. Hæc enim ſigna non ſolum rem abditam, atque occultam ſignificant, ſed etiam continent, atque efficiunt.

Hoc nomen Sacramenti attributum noſtris ſacris ſignis practice ſanctificantibus, quod ſemper in tali uſu retentum fuit in Eccleſia, non placet Novatoribus. Obmurmurant enim, & præcipue Ulricus, Zuinglius, hoc Sacramenti nomen non inveniri in Scripturis, & qui eo utuntur peſſumdare monitum Apoſtoli 1. Timoth. 6. ubi ita admonet; *devita profanas vocum novitates*. Verum falſo calumniantur uſum huiuſce vocabuli apud Orthodoxos, cum revera nomen Sacramenti novum non ſit, utpote quod habeatur & in Scripturis, ut conſtat ex textibus ſupra iam relatis, & comprobatur ipſius uſus in Eccleſia catholica ex antiqua Patrum Traditione. Commonet autem Apoſtolus ut evitentur profanæ vocum novitates, quibus Hæretici fidem commaculant, non vocabula nova, quæ in uſu ſunt recepta ad Fidem contra emergentes hæreſes ſtabiliendam.

§. II.

De Signo.

Cum Sacramentum ſit res ſacra in genere ſigni, ut ad faciliorem intelligentiam res elucideretur, operæ prætium duxi aliquid circa naturam, & differentias finis Sacramenti definitioni præmittere. Signum definitur a S. Auguſt. initio librorum de Doctrina Chriſtiana: *res quæ ad ſignificandum aliquod adhibetur*; & melius meo videri l. 2. eiuſdem operis cap. 1. ubi ait; *ſignum eſt res, quæ præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliud aliquod ex ſe facit in cognitionem venire*. Sic viſo fumo cognoſcimus ibi ſubeſſe ignem, viſo veſtigio deprehendimus animal tranſiſſe, cuius eſt veſtigium.

Signi definitio.

Signum vero aliud eſt naturale, quod ob aliquam ſimilitudinem, aut intrinſecam relationem, quam habet cum re quam ſignificat, naturaliter ſine ulla divina, vel humana inſtitutione rem demonſtrat, ut fumus ignem, &c. Aliud arbitrarium, quod ex divina vel humana inſtitutione rem aliquam innuit; ſic hedera, vel ramus domui appenſus ſignum eſt arbitrarium; quia ex ſolo hominum uſu ſignificat ibi eſſe vinum vendibile. Et hæc alia ſunt, quæ habent analogiam ac proportionem cum re, quam ſignificant, ut productio Evæ præfiguravit Eccleſiæ inſtitutionem; & ſigna huiuſce generis ſecundum S. Auguſtin. ſunt noſtra Sacramenta. *Si enim* (ait S. D. epiſt. 23. nunc 98. n. 9. ad Bonifacium) *Sacramenta quamdam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt non haberent, omnino Sacramenta non eſſent*. Alia ſunt dumtaxat ſignificativa, ſeu ſpeculativa, ut loquuntur ſcholæ, ſicuti de ramo domui appenſo diximus; alia obſignativa, quemadmodum ſigillum regium obſignat confirmatque chirographum; alia dignitatis exhibitiva, vel muneris, ut baculus & annulus qui præbetur Epiſcopo, vel Abbati, regale Diadema ei qui in Regem inauguratur; alia rammemorativa, quæ in memoriam rem præteritam revocant, ut agnus paſchalis apud Iudæos rammemorans egreſſum ab Ægypto; alia demonſtrativa rem præſentem, ſed occultam exhibentia, ut Communio Euchariſtica animæ communicans ſpiritualem refectionem; alia prognoſtica, quæ rem futuram præſignificant, ut ingreſſus Pontificis in veteri lege, in Sancta Sanctorum præſignificans Chriſti Domini aſcenſionem in Cœlum; alia commonitoria quæ pii officii ſuſcipientem admonent, ut circumciſio carnalis Iudæos admonebat, deſideria carnis eſſe reſcindenda: alia tandem ſunt ſigna practica, & efficacia, qualia contendunt Theologi Orthodoxi eſſe Sacramenta contra Novatores, qui non minus erronee, quam pertinaciter ſuſtinent, omne Sacramentum ſive novæ, ſive veteris legis eſſe ſignum rammemorativum divinæ promiſſionis, quam non ſolum in memoriam revocat, ſed etiam confirmat: unde ſecundum eos Sacramenta dicenda ſunt ſigilla potius & pignora, quam ſigna practica, cum in eorum ſententia ſola fides iuſtificet.

Signum multiplex.

Sacramentum eſt 1. ſignum exterius ſenſibus obiectum, cum ſit ſymbolum diſtinctionis, & religionis, ut ex S. Auguſt. l. 12. contra Fauſt. cap. 11. *In nullum enim nomen religionis ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, aut Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur*. 2. Eſt ſignum rei ſacræ, non cuiuſlibet, ſed ſacrantis, ſeu active initiantis hominem divino cultui; & in hoc diſtinguitur Sacramentum ab omni alio ſigno. 3. Eſt ſignum non naturale, ſed ex Dei inſti-

Digitized by Google

tuto, cum omnis eius vis & efficacia a libera ipſius Dei inſtituentis voluntate pendeat. 4. Eſt ſignum fixum, ac perpetuum in Religione, quod non habeat finire niſi cum ipſa Religione. Hinc ritus Circumciſionis, & Agni Paſchalis dicitur Gen. 17. Exod. 12. fœdere, & cultu ſempiterno obſervandus, ideſt durante Moyſis lege; & Euchariſtia conſignata eſt Eccleſiæ celebranda in memoriam Chriſti ut 1. Corinthior. 11. donec ipſe veniat, ideſt uſque ad mundi finem. 5. Eſt ſignum habens proportionem ſeu analogiam cum re ſignificata, ut ex S. Auguſt. epiſt. iam cit. ad Bonifacium 98. alias 23. Sic ablutio externa in baptiſmate recte internam animæ a peccatorum maculis exprimit. 6. Denique eſt ſignum practicum & efficax ſanctitatis aut exterioris, & legalis, ut in lege veteri, vel interioris in anima, ut ſunt Sacramenta legis novæ.

Verum Sacramenta non ſolum 1. ſignificant gratiam, vel futuram, ut vetera, vel præſentem, ut nova, exhibent, ac ſignant; ſed ſignant etiam paſſionem Domini, ac mortem, quæ eſt cauſſa gratiæ, vel futuram, vel præteritam, & vitam æternam, quæ eſt effectus gratiæ & ut futura præfiguratur. Et hæc tria in aliquibus Sacramentis novæ legis, v. g. in Baptiſmate, & Euchariſtia diſtincte ſignificantur; in aliis vero implicite ſaltem, & confuſe.

Itidem per Sacramenta, noſtri admonemur officii, tum erga Deum, ut memores accepti beneficii non amplius peccemus, ut *quomodo Chriſtus reſurrexit ..... ita & nos in novitate vitæ ambulemus*; ut ait Apoſt. Rom. 6. tum erga proximum, ut mutuam cum ipſo ſervemus charitatem, quia omnes fratres ſumus, & unius capitis Chriſti membra 1. Corinthior. 12. *in uno ſpiritu omnes nos, in unum corpus baptizati ſumus*.

§. III.

De exiſtentia Sacramenti.

Sacramentum eſſentialiter in genere acceptum ſignificat, ac denotat gratiam, & quamdam ſanctitatem; ſeu eſt ſignum demonſtrativum efficax & practicum gratiæ & cuiuſdam ſanctitatis, quam producit in ſuſcipiente. Et hoc conſtat tum ex Scriptura tum ex SS. PP. quorum eſt conſtans doctrina, Sacramenta ſanctificare, iuſtificare, initiare, conſecrare, ut Apoſtolus ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Actor. 8. *Imponebant manus ſuper illos & accipiebant Spiritum Sanctum*. Ita D. Paulus Hebræor. 9. Unde ex his patet, Sacramenta ſignare, ſeu eſſe ſigna alicuius ſanctitatis ſive interioris per gratiam ſanctificantem, qua anima interius renovatur & iuſta efficitur, ac ſancta, & Deo grata, ut in lege nova; ſive exterioris & legalis, nempe per conſecrationem ac initiationem divino cultui.

Tametſi contendant aliqui Theologi, Sacramentum ex ſua generica ratione eſſe ſolummodo ſignum interioris gratiæ, ipſius vero gratiæ efficientiam ſeu productionem pertinere ad ſpecificam eorum differentiam: probabilius tamen videtur, Sacramenta etiam in genere accepta ſigna eſſe practica efficacia, & productiva alicuius ſanctitatis, ſive interioris, ſi ad legem gratiæ, ideſt novam pertineant, ſive exterioris, ſi ad veterem; ita ut nullum ſit Sacramentum, quod revera aliquam ſanctitatem ex ſe non producat. Nam ſi ſacrificia, cæremoniæ legis Moſaycæ ſigna erant gratiæ dandæ in lege gratiæ, nec aliter dici poteſt non fuiſſe Sacramenta proprie dicta, niſi quia nullam ſanctitatem conferebant; ſequitur ergo, eſſentiale eſſe cuilibet Sacramento etiam in genere conſiderato, ut ſit ſignum practicum alicuius ſanctitatis.

Unde ſequitur, Sacramentum ſumptum in genere eſſe univocum Sacramentis tum novæ legis, tum veteris, cum non ſolum idem habeant nomen, ſed rationem quoque plane eamdem, eodem nomine ſignificatam. Etenim in eo conveniunt, quod utraque ſint ſigna practica ſanctitatis. Differunt vero quatenus vetera ſanctitatem nonniſi exteriorem, ac legalem conferebant, dum ſacramenta legis novæ, quæ longe nobilior eſt veteris, interiorem producunt. Ita homines, & bruta univoce in nomine animalis conveniunt; differunt autem per rationalitatem, & irrationalitatem, quæ ſunt ſpecificæ eorum differentiæ.

Nec officit paritas, quam alterius ſententiæ patroni obiiciunt ex nomine *ſani*, quod eſt analogum reſpectu coloris, pharmaci, & animalis. Nam hoc nomen hiſce convenit præciſe quod in ſingulis licet diverſimode ſanitatem ſignificat. Ex oppoſito vero nomen Sacramenti non præciſe attribuebatur Sacramentis veteris legis, quia ſanctitatem interiorem dandam per Sacramenta legis gratiæ ſignificarent, alias manna figura gratiæ per Euchariſtiam conferendæ, tranſitus maris rubri ſignum remiſſionis peccatorum

per

Digitized by Google

per baptiſmum obtinendæ, dicenda eſſent Sacramenta. Sacramenta enim legis Moſaycæ non erant Sacramenta, niſi quia directe ſanctitatem exteriorem & legalem ſignabant, ac conferebant; nam per ſe vere initiabant, conſecrabantque hæbreos ad divinum cultum, adeo ut mundi, ac ſancti a conſecratione in ſe facta denominabantur, non vero a ſignanda ſanctitate aliquando per Chriſti Sacramenta conferenda, ſicuti calor dicitur ſanus per ordinem ad ſanitatem animalis; licet cæteroquin exterior eorumdem Sacramentorum ſanctitas, ſanctitatem interiorem dandam in Eccleſia adumbraret. Idcirco Sacramenta veteris legis immediate ſigna erant ſanctitatis legalis, & exterioris, cuius erant cauſſa, mediate vero ſanctitatis interioris, prout exterior initiatio, & conſecratio quæ fiebat in lege veteri ſignum erat ſanctitatis interioris quam conſequebantur etiam Iudæi, non quidem vi ipſius exterioris ſigni, ſed vi & merito ipſorum devotionis, & perfectæ diſpoſitionis.

§. IV.

Sacramenti definitio.

Tametſi Sacramentum accurrate deffiniri nequeat ſecundum ſuum eſſe phyſicum; poteſt tamen, ſi ſecundum Theologorum morem, ſpectetur moraliter. Nam hac ratione eſt totum quoddam deſtinatum ad ſignificandam & efficiendam hominis ſanctificationem.

Definitio Sacramenti moraliter ſumpti.

Sacramentum igitur moraliter conſideratum, & generice ſumptum, & prout convenit etiam Sacramentis veteris legis; *eſt ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis permanenter a Deo inſtitutum*. Sacramentum vero novæ legis *eſt ſignum ſenſibile ſacrum permanenter a Chriſto Domino inſtitutum ad ſignificandam & producendam gratiam ex opere operato.*

Dicitur *ſignum*, quia ducit nos in cognitionem rei alterius, nempe gratiæ ſanctificantis. Signum *ſenſibile*, ideſt externum & ſenſibus ſubiectum: nam quod eſt occultum, nec ſpeciem aliquam ingerit ſenſibus, ſignum appellari nequit; cum enim homo anima & corpore conſtet, per res ſenſibiles debet pervenire ad cognitionem inviſibilium, ut ait D. Chriſoſt. homil. 83. in Matth. & D. Thom. 3. p. q. 60. art. 4. *Quia connaturale eſt homini, ut per ſenſibilia perveniat in cognitionem inviſibilium*. Item quia Sacramentum eſt Symbolum diſtinctionis & Religionis, *in qua, ſive vera ſit, ſive falſa, coagulari homines non poſſunt*, ait D. Auguſt. l. 19. *contra Fauſtum* cap. 11. *niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.*

Dicitur *ſacrum*, ideſt cuius uſus ſit actus religionis, & ad Dei cultum pertinens. Hinc lignum vitæ in ſtatu innocentiæ, tranſitus Iſraelitarum per mare rubrum, Manna, Serpens æneus, licet ſignificarent gratiam per Chriſtum conferendam; quia tamen iſta non ordinabantur ad divinum cultum, ſed uſus eorum erat mere profanus, ut mannæ ad alendum, tranſitus maris rubri ad fugiendum ab Ægyptiis &c. non erant Sacramenta.

Dicitur *permanens*; quia cum Sacramenta ſint ſymbola diſtinctionis & religionis, tamdiu durare debent, quamdiu religio. Hinc immolatio Iſaac, illapſus Spiritus Sancti in forma columbæ in Chriſti baptiſmo, & ſub linguarum ignearum figura in die Pentecoſtes, & inſufflatio Chriſti in diſcipulos Ioan. 20. & lotio pedum, non fuerunt vere Sacramenta, quia non erant ſigna permanentia.

Dicitur *a Chriſto Domino inſtitutum*; quia Sacramenta ſunt ſigna arbitraria, nec naturaliter ſignificant, ſed ex inſtituto. Advertit tamen S. Auguſt. Epiſt. 98. alias 23. Sacramenta habere aliqualem ſimilitudinem cum effectu, quem producunt; *Si enim non haberent*, ait, *omnino Sacramenta non eſſent*. Dicitur inſtitutum a Chriſto Domino; quia cum virtus Sacramentorum ſit ſpiritualium donorum effectrix, nonniſi a divina poteſtate, quæ ſola dare poteſt Sacramentis virtutem conferendi gratiam, inſtitui valent, ſive immediate, ſive mediate per Ieſum Chriſtum, qui cum homo ſimul, & Deus ſit, Sacramenta legis novæ inſtituit, & exinde Sacramenta legis novæ hoc proprium habent, ut licet Chriſtus dignatus ſit miniſtros ſuos ea conferre, nomine tamen Chriſti ſuſcipientibus ſunt miniſtranda. Sicuti Ioann. 1. *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto*. Quare cum Chriſtus non inſtituerit Tonſuram Clericalem, aquam benedictam, aliaſque cæremonias, quæ ſunt de puro iure Eccleſiaſtico, non ſunt Sacramenta.

Dicitur *ad ſignificandam gratiam*, cum eſſentiale ſit omnibus Sacramentis gratiam interiorem ſignificare, ſive immediate ut nova, ſive mediate, ut vetera. Defectu huius conditionis Sacræ Imagines non ſunt Sacramenta; quia gratiam non ſignificant. Triplex autem gratia Sacramentalibus Symbolia deſſignatur, ideſt gratia præſens, quæ animam exornat, & ſanctificat, ſcilicet iuſtitia, remiſſio peccatorum, aliaque Dei dona,

quibus digne ſuſcipiens cumulatur; gratia inde accepta dominicæ incarnationis, Paſſionis, Mortis, Reſſurrectionis, quam in veteribus ſignabant fœdus, Dei promiſſio, & liberatio a ſervitute; gratia denique futura ſcilicet gloria, & ſempiternæ vitæ conſecutio. Unde Sacramenta iuxta D. Thom. q. 60. art. 3. ſunt & dici poſſunt ſigna demonſtrativa, commemorativa, prænunciativa.

Dicitur *& producendam gratiam*; quia licet omnibus Sacramentis in quocumque ſtatu ſit eſſentiale aliquam ſanctitatem, ſive internam ſive externam producere; Sacramenta tamen legis novæ gratiam internam, & ſanctificationem quam ſignificant, immediate efficiunt, cum vetera gratiam tantummodo prænunciarent, nec aliam ſanctitatem ex ſe conferrent niſi externam & legalem. Nam Baptiſmus revera peccata diluit, homines regenerat & renovat Spiritui Sancto. Hinc Sacrificium non eſt Sacramentum; quia primario non ordinatur ad ſanctificandum hominem, ſed ad ſupremum Dei Dominium agnoſcendum.

Dicitur *ex opere operato*; quia Sacramenta ſeu applicatio huiuſcemodi ſigni exterioris ex inſtituto & meritis Chriſti per ſe, non tamen naturaliter, ideſt ex naturali eorum virtute, ſeu phyſice & tamquam cauſſa principalis (ut nobis falſo imponunt Novatores) ſed tamquam per cauſſam inſtrumentalem habent vim & efficaciam ad producendam gratiam, ſive moraliter, ſive phyſice, in ſuſcipiente tamen diſpoſito; quæ diſpoſitio requiritur ne obex ponatur gratiæ, quæ aſſociari nequit cum peccato.

Hæc autem definitio omiſſis aliis, quæ habentur de Sacramentis, & præcipue novæ legis, ſive ex Ugone Victorino, ſive ex Magiſtro ſententiarum, ſive ex Catechiſmo Romano a Concil. Tridentino deprompta, quæ omnes vel explicite, vel implicite idem ſonant & continent, apertiſſime id docet, quod divinarum Scripturarum docent teſtimonia, quæ talem gratiæ collationem, ideſt vim animæ ſanctificandæ ac iuſtificandæ expreſſe in Sacramentis præcipue novæ legis aſſerunt, ut de renovatione ſpirituali, & iuſtificatione per baptiſmum habetur Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, & de animæ nutritione per S. Euchariſtiam Ioann. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam*; & ſic alibi, ut clarius res aperietur, ubi de Sacramentorum novæ legis efficacia; ita ut ex ipſa Scriptura clariſſime conſtat Sacramenta non eſſe mera ſigna, ac nuda, & vacua ſigilla, ſeu teſtimonia divinæ promiſſionis ad fidem tantummodo erga Dei promiſſionem excitandam & fovendam, ut volunt Novatores, cum baptiſmus in infantibus omni prorſus uſu rationis carentibus, nullam fidem actualem excitet, ac proinde dici nequit eius fidei imbecillitatem per baptiſmum ſuſtentari. Unde ex ſe corruunt omnes definitiones, quas Sacramentis effingunt Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Sociniani, aliique Novatores, quibus ſtatuunt Sacramenta eſſe nuda ſigna inefficacia, & egena, quibus vel Chriſtianus diſtinguitur a Iudæo, & Gentili ut volunt Sociniani, vel ad obſignandam, confirmandamque divinæ gratiæ promiſſionem, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem, ac pietatem noſtram erga Deum excitandam, ut Lutherani & Calviniſtæ.

§. V.

De cauſſis inſtitutionis Sacramentorum.

Variæ ſunt cauſſæ quare inſtitui oportuit Sacramenta, quarum tres præcipue enumerantur a Magiſtro Sententiarum poſt Ugonem Victorinum l. 1. p. 9. ut in Eſtio deſtinct. 1. §. 2.

Primo nempe propter humiliationem; ut dum homo ex Dei iuſſu ſenſibilibus ſe ſubmittit, ac in iis ſe exercet, eius edometur ſuperbia, qua peccando Deo ſubiici renuit, ac ideo ex obedientia humilitas commendatur: etenim, quia dum rectus, ac ſapiens eſſet inſtitutus, ſpiritualibus inhærere contempſit, iuſto Dei iudicio per ſenſibilia reducitur ad ſpiritualia.

Secundo ut erudiretur; nam cum talis ſit hominis conditio, ut per ſenſibilia inviſibilia percipiat, appoſite inſtituta ſunt Sacramenta veluti exteriora ſigna, quibus admoneremur de rebus ſpiritualibus, quas iſta ſignificant; ut ex D. Chriſoſtom. homil. 83. in Matthæum, & ex Eccleſiæ oraculo dum orat, *ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur*. Tertio pro hominis exercitio, quod utile & ſalubre homini in Sacramentis proponitur, ut in tali implicatione detentus vanam noxiamque occupationem evitet.

Aliæ etiam ſunt cauſſæ prædictis adiiciendæ, ac proinde quarta cauſſa erit, ut magis ad ea credenda, quæ nobis promiſſa ſunt ... pelleremur. Unde ſicuti in veteri lege Deus promiſſiones ſuas multis variiſque ſignis confirmavit, ne populus iſte nudis verbis minus crederet; ita etiam in nova cum

Chri-

Chriſtus remiſſionem peccatorum, iuſtitiam, Spiritum Sanctum, vitam æternam promitteret, ſigna quædam ſenſibilia inſtituit, quibus eum, quaſi pignoribus obligatum haberemus, & ita eum futurum fidelem in promiſſis nullatenus hæſitaremus.

Quinta, ut Sacramenta eſſent quædam notæ & ſymbola, quibus fidelium ſocietas inter ſe colligata ab aliis diverſæ Religionis diſtingueretur, ut conſtat ex D. Auguſtini teſtimonio in præcedenti paragrapho allato.

Sexta ut per Sacramenta veluti voces quaſdam in conſpectu hominum viſibiliter fidem noſtram profiteamur iuxta Apoſt. Rom. 10. *Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; nam ſicuti ore, ita ſignis aliis externis divinitus ad ſignificandum inſtitutis, veluti quibuſdam viſibilibus, & contrectabilibus verbis id conſentaneum eſt fieri, ut ex D. Auguſt. contra Fauſtum l. 19. cap. 10. & alibi.

Septima & hæc eſt præcipua cauſſa inſtitutionis Sacramentorum novæ legis, ac eis propria, ut hiſce veluti peccatorum noſtrorum remediis, infirmitatis noſtræ ſubſidiis, & inſtrumentis noſtræ ſanctificationis, ſeu iuſtificationis uteremur. Ita S. Ambroſ. l. *de Sacrament. cap.* 4. & S. Auguſt. l. 4. *contra Donatiſt.* cap. 21. & ſeq.

Quare cum tam multiplex ſit Sacramentorum uſus & inſtitutionis ratio, merito, ut iam patet, eos anathemate damnat Concil. Trid. qui volunt noſtra novæ legis Sacramenta inſtituta eſſe ſolummodo ut fidem noſtram nutriant, ac foveant.

§. VI.

De exiſtentia Sacramentorum in diverſis hominum ſtatibus.

Nota quadruplicem conſiderari ac conſtitui hominum ſtatum. Primus dicitur ſtatus innocentiæ, qui perduravit a creatione primi hominis uſque ad ipſius lapſum. Secundus qui cœpit a lapſu primi hominis uſque ad legem ſcriptam ſub Moyſe, & dicitur ſtatus naturæ, non quod homines ſolo naturæ ductu ſe regerent; cum certum ſit neminem poſſe recte vivere, ac ſalutem conſequi ſine Dei gratiæ adiutorio; ſed dicitur ſtatus naturæ; quia homines per illud tempus ſine legis ſcriptæ adminiculo, ſed ſola Dei inſpiratione regebantur. Tertius vero eſt ſtatus legis ſcriptæ, qui perduravit a lege data per Moyſem uſque ad Chriſti adventum. Quartus tandem eſt ſtatus legis Evangelicæ ſeu gratiæ in quo vivimus & qui uſque ad Mundi finem permanebit.

Circa ſtatum innocentiæ controvertitur inter Theologos, num in hoc ſtatu fuerint Sacramenta, vel ſi permanſiſſet Adam in gratia, ſaltem inſtituenda fuiſſent. Verum cum Scriptura & Traditio, quæ duo in rebus dubiis lumen nobis præbere valent, nuſquam meminerint alicuius Sacramenti pro illo ſtatu inſtituti, nec ſi Adam in eo perſeveraſſet inſtituendi, iure merito quamplurimi celeberrimi Theologi, inter quos D. Thomas eiuſque interpretes, aliique ex tali ſilentio collegerunt tamquam ex evidenti ſigno, nullum extitiſſe in illo ſtatu Sacramentum; neque futurum fuiſſe, etiamſi Adam perſeveraſſet; hiſce etiam ducti rationibus, nempe quia cum homo in tali ſtatu ſoli Deo perfecte ſubiiceretur, congruum erat ut immediate gratiam ab ipſo acciperet. Deinde Sacramenta inſtituta ſunt ad remedium animæ, & medicinam; unde hiſce opus non erat in eo ſtatu, in quo nullus animi morbus irrepſerit. Item ſacramenta inſtituuntur ad recipiendam gratiam, ſervandam, vel augendam; in illo autem ſtatu gratia ſine tali ſubſidio collata fuerat, & cum homines in tali ſtatu bene inſtituto, & gratia ſuffulto, in quo inferiores potentiæ prorſus rationis imperio ſubiiciebantur nihil paſſi fuerint noxiæ cupiditatis, ſenſuumque luctaminis, abſque ſenſibilium elementorum adminiculo acceptam iuſtitiam poterant cuſtodire, ac ideo per liberum arbitrium in hac perſeverando, ut fecerunt Angeli boni, in hac pariter proficere potuiſſent.

Nec officit quod in contrarium obiicitur, nempe Matrimonium Adæ cum Eva inſtitutum fuiſſe in ſtatu innocentiæ, quod ab Apoſtolo dicitur *magnum Sacramentum*. Item quod ſi ſtatus innocentiæ perduraſſet, æque ac Adam poterant poſteri peccare, ac proinde aliquo opus erat remedio. Itidem quod in ſtatu innocentiæ fuiſſet Religio; unde opus erat, ut circa hoc docet S. Auguſt. antea cit. quod aliquo ſignaculorum conſortio in religionis nomen homines illi coadunarentur. Igitur videtur, quod etiam in tali ſtatu fuiſſent Sacramenta.

Sed facile his omnibus reſpondetur, videlicet quod Matrimonium Adæ in tali ſtatu inſtitutum improprie ab Apoſtolo dicitur Sacramentum, quatenus ſignum erat rei ſacræ figuratæ, coniunctionis ſcilicet Chriſti cum Eccleſia; non vero proprie, hoc eſt, ſignum ſacrans ſuſcipientes; tunc inſtitutum enim

erat ad ſolum naturæ uſum, ideſt ad humanum genus propagandum, non vero ad ſanctificandum, cum revera Adam & Eva per ſuum Matrimonium nec ſanctificati, nec initiati fuerint ad divinum cultum. Et in tali minus proprio ac latiori ſenſu lignum vitæ, & ſomnus Adami dicuntur Sacramenta, propter myſticas eorum ſignificationes, quia nempe lignum vitæ ſignificabat ſapientiam, ſomnus Adæ iuxta D. Auguſt. adumbrabat mortem Chriſti in Cruce pendentis. Quid vero ſtatum fuiſſet peccante aliquo ex Adæ poſteris, cum nihil ſit revelatum, nihil ſtatui poteſt; *Quis enim cognovit ſenſum Domini?* Rom. 11. forte Adamo perſeverante, eius poſteri in gratiam fuiſſent confirmati. Forte ſi aliqui ex eis peccaſſent, abſque miſericordia, ſicuti Angeli, pœnas luiſſent. Et ſuppoſito quod Deus peccantibus remedia præparaſſet, ad ſtatum non ſpectaſſet innocentiæ, a quo illi ſupponuntur excidiſſe. Ad illud vero de ſignaculi neceſſitate ad coadunationem hominum in unum nomen religionis illius ſtatus, ſatis erat ut coadunarentur in illo ſtatu per ſacrificia, per quæ homo non creaturis, ſed ſoli Deo ſubiicitur.

§. VII.

De Sacramentis in ſtatu Legis naturæ.

Num vero extiterint Sacramenta in ſtatu legis naturæ, qui fluxit a lapſu Adæ uſque ad legem datam per Moyſem & iuxta computum cronologicum annos complectitur 2513. nihil habetur, neque ex Scriptura, neque ex Traditione. Fuit quidem inſtituta Circumciſio exeunte ſtatu naturæ, nempe tempore Abrahami: verum hæc non tam pertinet ad ſtatum legis naturæ, quam ad ſtatum legis ſcriptæ; etenim Circumciſio erat profeſſio ſolemnis legis Moſaycæ, ut Apoſtol. ad Gal. 5. Verum S. Auguſt. l. 5. *contra Iulianum* cenſet, aliquod fuiſſe in lege naturæ pro parvulis Sacramentum in remedium Originalis peccati; & hoc remedium erat profeſſio fidei in Chriſtum venturum aliquo ſigno ſenſibili expreſſa, per quam parvuli Deo a parentibus, vel ab aliis offerebantur, & conſecrabantur. Prorſus tamen latet quale fuerit hoc ſignum ante Abrahamum, ut ait S. Auguſt. l. 2. *de Nupt & concupiſcent.* cap. 11. *Superioribus temporibus omnino latuit Sacramentum iuſtificationis ex fide.*

Nec officit huic ſententiæ quod habet D. Greg. l. 4. Moral. cap. 2. nempe apud veteres quod apud nos aqua baptiſmatis, egiſſe pro parvulis ſolam fidem, pro maioribus virtutem ſacrificii. Et D. Tho. 3. p. q. 70. art. 4. ad 2. quod non requirebatur eo tempore aliquod ſignum proteſtativum huius fidei. Nam SS. Greg. & Thom. hic diſcrimen exponere intendunt inter fidei profeſſionem quam Adulti per ſe emittebant per aliquem uſum cæremoniarum, puta ſacrificii, & profeſſionem fidei pro parvulis ab aliquo elicitam, quæ nullis cæremoniis erat veſtita, non quod talis actus fidei interior ſufficeret; quia cum per illam fidem parvuli Deo initiarentur ad verum Dei cultum, & in unum coadunarentur Religionis nomen, certe profeſſio illa aliquo ſenſibili externo ſigno erat exprimenda. Unde dici poteſt S. Gregorium intellexiſſe ſolam fidem aliquali ſenſibili ſigno exterius expreſſam ſatis fuiſſe, non vero interiorem fidei actum.

Ad emundandam vero maculam peccati Originalis, ſive actualis requiritur in Adultis fides formata charitate, ac proinde illa profeſſio fidei non operabatur niſi ex opere operantis. Etenim privilegium eſt Sacramentis proprium novæ legis, ut per ſe & virtute propria, ſeu ut aiunt Theologi, *ex opere operato* iuſtitiam ſanctificationemque in ſuſcipiente producant.

Ex hoc tamen colligi nequit, quod fides illa non eſſet verum Sacramentum reſpectu adultorum, quaſi nihil in eis operaretur; dum eſt eſſentiale cuilibet Sacramento eſſe ſignum practicum ſanctitatis; nam ſemper operabantur illa Sacramenta ſanctitatem legalem, conſecrabantque fidelem ad verum Dei cultum, ſicuti ex eorum inſtitutione immediate eis conveniebat.

Ad mundandam tamen maculam originalis peccati in parvulis ſatis erat actus fidei informis. Etenim ex D. Thoma in 4. diſt. 1. q. 2. art. 6. ad 2. Fides parentum non iuſtificabat infantem in quantum erat actus perſonæ, ſed quatenus reſpiciebat ſuum obiectum (nempe Chriſtum Dominum) quod erat medicina totius naturæ, in quo habebat quamdam ſimilitudinem cum Sacramentis noſtris, in quantum iuſtificabat ex opere operato, non ex opere operantis. Qui tamen fuſius circa hoc exoptet, adeat Theologos Dogmaticos & inter cæteros Tournely, ac P. Berti.

§. VIII.

De Sacramentis legis ſcriptæ.

Dubium ullum occurri nequit quin in lege veteri ſcripta extiterint Sacramenta aliqua, & quidem a Deo inſtituta, cum in divinis

Scri-

Scripturis hoc expreſſe habeatur; hinc apud omnes Catholicos hoc extra omnem controverſiam poſitum eſt. Colligitur enim ex veteri teſtamento multos ritus, & cæremonias ſenſibiles, ideſt multa ſigna ſenſibilia a Deo inſtituta fuiſſe ad populi Iſraetici ſanctificationem; ſigna nempe, quibus gratia, & animarum ſanctificatio præſignabatur, & nihil frequentius habetur in Conciliis, ac ſcriptis Sanctorum Patrum, quam collatio ſeu comparatio Sacramentorum veteris legis cum novæ legis Sacramentis, & præcipue in Concil. Florent. in decret. Eugenii ad Armenos, & Trident. ſeſſ. 7. can. 2. Nec abſonum videri poteſt, Sacramenta, quæ ſunt remedia peccatorum inſtitui potuiſſe ante adventum Chriſti eiuſque paſſionem: etenim prout erant ſymbola futuri Reparatoris debebant eius adventum præcedere, nec paſſio Salvatoris erat efficiens cauſſa illorum Sacramentorum, ſed cauſſa finalis, quæ ſola intentione effectum præcedit: gratia vero quam Deus elargiebatur Redemptorem præſtolantibus, non efficiebatur ab illis Sacramentis, ſed Deus illam conferebat intuitu meritorum Chriſti, ac futuræ eius paſſionis. Idcirco PP. antiqui eiuſdem gratiæ & redemptionis conſecuti ſunt complementum tantummodo, quando Chriſtus advenit, prætium ſolvit, & omnem gratiam poſt Adæ prævaricationem hominibus collatam acerbiſſima morte, ac ſumma perſonæ dignitate promeruit. P. Berti hic in fine cap. 2.

Quot vero fuerint Sacramenta in veteri lege incertum eſt, & cum de ſingulis ſacrificiis iudicari nequeat, num omnia inſtituta eſſent ad populi iſraelitici ſanctificationem; hinc circa numerum eorumdem Sacramentorum nihil certi definiri poteſt. Plura certe fuere, ut docet D. Auguſt. l. 19. *contra Fauſtum* cap. 13. quia præter circumciſionem, agnum paſchalem, conſecrationem ſacerdotum, & levitarum, quamplurima in libro Levitici recenſentur ſacrificia, quæ ut plurimum erant Sacramenta, utpote quæ non tantum inſtitenta erant ad ſupremum Dei dominium recognoſcendum, ſub quo reſpectu erant ſacrificia, ſed etiam ad expiandum, & ſanctificandum populum, qua ratione erant Sacramenta.

§. IX.

De Sacramentis novæ legis gratiæ, ſeu Evangelicæ.

Tametſi ita certum ſit extare a Chriſto Domino inſtituta in lege nova Sacramenta, ut nemo in dubium revocet non ſolum Catholicorum, ſed nequidem hæreticorum, ſi ex his illos paucos excipias, qui cum autument ſolo interiori Spiritu agi, nullo ſenſibili utuntur ſigno, nihilominus breviter cenſui horum etiam exiſtentiam ſub oculis legentis ponere. Et revera tum ex Scriptura, tum ex Traditione ita rem clare expreſſam habemus, ut inſanum eſſet hoc negare. Et ne longius quam par ſit res protrahatur relinquimus hic utriuſque adducere teſtimonia, utpotequæ iam ſint afferenda, dum de eſſentia, numero, effectibus horum Sacramentorum ſermo habebitur. Unde ſatis hic erit ſolas adducere rationes, quare etiam in lege gratiæ inſtituenda eſſent Sacramenta; videlicet quia nunc quoque occurrebat, ut ſæpe antea iam notavimus, homines in veram Chriſti religionem aliquibus ſenſibilibus ſignis eſſe coadunandos. Et ſicuti non ſecus ac homines, qui vixere in unoquoque priorum ſtatuum, in hac quoque lege gratiæ ſunt eiuſdem infirmæ naturæ, hinc æque ac illi aliquo inſtrumentali egent ſubſidio divinæ gratiæ, quo ſanentur, , & erigantur, ac perficiantur. Unde ſemotis veteribus Sacramentis, quia, quod præſſignabant prænunciabantque impletum eſt, alia inſtituenda erant, & profecto inſtituta ſunt, imo ut ſapientiſſime docuit S. Auguſt. l. 19. *contra Factum*, *virtute maiora*, quia gratiam non tantum promittunt, ſed etiam conferunt, *utilitate meliora*, quia non tantum a perditione ſubtrahunt, ſed ſimul ad regnum perducunt ſalutis; *actu faciliora*, quia non perficiuntur mutilatione carnis, mactatione pecudum, oblatione munerum, ſed humilitate cordis, communibus elementis, liberali diſpenſatione; *numero pauciora*, quoniam innumeris expiationibus, pœnitentia ſubſtituta eſt, tantiſque Arcæ & menſæ myſteriis, Panis, dumtaxat Euchariſticus. Quot vero numero ſint noſtra Sacramenta ſuo loco dicetur, ubi in particulari de eorum numero ſermo habebitur.

§. X.

De differentia Sacramentorum veteris, & novæ legis.

Nota quod hic non agitur de ſola differentia Sacramentorum legis gratiæ a Sacramentis veteris legis quoad externos eorum ritus, & cæremonias, numerum, aut facultatem utendi, aut ſigni claritatem, aut obiecti amplitudinem, aut temporis duratio-

tionem, cum ne quidem Novatores negent, reſpectu horum omnium titulorum, & uberioris diffuſionis gratiæ, Sacramenta legis Chriſti vetera excedere. Difficultas vertitur inter Orthodoxos circa eorum differentiam quoad vim & efficaciam. Novatores ex falſo ſuo principio, videlicet ſolam fidem iuſtificare, Sacramentis tum veteris legis, tum novæ vim omnem tollunt ſanctificandi, nec aliam eis efficaciam concedunt, niſi ad excitandam ſuſcipientis fidem, ac ſuſtentandam, cum hoc ſolo diſcrimine, quod ad hunc effectum noſtra ſint magis apta, faciliora &c. quæ, aliaque ab ipſis in favorem, ac laudem noſtrorum Sacramentorum expoſita ſunt ad fucum imperitis faciendum, nec non ad eludenda Sacrarum Scripturarum Sanctorumque Patrum teſtimonia; quæ diſcrimina non reſpiciunt niſi accidentales circumſtantias, rituſque exteriores, minime vero naturam noſtrorum Sacramentorum ac eſſentiam, ut Calvinus l. 4. inſtitut. cap. 4. §. 14. 17. Quod cum deprehenderit Ludovicus le Blanc Novatorum prædicator, ſuum deſeruit in hac parte Magiſtrum, & agnovit ac faſſus eſt in ſuis theſibus Sedannonenſibus, Sacramenta novæ legis eſſe per ſe cauſſam inſtrumentalem ſanctitatis.

Verum cum ne nos quidem negemus, fidem ad iuſtificationem requiri, non prætermittendum hic cenſui exponere, quod diverſus eſt ab illo hæreticorum ſenſus noſter, circa uſum fidei in iuſtificatione noſtra, quæ nobis non admittitur tamquam cauſſa iuſtificans in Sacramentis, ſed ut præcipua neceſſaria diſpoſitio, quæ idoneos nos reddit ad iuſtificationem in hiſce percipiendam, quatenus nempe per hanc paſſio, & mors Chriſti nobis applicatur, ut nobis proſit ad iuſtitiam & ſalutem; ideſt per hanc fidem incipit homo diſpoſitive fieri particeps meritorum Chriſti, quæ nobis in cruce paravit; quia tametſi remedium Chriſti in morte ſit potentiſſimum adverſus peccatum, nihil tamen prodeſt, niſi per media a divina ſapientia deſſignata, & præcepta nobis applicetur.

Hæc porro applicatio non in indiviſibili, ideſt non in una re conſiſtit. Nam 1 inſpiratur homini fides, qua credat vera eſſe quæ divinitus revelata ſunt, & promiſſa, atque illud in primis, impium a Deo iuſtificari per eius gratiam, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, ut PP. Trid. Concilii declararunt ſeſſ. 6. cap. 6. Deinde per fidem acceptam homo incipit etiam ipſe ſibi admovere propoſitam medicinam in Chriſti morte, nempe de peccatis dolendo, ſperando veniam, Deum per Chriſtum invocando, vitam in melius commutando, ac media ſuſcipiendo a Deo præſcripta.

Quare prima applicatio meritorum Chriſti, qua donatur fides, non fit per fidem, ſed ſingulari operatione Spiritus Sancti prævenientis hominem, ac ab infidelitate convertentis. Omnis autem ſubſequens applicatio fit quidem per fidem, tamquam per radicem, non vero ita, quaſi fides ſola ſufficiat ad iuſtitiam comparandam; ſed neceſſe eſt ut adhibeantur etiam cætera remedia ad hunc finem inſtituta, inter quæ præcipua ſunt Sacramenta. Sicuti igitur mors Chriſti nobis applicatur per fidem, nec tamen per ipſam ſolam fidem eiuſdem mortis Chriſti participes efficimur, niſi ex eadem fide Deum per Chriſtum invocemus, ut docet Apoſt. Rom. 10. ita nec per fidem & invocationem participes adhuc efficimur, niſi & Sacramentis a Deo per Chriſtum Dominum inſtitutis ad hoc & præſcriptis, utamur. Etenim ſingula horum habent ſuam partem, & ordinem in noſtra iuſtificatione. Nam per fidem medicinam cognoſcimus, per ſpem eam deſideramus, per invocationem ad eam appropinquamus, per pœnitentiam a morbo recedimus, per vitæ mutationem ad ſanctitatem accedimus &c. tandem per Sacramentum veluti quoddam efficax poculum & ſalutare, medicina hauritur, morbus expellitur ſanitaſque reſtituitur. Unde quæcumque virtutum opera præcedunt Sacramenta, ſunt præparationes, ſeu diſpoſitiones quædam ad iuſtitiæ effectum ac beneficium ex Chriſti morte, ac proinde non ſtatim iuſtos nos reddunt, ſed præparati per hæc & diſpoſiti accedere debemus ad Sacramenta, tamquam ad fontes, ex quibus iuxta Chriſti Domini inſtitutum ſpiritualem animæ ſalutem, iuſtitiamque exhaurire, ſeu extrahere debemus.

Et hoc negotium clariſſime elucidatur exemplo corporalium Chriſti miraculorum. Etenim qui a Chriſto ſanabantur, plerumque prius tempore credebant poſſe Chriſtum hoc efficere, hinc ut id faceret invocabant, ſeu precabantur. Nec eo ipſo tamen ſanitatem recipiebant, ſed poſtea vel imperio, vel tactu, vel lotione, vel aliqua alia cæremonia ſanitatem Chriſtus Dominus eis impertiebatur; & quia fides & oratio eos veluti præparabant, ac diſponebant, atque aptos reddebant accipiendæ ſanitatis; hinc eis dixit; *Fides tua te ſanum fecit*. Simili ferme modo

fides,

fides, oratio, pœnitentia, aliave pia opera, quæ Sacramenta præcedunt, quia hominem præparant diſponuntque ad iuſtitiam per Sacramentum recipiendam, merito dictum eſt Actor. 15. *Fide purificari corda*; Rom. 10. *Quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*; & Ezechiel. 18. eum qui egerit pœnitentiam victurum. Sic enim voluit Deus ſalutem noſtram ordine quodam, & per plura media, cauſſaſque diverſi generis operari paulatim, ac ab imperfecto ad perfectum adducere. Totum hoc videri poteſt cap. 6. & 7. ſeſſ. 6. Concil. Tridentini.

Et hoc patenter habetur etiam ex D. Auguſt. qui q. 2. *ad Simplicianum* dicit, fieri in nobis per fidem ante Baptiſmum inchoationes quaſdam conceptionibus ſimiles, *ſed non modo concipi*, inquit, *verum etiam naſci opus eſt per regenerationis Sacramentum*. Quare patet evidentiſſime, quam hallucinentur Novatores in ſua doctrina de iuſtificatione per fidem, nempe fidei inſeparabiliter coniunctam eſſe peccatorum remiſſionem, ac proinde non tribui poſſe Sacramentis; cum prorſus adverſetur Scripturæ, & Traditioni, præcipue cum Marci 16. non dicat ſolum Chriſtus Dominus; *Qui crediderit ſalvus erit*, ſed *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: ideſt ad ſalutem præter Fidei diſpoſitionem requiritur baptiſma, quod ſalutem efficiat. Hinc ſemper agnovit Eccleſia vim ſanctificandi non in fide præcedenti, quæ eſt radicalis diſpoſitio, ſed in ſubſequenti Sacramento, cui Chriſtus Dominus tamquam inſtrumentali cauſſæ vim contulit ſanctitatem efficiendi in ſuſcipiente. Idcirco fatetur in ſymbolo Conſtantinopolitano remiſſionem peccatorum fieri per ſolum baptiſmum ut ibi habetur; *Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum*; & eo vel maxime patet, quod in parvulis qui baptiſmo initiantur nulla adhuc eſt fides; & nemo ex Adultis qui prius non credat ad ſalutarem baptiſmi lavacrum admittitur. Ita Eſtius. Non igitur Fides, quæ prærequiritur in iis qui capacitatem habent credendi, ſed Sacramentum quod ſubſequitur iuſtificat.

ntent. Scho. circa feren- m Sa- men. um teris, novæ gis. Circa vero differentiam veteris, & novæ legis Sacramentorum quoad vim & efficaciam, non ſolum diſcrepant Orthodoxi, & Hetherodoxi, quorum poſtremi, ut vidimus contendunt vim iuſtificandi a Sacramentis eliminari, ſed inter ipſos etiam Catholici DD. diverſimode tamen, cum hi unanimes vim, efficaciamque ſanctificandi in Sacramentis fateantur; ſed non conveniunt ſtatuendo quomodo nova Sacramenta a veteribus differant quoad eorum vim & efficaciam. Nam cenſent multi aliter ſtatuendum eſſe de circumciſione, ac de reliquis Moſaycæ Legis Sacramentis. Alii Moſaycis Sacramentis omnem penitus virtutem, etiam ex opere operantis, tametſi cum fide, & charitate ſuſcepta quoad animæ ſanctificationem detrahere videntur, ut Magiſter Sententiar. lib. 4. diſt. 1. ait enim, Deus ea impoſuiſſe in ſervitutem, non in iuſtificationem, & ut figura futuri eſſent. Alii ex oppoſito volunt in Sacramentis legis Moſaycæ datam fuiſſe gratiam, non ſolum ex operantis merito, ſed ulterius etiam, ideſt ex opere operato. Ita Paludanus in 4. diſtin. 1. q. 5. Durandus in eamdem diſtinc. q. 5. qui enim docet, in veteri lege alia fuiſſe Sacramenta vere, & proprie, alia improprie & ſolum quodam latiori ſenſu, cuiuſmodi fuere quædam ſacri ſiia, oblationeſve, & hæc aſſerit ex ſe fuiſſe vacua omnino & ſterilia, priora vero partim efficacia, partim non efficacia pro diverſa eorum conditione. Nam quæ deſtinata erant ad effectum, qui ſine gratia poterat obtineri, quales erant legales purificationes, expiationeſve, iſta gratiam non conferebant; quæ vero ordinata erant ad effectum, qui ſine gratia obtineri nequit, hæc ex Dei placito & ordinatione gratiam moraliter conferebant; cum tamen aliter iudicet de Sacramentis legis naturæ, quæ cum cenſeat non fuiſſe vera Sacramenta, idcirco gratiam ait in eo ſtatu per modum meriti, ac ſuffragii totius Eccleſiæ fidem ſuam parvulo applicantis, non autem per illud Sacramentum, fuiſſe a Deo conceſſam. Refertur ab Eſtio, & Tourneleio etiam ſententia Ugonis Victorini; nimirum Sacramenta vetera gratiam ex opere operato contuliſſe, non quidem per ſe & primario, quia nullam habebant annexam Dei promiſſionem, ſed per accidens, & ſecundario propter fidem, cuius erant ſigna proteſtativa; Sacramenta vero Chriſti per ſe, ac primario gratiam hanc conferre vi ipſius inſtitutionis Chriſti; & hæc opinio videtur Eſtio magis accommoda conciliandis in ſpeciem oppoſitis tum Scripturæ, tum SS. Patrum teſtimoniis circa præſens argumentum, eamque ſequitur Tournel. Eſtius &c.

Verum inter haſce duas DD. Orthodoxorum contrarias ſententias, una quarum negat omnimode vim ſanctificandi ex opere operato veteribus Sacramentis, affirmat altera ſaltem per accidens & ſecundario, mediam ex-

excogitavit S. Thomas, quæ etiam eſt aliorum vulgo Theologorum, videlicet vetera Sacramenta, excepta Circumciſione, de qua non una eſt omnium ſententia, vim habuiſſe ſanctificandi ex opere operantis, ſeu ſuſcipientis, ſeu Sacramenta vetera ex ſe non habuiſſe virtutem, & efficaciam; ſed totam eorum, vim ſanctificandi, ideſt fructuum, qui a ſuſcipiente percipiebarur, proceſſiſſe ab ipſius ſuſcipientis aut miniſtrantis fide, ac devotione; & hic in omni alio caſu, ut nunc reſpectu Sacramentalium eſt huius propoſitionis ſenſus, ideſt conſerri gratiam ex opere operantis. Noſtra vero Chriſti Sacramenta gratiam tribuunt, & iuſtificationem ex opete operato, videlicet Sacramentum ipſum, ſeu applicationem ſigni exterioris, non quidem naturaliter & tamquam principalem phyſicam cauſſam (ut falſo nobis imponunt Novatores) ſed ex inſtituto, & meritis Chriſti per ſe tamquam per cauſſam inſtrumentalem habere vim, & efficaciam ad gratiam, ſive ſanctificationem producendam ſive moraliter, ſive phyſice in ſuſcipiente diſpoſito, ſi ſit adultus. Nec ullatenus movere nos debet ſutilis Novatorum calumnia, quod barbarus ſit hic ſermo, & contra grammaticæ regulas; nam Eccleſia plerumque illas ſpernit non curans quanta eloquentia, ſed quanta evidentia doceat, ac conſecravit hunc loquendi, tametſi barbarum a Scholis inventum, quia ſublata omni æquivocatione ita clare diſtinguit virtutem Sacramenti, a fide ſuſcipientis.

Dixi 1. *ſive phyſice, ſive moraliter*; quia eſt mera Scholarum controverſia, num Sacramenta novæ legis gratiam phyſice, ſive moraliter producant, quam nec Concilium Lateranenſe IV. nec Eugenius IV. in decreto pro Armenis, nec Concil. Tridentinum attigere.

Dixi 2. *diſpoſito*; quia proprium eſt cuiuſvis formæ, ut præcedat in ſubiecto in quo recipi debet ſua conveniens diſpoſitio; ſicut enim licet ignis ex ſe, ſeu natura ſua ſit diſpoſitus ad comburendum, nihilominus prætequiritur in ligno ſua diſpoſitio, ſine qua non combureret; ſic Sacramenta novæ legis, tametſi per ſe efficacia, non operantur tamen, niſi in ſuſcipiente extent fides, pietas, cæteræque prærequiſitæ diſpoſitiones, ut aperte declarat Trident. Concilium.

Dixi 3. *ſi ſit Adultus*; quia Sacramentum novæ legis nullam in infantibus prærequirit diſpoſitionem. Si enim voluntas primi parentis potuit eis nocere cum uſum nondum haberent propriæ voluntatis, convenientiſſimum fuit, pietatem & ſollicitudinem S. Matris Eccleſiæ eis prodeſſe etiam non cooperantibus. Hæc Habertus hic.

Quod circa hoc de Fide præciſe credendum ſtatuere viſum eſt Patribus Concil. Tridentini; fuit 1. Sacramenta novæ legis differre pluſquam ritu externo a veteribus Sacramentis. 2 Gratiam continere, eamque conſerre ex opere operato, ut videre eſt in Canonibus 2. 6. & 8. Seſſ. 7. Cæterum Scholarum diſputationi reliquit circa efficaciam veterum Sacramentorum quoad productionem gratiæ vel ex opere operato, vel ex opere operantis. Nihilominus tamen declarando, ac definiendo noſtra Sacramenta differre a veteribus non ſolum ritu externo, videtur mens fuiſſe Concilii, differre vi & efficacia; ac proinde facile ex tali definitione colligi poteſt, Sacramenta veteris legis non produxiſſe gratiam ex opere operato; etenim non differrent ſi vetera, ſicut nova, gratiam ex opere operato produxiſſent. Hinc ſanius videtur ſequi ſententiam D. Thomæ quæ hoc propugnar, & eo vel maxime quod & Catechiſmus Romanus part. 2. n. 27. hanc docet, & Eugenius IV. hanc in ſuo Decreto poſt Concil. Florent. anno 1439. tamquam doctrinam Eccleſiæ Romanæ Armenis credendam propoſuit. Habert. Unde ſit huius ſententiæ probatio.

Quod Sacramenta novæ legis producant gratiam ex opere operato maniſeſtiſſime conſtat ex Scripturæ teſtimoniis, quæ talem vim de noſtris Sacramentis prædicant. Etenim docent nos per Sacramentum Baptiſmi regenerari, ſalvos fieri, exuere veterem hominem, obtinere remiſſionem peccatorum, ſanctificari, mundari, &c. ut Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto* &c. ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*; Ad Galat. 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. De Confirmatione habetur Actor. 8. *Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. De Euchariſtia Ioannis 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam*. De Pœnitentia Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*. Et ſic aliis in locis habetur etiam de cæteris Sacramentis. De Extrema Unctione Iacobi 5. De Ordine 2. ad Timoth. 1. De Matrimonio vero licet non expreſſe habeatur quod gratiam conſerat, colligitur tamen ex cap. 5. Epheſior. ubi dicitur *Magnum Sacramentum*, & ex Traditione, ut

iam

iam ſuo loco explicabitur. Quid igitur clarius exoptari poteſt, ut Sacramentorum novæ legis deprehendatur efficacia?

Quare nemo non videt, eſſe inania Novatorum ſubterfugia dum reſpondent, illas eſſe figuratas locutiones, quæ baptiſmum comparant aquæ lavacro; Sacramenta in tantum peccata dimittere, quatenus fidem excitant. Nam dato etiam hæreticis, Chriſtum & Apoſtolos tropice ac figurate locutos fuiſſe de Baptiſmo, iam patet, in hoc poſitam fuiſſe rationem figuræ, ut ſicuti aqua naturalis virtute ſua ſordes carnis abluit; ita ſalutare lavacrum virtute Spiritus Sancti inquinamenta extergit peccatorum, & ſicuti qui naſcitur uſu lucis potitur, ita qui baptiſmate regeneratur, ſplendore perfunditur ſanctitatis. Deinde non ſolum Spiritui Sancto regenerationem & purgationem tribuunt Scripturæ, ſed Spiritui Sancto & aquæ baptiſmatis; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto* &c. Spiritui Sancto quidem præcipuam virtutem ſanctificationis, aquæ vero inſtrumentalem ſanctificat. Et hoc contingit eo ferme pacto, quo Chriſtus verbo, contactu, ſputo, digito, habitu fecit miracula; effectrix horum cauſſa fuit Divinitas, verba autem, digitus, ſputum, habitus fuerunt eorumdem miraculorum inſtrumenta. Nec Sacramenta iuſtificant fidem excitando, cum fides tamquam diſpoſitio præſupponatur in adulto ſuſcipiente, & in puero ob uſus rationis carentiam nulla excitetur fides. Huiuſce generis faciles habentur reſponſiones ad eludendam Novatorum fraudem in ſuis cavillationibus ſuper alia Sacramenta.

Et hoc conſtat etiam ex eo quod iam antea notatum fuit ex Scriptura & Patrum Traditione, Sacramenta vetera fuiſſe egena & vacua, noſtra vero plena & efficacia; illa extitiſſe figuram & umbram, iſta eſſe corpus ſeu rem ipſam, & veritatem; priora Salvatorem promiſiſſe, poſteriora dare ſalutem; & nunc præ cæteris aliis Patribus, ſatis ſit brevitatis gratia unam adducere D. Ambroſii auctoritatem ex l. 2. *de Sacrament.* cap. 4. n. 11. ubi ait, quod *qui baptiſmo regeneratur, per hunc fontem tranſit a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam, ab inquinamento ad ſanctificationem; qui per hunc fontem tranſit, non moritur, ſed reſurgit*. Et equidem ſi ſpiritualis Sacramentorum effectus eſt peccata remittere; id certe non pendet ab hominum merito, ſed ab ipſorum Sacramentorum virtute, quam habent a Spiritu Sancto ex Chriſti merito, & inſtitutione independenter ab hominum fide & merito.

Quod vero Sacramenta & ſacrificia veteris legis vim, ac efficaciam non haberent ad gratiam ex opere operato; ſed hanc, internamque ſanctitatem ex ſolo opere operantis, ſeu ex merito, & pia diſpoſitione miniſtrantis aut ſuſcipientis produxiſſe, ampliſſime patet ex pluribus Scripturæ teſtimoniis, & præcipue ex D. Paulo, ex quo habemus inefficaciam, & inſufficientiam Sacramentorum veteris legis ad efficiendam internam animæ ſanctificationem, ex eo proveniſſe, quia non erat eis annexa, ſicuti noſtris, huiuſcemodi gratiæ promiſſio, ut Hebræor. 8. *Melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt*. Unde propter talem inſufficientiam ac inefficaciam, ad internam ſanctificationem in hominibus producendam, Sacramenta & Sacrificia veteris legis definit & vocat egena, & vacua elementa, ex ſe non valuiſſe, ait, niſi ad externam carnis legalem ſanctitatem ſeu munditiam conferendam, minime vero internam, peccata auferendo per gratiæ in anima efficientiam; exinde propter eorum inutilitatem fuiſſe reprobata ut habetur in Epiſt. ad Galat. cap. 4. *Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa quibus denuo ſervire vultis*; & cap. 7. ad Hebr. *reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem*. Et quod vetera Sacramenta per ſe non conferrent niſi externam mundationem, legalemque ſanctificationem, non internam conſcientiæ, & animæ a peccatis, patenter exponit cit. Apoſtol. in eadem epiſt. ad Hebr. cap. 9. ubi ait: *ſi enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis*, (ecce ſanctitas externa legalis) *quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis*? Ex Patribus vero qui unanimes hoc docent ſatis ſit brevitatis gratia ut pro omnibus adducatur Chryſoſtomus in ſua Orat. *de baptiſmate Chriſti*, ubi expreſſis terminis noſtra habetur ſententia, ac doctrina; ibi enim ita ait; *Iudaica expiatio nequaquam a peccatis liberabat, ſed a corporis ſordibus tantum; noſtra vero talis non eſt, nam & a peccatis liberat, & animam abſtergit, & Spiritus gratiam largitur*.

Porro interna ſanctificatio, quam etiam iam

iam conferebant per accidens vetera Sacramenta, non cauſſabatur niſi ex opere operantis, ideſt ex merito fidei, piæque diſpoſitionis vel adminiſtrantis, vel ſuſcipientis Sacramentum. Hoc probant 1. Scripturæ teſtimonia. Nam Geneſ. 4. dicitur *Deum reſpexiſſe ad Abel, & ad munera eius, ad Cain vero, & ad munera eius non reſpexiſſe*, cuius cauſſa diſcriminis exponitur ab Apoſtolo ad Hebræos 11. quia nempe fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo. Hæc enim fides procul dubio efficit quod Levit. 1. *holocauſtum, & oblatio* dicuntur *eſſe ſuaviſſimi odoris Domino*; cum de Sacrificiis ſine hac fide, ſed ſolo carnali animo a Iudæis oblatis proteſtatus ſit ipſe Deus per Iſaiam cap. 1. ea ipſi diſplicuiſſe. *Ne offeratis*, inquit, *ultra Sacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi . . . manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*. Vetera igitur ſacrificia ac Sacramenta non iuſtificabant niſi per fidem ut clare exponit D. Thom. 1. 2. q. 103. art. 2. *offerebantur* (ait S. D.) *ſacrificia quædam in veteri lege, non quia ipſa ſacrificia a peccato mundarent, ſed quia erant proteſtatio fidei, quæ a peccato mundat*.

Et hoc etiam ex ratione theologica facile conſtat; certum eſt enim quod actus religioſi tunc Deo grati ſunt & gratiæ meritorii, quando fide, ac charitate exercentur. Igitur cum offerre ſacrificia, & Sacramenta ſuſcipere actus eſſent religioſi a Deo in lege præſcripti, quando fide, & charitate exercebantur, procul dubio grati erant Deo, & apud illum meritorii ipſius gratiæ; quam duodam in lege evangelica ſignificabant, ac promittebant. Inſuper, quia antiquis Patriarchis, & Prophetis, cæteriſque ſanctis viris veteris ætatis, non ſolum temporalis, & caduca huius vitæ felicitas, ſed etiam ſpiritualia bona, & æterna in Cœlo promiſſa fuere in præmium fidei, obedientiæ, & obſervantiæ mandatorum Dei. Nam Abrahæ, & eius deſcendentibus ita Deus pollicitus eſt Geneſ. 15. 1. *Protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*. Ergo &c.

Quam vero genuina ſit hæc D. Thomæ doctrina de veteris, ac novæ legis Sacramentorum differentia, facile ex hoc cognoſcitur; quod vetera gratiam conferre non potuiſſent ex opere operato etiam per accidens & ſecundario, ut ſecunda vult ſententia. Quia vel ſanctificatio tribuitur fidei tantum, & tunc eſt ex opere operantis, vel fidei & Sacramento, cuius fidei ſignum erat proteſtativum, & tunc neceſſe eſt ut fateantur eiuſmodi Sacramentis annexam fuiſſe Dei promiſſionem gratiæ, ideſt ut quoties ex fide adhiberentur, certiſſime Deus ad dandam gratiam moverent, & tunc vi talis promiſſionis neceſſe eſt ut agnoſcant vim cum fide habuiſſe illa Sacramenta, conferendi gratiam etiam primario, & per ſe. Et ſi alias ſentiant, ut D. Bonaventura, nempe tale pactum non extitiſſe, in aliud incidunt incommodum, nempe vetera Sacramentam vim habuiſſe conferendi gratiam ex opere operato, ſine ullo Dei pacto, & promiſſione, quod quidem non videtur facile poſſe conciliari cum communi Theologorum.

Quod ſi obiiciatur, Scripturas modo omnino eodem loqui de Sacramentis veteris legis, ac novæ; nam Levit. 4. & alibi ita habetur; *Orabit pro eo Sacerdos, & dimittetur ei, & propitius erit Dominus, & ſanguis pro animæ piaculo eſt*. Unde generatim ideſt de Sacerdotibus tum Sinagogæ, tum Eccleſiæ, ad Hebræos 5. dicitur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*. Itidem iiſdem fere verbis exponit ſacer contextus efficaciam utriuſque legis Sacramentorum; cum de manuum impoſitione non ſecus legatur in nova Lege Actor. 4. *Tunc imponebant* (adde Apoſtoli) *manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; ac in veteri Deuteronom. 34. ubi ſic legitur; *Repletus eſt Ioſue Spiritu Sapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas*; quæ particula *quia* cauſſalitatem ſeu efficientiam ſignificat. Et tales contextus habentur etiam de aliis.

Verum facile diluitur oppoſitio ex allatis textibus, nempe non loqui Scripturas de Sacramentis utriuſque Teſtamenti univerſaliter & abſolute, cum revera nullibi legatur in Scriptura de noſtris Sacramentis, ſicuti de veteribus, quod ſint egena, vacua, ac inutilia elementa: & ſi aliquando eodem modo loquuntur univerſaliter de utriſque, loquuntur de munditia tantum externa & legali, quam revera conferebant ex opere operato, non vero de munditia interiori, & gratiæ ſanctificantis, quæ non conferebatur niſi ex opere operantis. Ad illud vero de manuum impoſitione facta Ioſue ex Dei iuſſu per Moyſem, & ad alia huiuſcemodi, patet reſponſio ex eo, quod talis manuum impoſitio, ſicuti etiam quamplurima alia quæ obiici poſſent, ut Manna, aqua de rupe ſcaturiens, non erant Sacramenta;

cum

Digitized by Google

cum non eſſent ritus ſacri, & permanentes, ſed quædam cæremoniæ tranſeuntes, quæ pertinebant ad gratiam miraculorum non infrequentem apud Iſraelitas. Qui vero fuſius rem deprehendere deſideret, adeat Theologos, qui ex profeſſo hoc tractant ut Eſt. Sylv. Tournel. P. Berti, Hab. aliique; quia cum præſens inſtitutum ſit, principia tantum moralia exarare, de his illud tantum exhibemus, quod ſatis ſit ut Lector aliquid etiam ex dogmaticis, quæ huc ſpectant prælibare poſſit.

§. XI.

De Circumciſione.

Non deſunt qui ritum, ſeu uſum Circumciſionis ſtatuant in more fuiſſe ante Abrahamum apud alias Gentium nationes, ut notat Euſeb. Præparat. Evangel. l. 1. p. 38. edit. Vigerii, ubi ait, Saturnum omnium primum ſibi, & commilitonibus ſuis pudenda circumcidiſſe, ac exinde negant a Deo fuiſſe inſtitutam, & ab Abrahamo ſuum traducere initium. Hærodotus l. 2. cap. 36. & 104. Diodorus Siculus l. 1. pag. 17. tradunt hunc ritum circumcidendi prius excogitatum fuiſſe, ac inſtitutum ab Ægyptiis, inde vero ad Cholcos, Arabes, Iudæoſque tranſiſſe. Verum Ioſephus l. 8. Antiquit. Iudaic. cap. 10. n. 3. quem poſtea communiter ſecuti ſunt Eccleſiæ Patres, ac Interpretes, etiam Heterodoxi, propugnat cum cæteris Iudæis, contra Herodotum quem refellit, Abrahamum primum omnium fuiſſe circumciſum, ac proinde ab eodem refert, ac ſuſtinet Hebræos ſuos deſcendentes, & minime ab Ægyptiis, & Pheniciis Circumciſionem virilium accipiſſe ac didiciſſe, affirmans tamquam rem omnibus compertam, nullos alios in Paleſtina circumcidi, niſi Iudæos. De hoc ita certum eſt in Theologorum ſcholis, ut nulla unquam oborta ſit de tali re difficultas, ſed unanimes ſupponunt, primum hominum ex Dei mandato circumciſum Abrahamum. Inquirunt quidem, num Circumciſio inſtituta fuerit tamquam ſignum tantum ſecernendi Hebraicum populum a cæteris gentibus, num vero tamquam gratiæ ſymbolum, vel Sacramentum ad maculam originalis peccati delendam. Propugnat S. Thomas, & eius diſcipuli contra plurimos, Circumciſionem inſtitutam fuiſſe ad utrumque, nempe & in ſignum quo Iudæi ab aliis diſcernerentur, & æque ac nunc Baptiſma, etiam in remedium originalis peccati. Qui tamen hoc ſuſtinent, & habent Circumciſionem in ratione Sacramenti, in hoc diſcrepant, quod quidam volunt per hoc ſignum ſeu Sacramentum deletum fuiſſe Originale peccatum ex opere operato, quidam ſolum ex opere operantis ut D. Thom. & eius ſchola contra alios plures. Viguerunt olim inter Theologos qui Circumciſionem, ut remedium Originalis culpæ agnoſcebant, variæ opiniones, quas refert D. Thom. 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. quarum 1. erat per Circumciſionem condonatum fuiſſe peccatum, non collatam gratiam. 2. collatam quidem gratiam quoad remiſſionem peccatorum, ſed non quoad alios effectus. 3. datam gratiam quantum ad remiſſionem peccati, & obſervantiam legis, non vero ad repreſſionem cupiditatum. 4. datam fuiſſe gratiam, quantum ad remiſſionem peccati, ſed non quantum ad conſequendam Dei benevolentiam, quæ opiniones valde abſurdæ & falſæ videntur; quia quidquid cauſſa eſt remiſſionis peccati, neceſſario cauſſa eſt gratiæ & vitæ æternæ; & quod cauſſa eſt vitæ æternæ, neceſſario eſt cauſſa mediorum, quæ conferunt ad vitam æternam, ut eſt divina benevolentia, obſervantia mandatorum, cupiditatum repreſſio. Tournel. His igitur omiſſis tota contentio erit circa præſentes opiniones.

Sed ante ſententiæ probationem prænotandum occurrit, duo ad mentem D. Thomæ attendenda eſſe in Circumciſione. Primum videlicet ipſummet Circumciſionis ſignum in Abrahamo inſtitutum; ſecundum profeſſionem fidei in Meſſiam venturum, quam diximus iam inſpiratam in ſtatu naturæ ad peccatum originale delendum; & hanc fatendum uſque ad Chriſti adventum permanſiſſe, cum non aliud remedium eſſet apud Hebræos pro mulieribus, & pro parvulis ante octavum diem decedentibus. Porro ex dictis conſtat, non fuiſſe Circumciſionem ſingulare ſignum ſtatutum ad illam profeſſionem emittendam, ſed potius fieri pro parvulis per quoslibet nutus, & pro adultis per qualiacumque ſacrificia. Unde poſtquam inſtituta eſt Circumciſio, illa communiter uſi ſunt parentes ad fidem illam pro parvulis profitendam. Et ſic Originale peccatum deletum fuit in Circumciſione, non quidem virtute circumciſionis, ſed virtute profeſſionis fidei, quæ in ritu illo pro parvulis eliciebatur.

Huic potius ſententiæ videtur adhærendum, eo quod divinæ Scripturæ magis cohæteat. Etenim Genel. 17. in Hebræo, & in

Digitized by Google

in Vulgata editione legitur ſimpliciter; *Maſculus cuius præputii caro circumciſa non fuerit; delebitur anima illius de populo*; ubi non habentur illa duo vocabula, nempe *octavo die*, quæ cum legeret D. Auguſt. in Cod. Græco non genuino, ſuam hiſce verbis ſenteotiam nitebatur. Quare cadente principio, quod erat ſententiæ baſis, atque fundamentum, procul dubio ipſa quoque corruit opinio, ac proinde iuxta veram huiuſce textus lectionem, præceptum Circumciſionis ſub pœna capitis ſolos reſpiciebat adultos, ſi pactum Circumciſionis irritum facerent, ſcilicet ſi ſe, aut ſuos circumcidere neglexerint. Et quod talis ſit illius Scripturæ ſenſus, deprehenditur tum ex contextu citati capitis, tum ex cap. 4. Exodi, ubi habetur, quod quia Moyſes neglexit ſuum circumcidere filium, non infantem, ſed patrem ipſum Deus occidere voluit. Inſuper Apoſtolus hoc comprobat cap. 3. & 4. in Epiſt. ad Romanos, ubi probare contendit, fidem iuſtificaſſe, non vero Circumciſionem; nam cap. 3. ait; *Quæ utilitas Circumciſionis?* & ſubdit, *multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei*. Unde ſecundum Apoſtolum hoc erat præcipuum Circumciſionis munus, nec verbum ullum addit, ex quo colligi poſſit eam peccatum remiſiſſe, quod eſt longe maius. Imo ſequenti cap. ex profeſſo probat, Circumciſionem hanc non habuiſſe efficaciam; ſic enim loquitur; *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum; beatitudo ergo hæc in Circumciſione tantum manet, an etiam in præputio? non in Circumciſione, ſed in præputio*.

Circumciſio non applicabatur Mulieribus, nec maribus ante octavum diem, ad quem ſane multi non perveniebant morte præoccupati. Item per quadraginta annos, quibus Iudæi commorati ſunt in deſerto, omiſſa eſt Circumciſio, Ioſue 5. Et non alia certe ratione, niſi quia cum tantum inſtituta eſſet ad diſtinguendum genus Abrahæ ab aliis nationibus, ſupervacanea videbatur, donec populus Iudaicus prorſus ſeiunctus erat in deſerto ab omni alia gente.

Non eſt tamen difficile ſententiam D. Auguſt. cum hac D. Thomæ, quæ eidem eſt oppoſita, conciliare, videlicet per Circumciſionem deletum fuiſſe in veteri lege peccatum Originale, ſicuti nunc in lege gratiæ deletur per baptiſmum, ſi hoc factum fuiſſe dicatur, non vi ritus externi Circumciſionis, qui ad hunc effectum a Deo non fuerat inſtitutum, ſed ratione profeſſionis Fidei. Habert.

Corollarium.

Ex haſtenus dictis infert Habertus Sacramenta veteris & novæ legis ita per ſpecificas differentias definiri poſſe. Sacramentum veteris legis eſt *ſignum ſenſibile ſacrum a Deo permanenter inſtitutum ad producendam per ſe ſanctitatem legalem, ſolumque ſignificandam interiorem*. Et hæc definitio convenit Sacramentis etiam legis naturæ. Sacramentum novæ legis eſt *ſignum ſenſibile ſacrum a Chriſto Domino permanenter inſtitutum ad producendam per ſe, & ex opere operato ſanctitatem interiorem*. Definitiones ſacramentorum veteris legis, & novæ.

Igitur in duobus potiſſimum differunt Sacramenta nova, a veteribus. 1. quia ſunt inſtituta a Chriſto Domino, ut infra dicetur. 2. quia gratiam ſanctificantem, iuſtitiamque conferunt ex opere operato.

Cæterum cum Sacramenta ſenſibilia ſint, non ſecus ac res aliæ ſenſibiles, ac materiales, dupliciter conſiderari poſſunt, videlicet metaphyſice ſecundum genus & differentiam, & phyſice ſecundum partes phyſicas, ex quibus eſſentialiter conſtant; hinc duplex etiam eſt eorum definitio, ut videre eſt in homine, qui metaphyſice definitur, *animal rationale*, & phyſice *unum totum, compoſitum ex anima & corpore organico*; ſic etiam duplex eſt Sacramentorum definitio; alia ſecundum genus & differentiam, cuiuſmodi ſunt mox allatæ definitiones; alia ſecundum partes, ex quibus Sacramenta componuntur. Licet tamen Sacramentum non ſit totum proprie phyſicum, cum eius partes non ſint ſubſtantiales, incompletæ & realiter unitæ, nec faciat unum per ſe; eſt tamen unum morale conflatum ex quibuſdam partibus, de quibus agendum. Habert.

§. XII.

De Sacramentorum novæ Legis materia & forma.

Circa rem hanc nullus habetur reſpectus ad Sacramenta veteris legis, cum in poſterum nulla horum ſit habenda ratio, eo quod nihil circa hæc inquirendum maneat, ſed ſolummodo ad Sacramenta novæ legis, cum de hiſce tantum deinceps ſermo habendus ſit. Et primo examini ſubiiciendæ ſunt partes, ex quibus hæc conſtant Sacramenta.

Tametſi in definitione Sacramenti poſita ſit ſolummodo res ſenſibilis, non una tantum

tum eſt hæc res, licet unum tantum ſignum conſtituat. Nam *Sacramenta omnia eſſentialiter tribus præcipue perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit Sacramentum non perficitur*. Ita Concil. Florentinum in Decret. *de Sacramentis*. Et hoc conſtat etiam ex perpetua Traditione, & praxi Eccleſiæ. Hic tamen nomine materiæ non tantum intelligendum eſt, materiam proprie dictam requiri in omnibus Sacramentis, quæ videlicet ſit elementum, ſive res aliqua corporea, viſibilis, atque tractabilis, ut in Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema Unctione, ſed ſatis eſt, ſi in Sacramentis aliquid aſſignetur quod materiæ habeat quamdam rationem, & ſic in eodem Concil. Florenr. atque etiam Tridentino actus pœnitentis dicuntur eſſe quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ. Quamvis vero elementum ex inſtitutione divina habeat ſuam quoque ſignificationem, nihilominus tamen addenda ſunt verba, ut eam veluti aſtringant atque determinent, ut apertior ac diſtinctior rei, quæ geritur, ſignificatio fiat, cum verborum inter omnia ſigna maxime proprium ſit, aliquid certum, ac determinatum ſignificare.

Cum igitur elementum & verbum ſe habeant in Sacramentis quomodo in rebus, natura, vel arte compoſitis, materia & forma, nempe ut partes eſſentiales; ita manifeſtum eſt utrumque ita pertinere ad veritatem & ſubſtantiam Sacramentorum, ut ſi alterutrum deſit, vel in aliud commutetur, Sacramenti veritas non ſubſiſtat.

Dicuntur etiam Sacramenta per tria ſupra relata perfici, non autem componi, aut conſtitui; quia miniſter eiuſque intentio non ingrediuntur compoſitionem Sacramenti; licet tamen ſint quid ipſis intrinſecum, ac pertinens ad eorum cauſſam efficientem, de quibus infra. Sacramenta igitur novæ legis ex duobus tantum conſtant, ſcilicet rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma. Et licet dicat Florentinum Concil. omnia Sacramenta, & eſſentiale ſit omni Sacramento cuiuſque ſtatus, conſtare ex rebus, eo quod omne Sacramentum ſit ſignum; doctrina tamen Concilii intelligi nequit niſi de Sacramentis novæ legis, cum neceſſe non ſit omne Sacramentum conſtare etiam verbis; ſiquidem multa erant in lege veteri, ut Circumciſio, Agni Paſchales, Conſecrationes Pontificum, ac Sacerdotum, quæ abſque præſcripta verborum forma celebrabantur; quia verba ſunt ſigna expreſſiora, minime convenientia ſtatui legis veteris, in qua Myſteria ſub umbris latebant: fateri tamen oportet, quod in quorumdam Sacramentorum celebratione verba adhibebantur.

Dicitur loco cit. Concilii Florent. *rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma*, & hoc per analogiam ad compoſitum phyſicum, in quo pars imperfectior, & minus determinata dicitur materia, & actus quo deſtinatur materia ad tale eſſe, dicitur forma. Materia enim, puta ligni, eſt indeterminata, vel ad formam ignis, vel ad formam ligni, aut cineris ac ideo ad illud vel illud eſſe; & per formam ignis determinatur ad eſſe ignis, & per formam ligni ad eſſe ligni. Ita aqua per ſe indiferens ad abluendum vel refrigerandum, ſeu ad emoliendum, determinatur ad ablutionem ſignificandum per verba: *Ego te baptizo*.

Methodus vero explicandi partes Sacramentorum per materiam, & formam incognitum fuit ante ortum ſcholaſticæ Theologiæ; e placitis enim Peripateticæ Philoſophiæ, quæ invaluerant in ſcholis philoſophicis, hic loquendi modus fluxit ad Scholas Theologicas, quamvis tamen non ſcholas omnes ſtatim præoccupaverint. Priuſquam Methodus hæc a Theologis uſurpata fuerit; nihil de ea habent ſcholæ Magiſtri, ne ipſe quidem Petrus Lombardus dictus Magiſter ſententiarum, nec Ugo Victorinus; quia licet & iſti interdum aut formam, aut materiam Baptiſmi nominent, non tamen id dicunt philoſophorum ſenſu; neque enim de forma per ordinem ad materiam, aut de materia per ordinem ad formam verba feciſſe videntur, ſed per materiam totum ſenſibile intelligebant quo conſtat Sacramentum; per formam vero more Iuriſconſultorum certas verborum formulas ſeu conceptiones intelligebant, quas & Iudices in formula iudiciorum, & miniſtri Eccleſiaſtici in Sacramentorum adminiſtratione obſervare tenentur. Unde partes Sacramentorum, quæ poſtea a Scholaſticis appellari cœperunt, materia & forma, a veteribus Scriptoribus dicebantur *res Sacramentorum*: ſic Tertull. l. *de Præſcrip*. cap. 40. ait, *Dæmonem in ſuis Idolorum Myſteriis res Sacramentorum divinorum æmulari*. Primus inter Scholaſticos, qui partes Sacramentorum cœpit appellare materiam, & formam diſtincte fuit Gulielmus Antiſiodorenſis in ſua ſumma Theologica anno 1210. Et ab eo tempore ſummo conſenſu Methodus hæc recepta fuit, & publico etiam

iam Eccleſiæ uſu conſecrata tam in cit. Decret. Eugenii IV. tum in Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. Nomine igitur materiæ Sacramenti intelligitur illud omne ſenſibile quod magis confuſe gratiam ſignificat, ſive illud ſenſibile ſit res quædam, ſeu ſubſtantia, qualis eſt aqua in Baptiſmo, Unctio in Confirmatione, panis, & vinum in Euchariſtia &c. ſive ſit quædam actio, aut ex parte miniſtrantis, aut ex parte ſuſcipientis Sacramentum, qualis eſt manus impoſitio in Miniſtro Confirmationis & Ordinationis, & Contritio, confeſſio, ſatisfactio in pœnitente. Per formam vero veniunt non tantum verba proprie dicta, quæ ore proferuntur, ſed id omne venit quod in Sacramento rem ſenſibilem arctius, & clarius reſtringit ad ſignificandam gratiam ſanctificantem, ſive illud verbum ſit vocale, ſive non, ut ſunt v. g. nutus & ſimilia ſigna, quæ S. Auguſt. l. 2. *de doct. Chriſt.* cap. 3. appellat verba viſibilia, quia videlicet verborum vice funguntur, & verba poſſunt appellari a nobiliori ſignorum genere, quod eſt verbum, ut ibi docet D. Auguſtinus. Quod quidem in Matrimonii Sacramento locum habere poteſt, cum contrahens matrimonium uſu vocis privatus, ſolo nutu conſenſum exterius demonſtrare valet; ſaltem in eorum opinione qui mutuum conſenſum huius Sacramenti formam eſſe affirmant. In Sacramento pariter Pœnitentiæ ſatis eſt ad illius materiam ut confeſſio, & contritio aliquo exteriori ſigno, ſeu nutu declaretur; quare Sacramentalis abſolutio impendi ſolet moribundo, qui improviſa vi morbi oppreſſus voce confiteri non poteſt, ſed geſtu aliquo, vel nutu ſuum teſtatur de peccatis dolorem.

Materia Sacramentorum duplex.

Materia autem duplex eſt, alia remota circa quam verſatur actio miniſtri, & eſt res quæ adhibetur in Sacramento efficiendo, ut aqua in Baptiſmo, alia proxima, & eſt uſus ac applicatio talis rei, ſeu materiæ remotæ, ut ablutio in Baptiſmate.

Quod vero Sacramenta omnia novæ legis perficiantur rebus tamquam materiæ, verbis tamquam forma, hoc conſtat ex Scripturis. Habetur enim de Baptiſmo Epheſ. 5. *Mundans* (Eccleſiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Unde S. Auguſt. tract. 8. in Ioann. ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum; Detrahe verbum, quid eſt aqua niſi aqua*. Et ſic de aliis Sacramentis divinæ Scripturæ non obſcure manifeſtant, ut quando indigitant impoſitionem manuum, Sacram unctionem, panem vinumque Euchariſticum, mutuam Coniugatorum conventionem, aſſenſumque reciprocum, peccatorumque deteſtationem, quæ ſatis eſt hic tantum innuere, quia iam in ſingulis Sacramentis exponendis ſuæ proferrentur auctoritates eorum materiam comprobantes, ac formam. Unde ne aliquid hic deſideretur, præ cæteris ſatis erit ut unum vel alterum referatur D. Auguſtini teſtimonium ex tract. 80. in Ioann. n. 3. ubi ait; *Unde iſta tantum virtus aquæ, niſi faciente verbo*. Et infra; *Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, niſi adderetur in verbo &c.*

Nec officere poteſt huic veritati ſilentium verborum conſecrationis apud antiquiores Scriptores; quia ut iam alias dictum fuit, tali utebantur illis temporibus œconomia ut occultarent gentibus religionis noſtræ myſteria; ita ut non ſolum res celarent quæ in ſe ſpectatæ communes ſunt nulloque rectæ velamine, ſed ritus conſecrationis & præſertim verborum formam, ut habemus ex Innoc. I. in priori ſua Decretal. Volum. Sacrorum Conciliorum 2. pag. 1245. *de Sacramento Confirmat.* n. 3. ubi ſacro memorato Chriſmate. *Verba autem*, inquit, *dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere*. Et n. 8. explicata materia Extremæ Unctionis ait; *Reliqua vero quæ ſcribi fas non erat, cum adfueris, interrogati poterimus edicere*. P. Berti. Ecce ergo etiam ex Traditione veritas clare comprobatur.

Tam certa eſt veritas de materia, & forma Sacramentorum, ut Dæmon in ſuperſtitioſis initiationibus ſive ad affectandam divinitatem, ſive ad æmulationem, ſive ad contemptum noſtrorum divinorum myſteriorum in ſacrificiis idolorum ac Gentilium myſteriis eaſdem fere res eoſdemque ritus imitatus fuerit, quos a Chriſtianis in ſuorum Sacramentorum uſu obſervari noverat. P. Berti 101. Tournel. 18. ut habetur ex S. Auguſt. l. 4. *de Trinit.* cap. 10. Tertull. l. *de præſcrip.* cap. 40. Iuſtinus Apolog. 2.

Dicet forſan aliquis: Euchariſtia non conſtat verbis tamquam forma. Reſpondeo non conſtare Euchariſtiam verbis tamquam forma ſi conſideretur in facto eſſe; conſtat vero verbis ſi conſideretur in fieri; cum tunc verbis Domini perficiatur. Habert.

§. XIII.

§. XIII.

De verbis, quibus tamquam forma Sacramenta novæ legis perficiuntur.

Gravis verſatur controverſia inter Catholicos, & Novatores, num verba quibus perficiuntur Sacramenta, ſint concionatoria tantum & promiſſoria, ac proinde inefficacia, & habeant tantum ſignificationem, an vero conſecratoria ſint, & efficacia. Ex falſo principio quod ſibi præfixerunt Novatores, quod per ſolam fidem promiſſionum Chriſti iuſtificemur in Sacramentis ſuſcipiendis; minime vero per ſigni, ſeu Sacramenti applicationem, ſequuntur alia incommoda & abſurda contra Sacramentorum virtutem, nempe Sacramenta ſpiritualem gratiam non conferre, & exinde verba Sacramentorum nullam habere efficaciam, ſed nudam ſignificationem, ideſt eadem verba ſolummodo nos inſtruere, divinas confirmare promiſſiones, atque nos certiores reddere, quatenus per fidem Deo intime coniungimur; ac proinde non credentes Sacramenta non accipere, ideſt non manducare Dominicum corpus in Euchariſtia. Idcirco verba Sacramentorum pronuncianda eſſe eo modo, qui aptus ſit ad generandam fidem, & promiſſa obſignanda, & per conſequens Sacramenta conficienda eſſe verbis vernaculis, ſeu captui cuiuſcumque accommodatis, utpote quæ magis ad inſtruendum ſint apta.

Tribuentes igitur Novatores omnem vim iuſtificandi Fidei, tenent verba in Sacramentis conficiendis prolata, perinde ſe habere, ac ſe habet prædicatio Evangelii, nimirum nobis Chriſti gratiam proponere, illam polliceri, ad Chriſti fidem nos excitare, non autem immutare materiam illam ſenſibilem, ideſt verba eſſe tantum concionatoria non vero conſecratoria. Nam verbum concinatorium & promiſſorium, eſt verbum quod profertur per modum concionis ad excitandam fidem & devotionem: Verbum vero conſecratorium non præciſe ordinatur ad erudiendam plebem, cum ſæpe proferatur ignoto idiomate; ſed ad ſanctificandum, & conſecrandum, tum materiam, puta aquam in Baptiſmo, quatenus accedente verbo percipit virtutem ſanctificandi; tum ipſum ſuſcipientem. Verbum enim & materia ſimul iuncta ipſum conſecrant, & ſanctificant. Hiſce poſitis pro veritate catholica ſit.

Verba quæ Sacramentorum formam continent non ſunt promiſſoria, aut concionatoria, ſed ſolummodo conſecratoria; ut conſtat ex divinæ Scripturæ teſtimoniis, & ex conſtanti Scriptorum Eccleſiaſticorum loquendi uſu, qui verba Sacramentorum non appellant conciones, inſtructiones, promiſſiones, ſed conſecrationes. Nam 1. Corinth. 10. huiuſcemodi Sacramentorum verba, dicuntur verba *benedictionis*. *Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Verbum vero benedictionis idem eſt apud nos, ac conſecrationis. Item in eadem epiſt. dicuntur verba *invocationis*: *Numquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* ideſt invocato nomine Pauli. Quo ſenſu Actor. 22. habetur; *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipſius*. Dicuntur verba *vitæ*: *mundans eam (Eccleſiam) lavacro aquæ in verbo vitæ*.

Inter Patres vero qui ſemper eodem ſenſu loquuntur de formis, ſeu verbis Sacramentorum, habetur S. Auguſtinus qui l. 3. *de Baptiſ.* cap. 10. ait: *Baptiſmus Chriſti verbis evangelicis conſecratus & per adulteros & in Adulteris ſanctus eſt*. Et S. Ambroſius l. 4. *de Sacrament.* cap. 4. ait: *ubi acceſſit conſecratio, de pane fit caro Chriſti*. Et S. Gregor. Niſſenus *orat. Catech.* cap. 37. inquit: *Dei verbo ſanctificatum panem in corpus Dei verum tranſmutari credo*. Et ſic ſemper de huiuſcemodi verbis loquuntur Patres.

Et hoc ratio quoque evincit; quia cum Sacramenta legis novæ non ſint inſtituta præciſe ad fidem promiſſionum obſignandam excitandamque, hominemque qui ea ſymbola ſuſcipiat, nec obicem ponat, per ſe, & ex opere operato ſanctificent, ac Deo devoveant, quod iam antea notavimus fieri per novæ legis Sacramenta; hinc finis primarius, proximus, & immediatus verborum Sacramentalium novæ legis, nec eſt nec eſſe poteſt, ut divinas nobis obſignent promiſſiones, fidemque in nobis excitent, ſed ut coniuncta materiæ, & materiam conſecrent, & ſymbolum per eadem verba materiamque conſtitutum, per ſe ex opere operato ſuſcipientem Dei conſecrent cultui, ac ſanctificent; idcirco verba Sacramentalia non ſunt promiſſoria & concionatoria, ſed vere conſecratoria. Et equidem verba quibus Sacramenta perficiuntur, nullas clare, & expreſſe continent divinas promiſſiones, ut attendenti facile patet in verbis præcipue Baptiſmi. Dicitur enim in hoc efficiendo, & miniſtrando *Ego te baptizo, in nomine Patris*; quæ verba cum effectum præſentem commoſtrent, eumque divina virtute producant, non ſunt promiſſoria iuxta hæreticorum ſenſum, ſed vere conſecratoria: nam

verba *ego te baptizo in nomine Patris &c.* non exprimunt gratiæ conferendæ promiſſionem, ſed deſſignant, efficiuntque præſens animarum lavacrum, atque Spiritus regenerationem. Igitur hæc verba non ſunt promiſſoria, ut volunt Hæretici, ſed vere iuxta Eccleſiæ ſenſum conſecratoria.

Item promiſſio gratiæ non eſt facta in divinis Scripturis credentibus tantum, ſed credentibus qui Sacramenta ſuſcipiunt. Nam Marci 16. habetur; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit.* Ecce non dicitur tantum; *Qui crediderit ſalvus erit*, ſed ſtatim ſubiungitur, *& baptizatus fuerit.* Unde licet in Adulto fides, ut diſpoſitio ad Baptiſmi ſanctificationem requiratur, formalis tamen effectus ſanctificationis tribuitur gratiæ per ſuſceptum Baptiſmum collatæ, quæ ſanctificatio ita proprius eſt Baptiſmi effectus tamquam cauſſæ, non vero Fidei, ut etiam ſine fide ſanctificet Baptiſma, quomodo fit in parvulis, qui defectu uſus rationis fidei concipiendæ ſunt incapaces. Unde verba Sacramentorum non ſunt promiſſoria gratiæ collatæ credentibus, ſed collatæ credentibus, qui digne, ideſt rite, & recte diſpoſiti digne Sacramenta ſuſcipiunt. Dixi *digne ſuſcipiunt*, quia Chriſtus Dominus non abſolute promiſit credentibus vitam æternam, ſed dummodo ipſius obediant præceptis, dummodo baptizentur, Sacramentum ſui corporis digne ſuſcipiant. Hallucinantur ergo, imo ſimul mentiuntur, maximamque Deo iniuriam irrogant quique cenſent evangelicis verbis, quibus Sacramenta conſecrantur, gratiam fide ſola conſequendam promitti. Ita P. Berti 112.

Item Eccleſia ut certa ſit, ac ſecura de veritate ſeu validitate Baptiſmi collati non attendit ad fidem, doctrinam, inſtructionemque Miniſtri, nec ad fidem qua baptizatus baptiſmum ſuſceperit, ſed ad materiam, & ad formam ipſius baptiſmi collati, nempe an in alterutro facta ſit adulteratio, ſeu immutatio; ideſt an rite ſicuti oportet, ut validum ſit baptiſma, adhibuerit Miniſter legitimam materiam, & formam, vel non, ita ut baptiſmus nullus, & invalidus ob talem defectum ſit iudicandus. Ita Concil. Nicænum General. I. can. 19. Paulianiſtarum, & Laodicenum can. 8. Cataphrygarum Baptiſmum reprobavit.

Igitur verba Sacramentorum non ſunt concionatoria in Eterodoxorum ſenſu, ſed perfecte conſecratoria, ut catholica docet Eccleſia. Requiritur quidem concio reſpectu adultorum ante baptiſmum, iuxta illud Matthæi 27. *Docete omnes gentes*, ut diſponantur per fidem alioſque actus virtutum a Concil. Tridentino expoſitos ſeſ. 6. cap. 6. ſed non eſt pars Sacramenti, ut patet, ſicuti ſupra diximus in parvulis, quibus dum baptizantur inutilis foret concio, cum eam nec audire, nec intelligere valeant.

Nec ullatenus hic valet quod hic reſpondet Calvinus, nempe quod intelligent quando ad ætatem pervenerint; quia poſſunt morte præoccupari, ac proinde ad illam ætatem non pervenire, & ſic nec intelligere, nec credere; & tamen fatetur ipſe Calvinus non fruſtra eſſe baptizatos, in quo ſibi contradicit, quia cum iudicet non minus eſſe neceſſariam fidem ad eſſentiam baptiſmi, quam aquam; ſi vult baptiſmum nullum eſſe ſine aqua, quomodo poteſt baptiſmum in ſua ſententia valide adſtruere in parvulis ſine fide.

Nec eum ſalvat reſponſio, quod ſi concio captum infantis non attingat, attingit tamen auditum, & captum adſtantium. Nam 1. validus eſt baptiſmus collatus ab Infideli miniſtro ſine teſtibus; 2. nec fides, nec infidelitas teſtium prodeſt, aut obeſt baptiſmum ſuſcipienti.

Obiiciunt 1. illud 1. Petri cap. 3. ubi Apoſtolus loquens de arca, in qua pauci ſalvati ſunt, nempe octo animæ tantum, ſubiungit: *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium; ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum:* hic enim, notat Lutherus, in textu Græco pro *interrogatione* habetur *pactum*, ſeu *ſtipulatio*; idcirco infert, verba Baptiſmi eſſe ad excitandam fidem promiſſionum Dei, & confirmandum pactum quod anima init cum Deo.

Negatur conſeque. Locus enim citatus cæteroquin obſcuriſſimus, idcirco valde intellectu difficilis, in duplici ſenſu explicari poteſt: 1. videlicet ut Apoſtolus probet ex teſtimonio conſcientiæ iam poſt Baptiſmum pacatæ, noſtrum Baptiſma longe differre a Iudæorum purificationibus, in quibus ſordes tantummodo carnis tollebantur, cum in Baptiſmo conſcientia ipſa ſua tranquillitate & fiducia, quam habet ad Deum teſtetur peccatorum maculas vere elui, ac mundari. 2. ita, ut notet Apoſtolus ſponſiones, quæ a primis ſæculis fieri conſuevere a baptizandis, ut ex Tertull. habemus l. *de Corona Milit.* cap. 3. *Sub Antiſtitis manu*, ait, *conteſtamur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius*; hinc Baptiſmus ſolet appellari a Patribus ſponſio ſalutis, qua initiandus

re-

renunciat Diabolo, omnibus eius operibus pompiſque, ac pollicetur ſe impoſterum Chriſtum ſecuturum. Verum neſcio quid ex hoc inferre poſſint in ſui erroris patrocinium Novatores cum potius hoc teſtimonium arma nobis præbeat ad eumdem errorem impugnandum: docet enim expreſſis verbis, Baptiſmum nec ſalvare, ſicut aqua ſalvas fecit ab aquis diluvii octo animas; arca vero non per fidem promiſſionum ſed per ſe ipſam familiam Noe ſalvam reddidit.

Obiicitur 2. modum loquendi SS. PP. de Sacramentis, qui ea vocant *ſignacula pignora*, *arrhas*, & præcipue illud D. Auguſtini tract. 80. in Ioannem ubi ait: *Iam vos mundi eſtis, non propter Baptiſmum, quo loti eſtis, ſed propter verbum quod locutus ſum vobis*. Igitur Sacramenta non ſanctificant, ſed per fidem promiſſionem, quorum ſunt arrhæ, ac ſignacula, unde verba Sacramentalia ex S. Auguſtini doctrina ſunt mere concionatoria, neutiquam conſecratoria.

Reſp. verum quidem eſſe, ſicuti nos quoque fatemur, Sacramenta noſtra eſſe ſignacula ſignificantia, & obſignantia res ſacras, & pignora divinarum promiſſionum. Nam Deus exhibet in Sacramentis quod promiſit; v. g. in Euchariſtia dat corpus ſuum, ſuamque carnem, quam pollicitus eſt dandam Ioann. 6. In Baptiſmo confert Spiritum Sanctum in quo prænunciaverat Præcurſor fideles fore baptizandos Matth. 3. Nullus tamen SS. Patrum tradidit, iſta nobis conferri in Sacramentis, prout per verbum concionatorium fidem excitavit. Ad textum vero D. Auguſtini reſpondeo, S. Doctorem ibi dicere verbum mundare in Baptiſmo, non quia dicitur, ſed quia creditur, ideſt non prout eſt quid naturale, & ſonus tranſiens, ſed quatenus eſt verbum Chriſti ſupernaturale ſola fide apprehenſibile; *Aliud enim eſt* (ait S. D.) *ſonus tranſiens, aliud virtus manens*; non ita tamen ut velit mundationem fieri per verbum in Baptiſmo, quatenus actu creditur quod per ipſum ſignificatur: nam S. P. eſt totus ut probat, nec infidelitate miniſtrantis, nec defectu rationis in infante Baptiſmi effectum impediri.

§. XIV.

De Diviſione Formæ Sacramentorum.

Formæ Sacramentorum nulla agnita fuit apud veteres diviſio, ita ut ante octavum ſæculum una tantum forma abſoluta agnoſceretur: idcirco nulla in Scriptoribus qui illud ſæculum præceſſerunt invenitur mentio formæ conditionalis, ſicuti celebres Theologi huiuſce ætatis obſervarunt, ut Tourneleius, Eminentis. Gotti, Iuveninus, aliive. Imo præter quam quod nullam inveniant mentionem illis temporibus de forma conditionali, ex gravibus etiam momentis colligunt, tunc minime adhibitam fuiſſe formam hanc in Eccleſia. Nam ſæpe exorta prioribus ſæculis difficultate circa validitatem alicuius baptiſmi, nunquam invenimus factum fuiſſe recurſum ad rebaptizandum cum forma conditionali. Sed vel omiſſa eſt rebaptizatio, vel ſi grave erat fundamentum iudicandi baptiſmum ob aliquem ſubſtantialem defectum fuiſſe invalidum, facta eſt rebaptizatio cum uſu formæ abſolutæ, ut videre eſt apud graves Theologos, præcipue Iuvenin, Tournel. Berti hic. Et revera cum tale dubium propoſitum fuerit, ideſt quid in incertitudine Baptiſmi num collati fuerit S. Gregorio Magno labente 6. ſæculo, reſpondit, hiſce de quibus talis habetur incertitudo, ut nec ex ſcriptis, nec ex teſtibus veritas deprehendi queat, conferendum eſſe baptiſmum; nulla facta mentione formæ conditionalis: *Ne talis dubitatio* (ait) *ruina fidelibus fiat; quoniam non monſtratur iteratum quod non certis indiciis oſtenditur rite perfectum*. Ita habetur in Epiſtol. ad Felicem Epiſcopum Meſſanæ, quæ n. eſt 32. l. 12. Indict. 7. nunc 17. l. 14. Indict. 7.

Verum eruditi Theologi affirmant, formam conditionalem obtinuiſſe octavo ſæculo vertente, ſervatam quoque alicubi, ac ab Alexandro III. probatam fuiſſe ſæculo 12. communiter tamen in occidentali Eccleſia receptam fuiſſe ſæculo 13. ſedente Sum. Pontifice Gregorio IX. anno ſcilicet 1227. qui Decretalem Alexandri III. retulit in corpus iuris canonici; quæ Decretalis hiſce verbis concipitur; *De quibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, an non, omnimode abſque ullo ſcrupulo baptizentur, his tamen verbis præmiſſis: Non te rebaptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris &c.*

Ab eo vero tempore, uſque in hodiernum diem conſtanti praxi in Eccleſia ſervatur. Quare trita nunc eſt celebris formæ Sacramentalis diviſio in abſolutam, & conditionalem. Prior indicat abſolute actionem Sacramentalem, ut hæc verba, *Confirmo te*. Poſterior exponit eamdem actionem Sacramentalem præpoſita conditione, ut habetur; *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris &c.* Et de hac conditionali examinabitur, quibus in circumſtantiis Miniſter eam adhibere teneatur.

Forma conditionalis, ut notat Iuveninus, ante centum ab hinc annos adhibita fuiſſe videtur in dubio tantum de Sacramentis, quæ imprimunt characterem. DD. enim, qui a Decreto Alexandri III. uſque ad Concil. Tridentinum de re hac egerunt, iis locis, quibus aſſerunt formam conditionalem adhibendam eſſe, non memorant niſi tria Sacramenta characterem imprimentia, Baptiſmum ſcilicet, Confirmationem, & Ordinem, aliorumque procul dubio mentionem feciſſent, ſi forma conditionalis etiam in illorum adminiſtratione fuiſſet in uſu. Verum a centum fere ab hinc annis, etiam in Sacramentis, quæ poſſunt iterari, formæ conditionalis uſus obtinuit. Etenim præcipue in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ quando dubium eſt, vel ex parte ſubiecti, ſeu quando oritur morale dubium, an ſubiectum ſit illius capax, ut ſi fidelis improviſo morbo obmuteſcat; vel ex parte Miniſtri, qui dubitat, an verba omnia eſſentialia protulerit; in duplici hoc caſu formam conditionalem adhibendam eſſe contendunt, videlicet ob debitam Sacramento reverentiam, & ne is qui bona fide ad ipſum acceſſit, neceſſaria forſan illius acceptione privetur.

Notat hic Iuveninus, quod quando dubium exoritur de ſubiecti idoneitate ad Sacramentum recipiendum, & in Rituali illius Eccleſiæ non ſit præſcriptus uſus formæ conditionalis, ſecundum ſententiam aliquorum Theologorum non infimæ notæ eam non eſſe adhibendam, eo quia quiſque debeat ſe conformare in Sacramentorum adminiſtratione Rituali Eccleſiæ cui adſcriptus eſt, ut nil addat, nec minuat. Verum hoc in re tanti momenti, ſicuti & Sacramentorum collatio a qua ſalus pendet æterna, ut inter Sacramenta, quæ non imprimunt Characterem eſt Pœnitentia, quæ poſt Baptiſmum eſt ſecunda ſalutis tabula poſt naufragium, ut iuxta mentem Theologorum loquar, qua infirma pœnitentis contritio, ſeu attritio perficitur iuxta eorumdem affatum *per Pœnitentiæ Sacramentum fidelis ex attrito fit contritus*, mihi nimis aſpera videtur. Etenim ſic hæc forma conditionalis univerſim obtinuit in Eccleſia, & a pluribus ſæculis in univerſali Eccleſia per ſummos Pontifices in ſuis Decretalibus incluſa ut lex in corpore Iuris Canonici ordinata eſt ſaltem implicite, dum huiuſcemodi formam ſtatuunt pro aliis Sacramentis, quæ imprimunt Characterem, ſine ulla exceptione illorum, quæ characterem non imprimunt, & tacite ſemper a S. Sede approbata remanſit; nimis durum videtur, quod ob nimis rigidam eorum opinionem, qui in aliqua Eccleſia cenſuerunt non ponendam eſſe in illius Rituali, fideles illius Eccleſiæ privandi ſint beneficio facto iam univerſali, cum tanto ſpiritualis eorumdem ſalutis diſcrimine.

Ad hoc tamen, ut forma conditionalis adhibeatur, non ſatis eſt, ut qualiſcumque habeatur ſuſpicio; ſed ut omnes ſentiunt loquendo de Baptiſmo, præcipue Eſtius in 4. diſtinct. 4. §. 15. neceſſe eſt ut poſt diligentiſſimam, & accuratiſſimam inquiſitionem habeatur moralis certitudo, quod antea non ſit Baptiſmus collatus. Dixi *poſt diligentiſſimam, & accuratiſſimam inquiſitionem*; quodlibet enim prudens dubium ſupponit prævium, & diligens examen. Unde reprobat Eſtius ibidem uſum, ſeu potius abuſum quorumdam, qui paſſim, ac ſine diſcrimine Infantes ab Obſtetricibus, propter vitæ periculum baptizatos, iterum ſub conditione baptizant, non aliam dubitandi cauſſam habentes, quam quod muliercula forte, vel intentione deficere, vel in verbis proferendis hallucinari potuerit, cum tamen Obſtetrix teſtetur, ſe rite totum myſterium peregiſſe; contra quem abuſum graviter ſcribunt Dominicus Soto in 4. diſtinct. 3. art. 6. Petrus de Palude diſt. 6. q. 4. Tournel. 42. Et hoc de aliis quoque Sacramentis characterem imprimentibus eſt procul dubio aſſerendum. De Pœnitentia pariter ſi quis ſubito morbo correptus nec voce, nec ſigno peccata, animique dolorem manifeſtare queat, idem dicendum eſt, nempe talem moribundum ſub conditione abſolvendum eſſe. Nam & Clemens VIII. referente Homobono in Commentario reſſolutor. *de examine Eccleſiaſtico* l. 1. Tract. 7. cap. 18. labentem e fabrica templi Vaticani hiſce verbis abſolvit; *Si es capax, abſolvo te &c.* Si vero pœnitens ſit compos ſui, & certam materiam abſolutionis ponat, ſine conditione eſt abſolvendus; quoniam forma abſolutionis innovatæ confeſſioni, & iterato contritionis actui applicata non iterat Sacramentum numero idem, ſed aliud conſtituit. Licet enim peccata eadem ſint, innovantur actus pœnitentis, qui pœnitentiæ vera materia ſunt, & novæ materiæ novam formam ſine ulla culpa poteſt Sacerdos applicare. Quod ſi audita confeſſione, pœnitentem prolixis verbis doceat, & commonefaciat, hæſitetque animo, an abſolutionis verba protulerit, tunc ne irrita hæc ſit, & nulla, & ne Sacramentum irreverentia aliqua polluatur, conſultum erit ſub con-

conditione abſolutionem impendere hoc pacto: *Si non es abſolutus Ego te abſolvo &c.* Nam docet Dominicus Soto, in Sacramentis, quæ iterari poſſunt, non opus eſſe tanto examine, ſicuti in illis, quæ characterem imprimunt, ut adhibeatur forma conditionalis. In Pœnitentia enim (aiunt DD.) minus dubium, modo fundatum ſit, ſatis eſt, ut ſub conditione forma poſſit iterari, v. g. cum Miniſter certus non eſt, an eam debite protulerit.

§. XV.

De unione, quæ requiritur inter materiam, & formam Sacramentorum, ad eorum valorem.

Ad validitatem Sacramenti requiritur ut materia, & forma ſimul coexiſtant, ſeu requiritur moralis eorum ſimultas, quæ ſecundum ſignificationem verborum, ſufficiat tum ad veritatem formæ, tum ut verba cadere cenſeantur ſub talem materiam, & unum ſignum totale cum illa conſtituere. Sic in Baptiſmo requiritur talis coniunctio, ut dum miniſter verba profert, cenſeatur moraliter etiam lavare. Et hæc moralis unio ſatis eſt, quia Sacramentum eſt compoſitum quoddam morale ab hominibus conficiendum, ac proinde more humano; & maior unio ſæpe non eſt moraliter poſſibilis; quapropter Sacramenta ſæpe irrita forent, ſi hæc maior partium unio exigeretur.

Hæc unio vero diverſa eſt, pro diverſa Sacramentorum ratione. Etenim maior exquiritur in Baptiſmo ob formam, quæ actualem explicat ablutionem, & maior etiam in conficienda Sacra Euchariſtia, eo quod forma ſit demonſtrativa Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini ſub panis, & vini ſpeciebus, quorum ſubſtantiam deſtruit.

Sacramentum tamen Pœnitentiæ non requirit tam ſtrictam unionem; cum inſtitutum ſit per modum iudicii, in quo ſententia non ſtatim examen cauſſæ ſequitur. In Matrimonio unius conſenſus poteſt tamdiu alterius ſequi conſenſum, quamdiu hic moraliter perdurare cenſeatur, non ſecus ac in aliis contractibus; quia in natura contractus fundatur. Nihilominus tamen in praxi materia, & forma Sacramentorum, quantum fieri poteſt ſimul iungendæ ſunt.

§. XVI.

De inſtitutione, ſeu determinatione Materiæ, & formæ, num facta ſit a Chriſto Dominus in omnibus Sacramentis.

Quia in aliquibus Sacramentis ſunt nonnulla ſigna, ſeu ſymbola, ac verba quædam, quorum nulla ſit in divinis Scripturis mentio; immo quæ Eccleſia aut Græca, aut Latina non ſemper adhibuit; v. g. in Scripturis, nullibi legitur de Unctione chriſmatis, & iſtorum verborum, *Signo te ſigno Crucis &c.* ubi de Sacramento Confirmationis, quod collatum invenimus ab Apoſtolis per ſolam manuum impoſitionem, Actor. 8. Item nulla mentio inſtrumentorum, ac verborum; *Accipe poteſtatem* &c. in Sacris Miniſtrorum Ordinationibus peragendis, immo hæc numquam Eccleſia Græca adhibuit, nec ſemper hiſce antiquitus uſa ſuit Latina. Hinc duplex orta eſt controverſia inter Theologos; prima nempe, num huiuſmodi materia, & forma ſit Sacramento eſſentialis, an accidentalis dumtaxat, & integrans. Secunda, an & quando Chriſtus Dominus ſingulorum Sacramentorum materiam, formamque determinaverit. Ommiſſa prima, quæ ſuo loco reſolvetur, de ſecunda ſolummodo hic ſermo habebitur, quæ ex priori ortum duxit. Sed pro clariori intelligentia

Obſervandum 1. res, verbaque Sacramentorum duplici modo a Chriſto Domino determinari potuiſſe, nempe in genere, & in ſpecie. In genere ſi præſcripſerit tantummodo aſſumendum eſſe ſignum aliquod exterius, aptum, & idoneum ad finem ſignificandum inſtituti Sacramenti, & dederit Eccleſiæ facultatem eligendi ac determinandi tale ſignum. In ſpecie vero, ſi ipſemet Chriſtus Dominus ſignum illud notaverit, ac determinaverit cum lege, ſeu præcepto, ut illud ſemper adhibeatur, ut aqua in Baptiſmo, panis, & vinum in Euchariſtia. Et quod dicitur de materia Sacramentorum, illud quoque intelligendum de verbis, quæ eorum formæ rationem habent. Quocumque autem modo Chriſtum Dominum eam formam determinaſſe velis, ſive formaliter, ideſt quoad ſenſum tantum, & ſignificationem, non vero quoad ſonum & idioma; ſeu materialiter, ſcilicet quocumque Idiomate conferatur baptiſmus in nomine Patris &c. erit ratus & validus....

Obſervandum 2. Materiam noſtrorum Sacramentorum aliam in re quadam, ſeu ſub-

Digitized by Google

ſtantia phyſica conſiſtere qualis eſt aqua Baptiſmi, Oleum Confirmationis, panis, & vinum in Euchariſtia &c. aliam in actione quadam morali, ut ſunt actus pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ, conſenſus mutuus contrahentium, in Sacramento Matrimonii. Obſervant autem Theologi iſtud eſſe diſcriminis inter materiam Sacramenti phyſicam, & moralem, quod phyſica nullatenus a legibus Eccleſiæ dependeat, ut rata ſit, ac verum efficiat Sacramentum; e contra moralis his legibus ſubiaceat, ita ut ſi illæ obſervatæ non fuerint nullum ſit Sacramentum, ſed irritum. Sic poſt receptum Concilii Tridentini Decretum irritans Matrimonia clandeſtina, mutuus conſenſus contrahentium datum clanculum, & contra leges Eccleſiæ nullus eſt, irritumque facit Matrimonium, non quia mutata ſit materia a Chriſto Domino inſtituta, ſed quia perſonæ redduntur inhabiles ad contrahendum.

Lutherus lib. *de Captivit. Babilonica* docuit, Baptiſmum urgente neceſſitate conferri poſſe etiam in lacte, & alio quocumque liquore; ſed poſtea ſuum errorem retractavit, utpote contrarium expreſſis verbis Evangelii Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Theodorus Beza pariter cenſuit ubi deeſt copia panis, & vini, recte celebrari Euchariſtiam in communi cibo, & potu, qui ſupplet vicem panis, & vini. Sed contra hunc errorem ſtatuitur 1. de fide eſſe, Chriſtum Dominum determinaſſe ſaltem in genere materiam, & formam omnium Sacramentorum. Nam de fide eſt, Sacramenta omnia novæ legis a Chriſto Domino fuiſſe inſtituta ut definivit Concil. Tridentinum ſeſſ. 7. can. 1. & clarius patebit quando ſermo fiet de cauſſa ſeu auctore Sacramentorum. Igitur etiam certum erit, eorum partes, materiam ſcilicet & formam ſaltem in genere inſtituiſſe, ac determinaſſe, ſuiſque Apoſtolis præcepiſſe, ut ſigna quædam adhiberent apta ad ſignificandos hos, & illos effectus, ad quos producendos inſtituta ſunt Sacramenta.

2. Conſtat ex fide catholica, quod Chriſtus Dominus aliquorum Sacramentorum, nempe Baptiſmi, & Euchariſtiæ materiam & formam in ſpecie determinavit. Et clare patet ex Evangelio; nam de aqua Baptiſmi materia habetur Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* &c. De forma vero legitur Matthæi 28. *Euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Nec intereſt, quod Chriſtus Dominus expreſſe non dicat, verba hæc pronuncianda eſſe in baptizando; cum certum ſit ex conſtanti Eccleſiæ traditione, quod pronunciari debeant, & ideo Eccleſia olim reiecit baptiſmum Cataphrigium, & Pauliniſtarum, quia in illo non adhibebantur verba Evangelica, ſine quibus conſecrari nequit Baptiſma. De Euchariſtia quoque habetur Lucæ 22. *Accepto pane* (Ieſus) *gratias egit, & dedit eis, dicens; Hoc eſt Corpus meum*, tum ſubdit; *hoc facite in meam commemorationem*.

Advertendum vero, formam duorum prædictorum Sacramentorum a Chriſto determinatam fuiſſe non materialiter, ratione phraſis & idiomatum, ſed formaliter, & ratione ſenſus. Etenim validum eſt Baptiſma collatum a Græcis hiſce verbis. *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris &c.* Ex oppoſito vero certum eſt formas aliorum quinque Sacramentorum non ita fuiſſe determinatas, ſed Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ, ut determinaret quæ oratio adhiberetur pro Confirmatione, Ordine, & Extrema Unctione, quæ verba proferentur pro Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii, dummodo verba eſſent, quæ ſufficienter explicarent illorum Sacramentorum effectus; nam Græci aliis verbis, ac Latini confirmant, & ordinant.

Adhuc tamen gravis remanet difficultas circa Sacramentorum materiam, videlicet num Chriſtus Dominus hanc materiam determinaverit in ſpecie pro unoquoque Sacramento. Et circa hoc celebris verſatur inter Theologos controverſia. Plures enim, ut Magiſter ſententiarum, Alexand. de Ales, S. Bonavent. S. Thomas, aliive etiam ex recentioribus putant Chriſtum in ſpecie, non tantum in genere, determinaſſe materiam eorum Sacramentorum, quæ dum in terris degeret non ſolum inſtituit, verum etiam contulit; cæterorum vero, quæ ipſe hic non contulit, nonniſi generatim determinaſſe, relinquendo Apoſtolorum arbitrio, & Eccleſiæ, res, verbaque ſeligere, quæ apta eſſent ad ſignificandum Sacramenti effectum; ita tamen ut poſtquam alicubi Eccleſia unam materiam, aut formam præ alia elegerit, ea neglecta irritum ſit Sacramentum. Idcirco in illorum ſententia, ſi Latinus in Ordinatione utatur Græcorum materia, nulla erit Ordinatio. Verum cum verior videatur oppoſita ſententia hinc.

Reſſolvitur, materiam omnium Sacramentorum a Chriſto fuiſſe in ſpecie determinatam, & hanc ſtatuit Iuveninus ut probabiliorem, utpote quæ magis conſona videatur,

ſuu

tum Scripturæ, tum Concil. Tridentino. Definivit enim Concilium, Eccleſiam poſſe cæremonias, quæ in Sacramentorum adminiſtratione adhibentur, immutare, non vero eorum ſubſtantiam, qualis præcipue eſſet materia; *Salva* (ait S. Synodus) *eorum ſubſtantia*. In Scripturis porro non minus legitur materiam in ſpecie a Chriſto aſſignatam, ac ſtatutam, Sacramentorum Baptiſmi, & Euchariſtiæ, quam etiam aliorum Sacramentorum; nam manus impoſitio pro Confirmatione aſſignatur Actor. 8. his verbis; *Tunc imponebant manus ſuper illos*; & pro Ordinatione tum Diaconorum Actor. 6. *Orantes, impoſuerunt ſuper eis manus*; tum Præsbyterorum, & Epiſcoporum 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi . . . . cum impoſitione manuum Præsbyterii*. Item Oleum pro Extrema Unctione, Iacobi 5. Confeſſio peccatorum pro Sacramento Pœnitentiæ Ioann. 20. Mutuus conſenſus viri, ac mulieris pro Matrimonio, Epheſ. 5. Et hoc confirmat etiam conſtans uſus utriuſque Eccleſiæ, tum Latinæ, tum Græcæ, quæ ſemper in cuiuſcumque Sacramenti confectione, & adminiſtratione adhibuere materias cuiuſcumque Sacramenti expoſitas in Scriptura. Idcirco corruit fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Etenim ideo hanc opinionem ipſius fautores amplexi ſunt, quia contra rei veritatem viſum eſt ipſis, Latinos, & Græcos in adminiſtratione Confirmationis, & Ordinationis diverſa uti materia, quod falſum eſt, ut ſuo loco videbimus.

Nec valet quod reſpondent ad illud Concilii Tridenti, nempe ibi loquutum fuiſſe Concilium de aliquibus, non de omnibus Sacramentis. 1. quia Concilium opponit Sacramenta Cæremoniis, atque generatim ſtatuit, has, non illa poſſe immutari. 2. quia ubi lex non diſtinguit, nec nobis diſtinguere licet.

Obiiciunt ex dictis, formas omnium Sacramentorum non eſſe a Chriſto Domino determinatas, igitur nec materiam. Reſp. negando conſequentiam; & divina Chriſti auctoris Sacramentorum voluntas, a qua hoc dependebat, affert genuinam diſparitatis rationem. Ex pleniſſima enim, quam tenet diſpoſitione, materiam Sacramentorum determinare voluit, non vero formam. Et hoc conſtat, tum ex Scriptura, quæ uti vidimus deſſignat materias, non vero formas ſingulorum Sacramentorum; tum ex conſtanti uſu Eccleſiæ Sacrarum Scripturarum interpretis, quæ iiſdem materiis, non iiſdem formis dum uſa eſt, licet eumdem ſenſum exprimentibus, ſingula Sacramenta conſecravit. Et congrua huiuſce diverſitatis ratio afferri poteſt, quod res non ita pendent ex uſu hominum, ac verba. Cætera vero quæ hic obiici poſſent, reſolventur ſuo loco, quando ſingillatim agemus de Sacramentis.

§. XVII.

De mutatione, quæ fieri poteſt, tum materiæ, tum formæ in Sacramentis.

Mutatio formæ, vel materiæ in Sacramentis dupliciter contingere poteſt, ſubſtantialiter, & accidentaliter. Mutatio ſubſtantialis materiæ cenſetur eſſe, quando materia re, & nomine eadem non remanet, ſed quoad ſpeciem, vel uſum in aliam mutatur, ideſt ſecundum ſuam naturam, & ſecundum communem æſtimationem & uſum differt ab ea, quam Chriſtus Dominus inſtituit, & adhibet Eccleſia; ita ut in ordine ad uſus communes, & prout ſub tali nomine accipitur, nec ſit, nec communiter pro eadem, quæ antea erat, reputetur; ut ſi vinum fiat acetum; vinum enim nec eſt, nec communiter habetur eiuſdem ſpeciei, & naturæ cum aceto. Item vinum, aqua expreſſa ex floribus, herbis, fructibus &c. & quivis alius liquor, non ſunt phyſice eiuſdem ſpeciei, ac naturæ cum aqua naturali, & elementari. Quoad uſum communem humanum materia ſubſtantialiter mutatur, quando non eſt eiuſdem rationis, & naturæ, ac ea quam homines communiter ad talem effectum adhibent; unde cum homines communiter non utantur ad lotionem aqua congelata, nec maſſa cruda ad veſcendum pro nutritione; hinc & aqua congelata quoad communem uſum hominum non eſt eiuſdem rationis ac aqua naturalis, & elementaris ſoluta, & fluens; idem dic de maſſa cruda reſpectu panis. Quare nullum eſſet Baptiſma, quod miniſtraretur in vino, aqua ex floribus, herbis expreſſa, vel in alio liquore, vel cum aqua congelata; nulla conſecratio in aceto, maſſa cruda, &c. quia in his intercederet mutatio ſubſtantialis materiæ, vel quoad phyſicam materiæ naturam, vel quoad communem hominum uſum.

Mutatio vero accidentalis materiæ fit quando materia eſt eadem re, & nomine cum ea quam Chriſtus Dominus inſtituit, ſed non adhibetur eodem modo, ſeu nonnulla eius corrumpuntur accidentia, ut ſi vinum ſit ſolum aceſcens, non vero acetum; ſi ex commixtione parvulæ quantitatis vini, vel

vel alterius rei in aqua, aliquantulum tantum color & ſapor immutaretur, vel calida ſit, vel frigida, clara, vel turbida, maris, vel fontis, ſit panis azimus, vel fermentatus &c.

Mutatio autem Subſtantialis formæ contingere poteſt, vel non adhibendo verba vocalia, ubi eſſentialiter requiruntur, ut re ipſa in omnibus Sacramentis requiruntur, excepto Matrimonio; vel ſi ex mutatione, tranſpoſitione, adiectione verborum non remaneat idem verborum ſenſus a Chriſto Domino inſtitutus. Hinc ſi Arianus in baptizando diceret; *Ego te baptizo in nomine Patris majoris &c.* mutatio eſſet ſubſtantialis, quia omnino corrumperet ſenſum verborum, ut declaravit Concil. Nicenum I. quia non exprimeret Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium, quod Chriſtus exprimendum inſtituit Matthæi 28. ac proinde irritum redderet Baptiſmum.

Mutatio vero tantum accidentalis formæ intercedit, quando in verbis adhuc remanet idem ſenſus, ut ſi quis in baptizando, poſt Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem adderet ſequentia verba, *& B. Virgo te adjuvet*, cum tali enim mutatione accidentali validum ratumque eſſet Baptiſma.

Mutatio in verbis formæ, ut obſervant Theologi, facilius contingere poteſt variis modis, & primo per ſimplicem *mutationem*, quæ tripliciter fingi poteſt; ſcilicet ratione *idiomatis*; & hæc mere accidentalis eſt, ac plane indiferens ad rationem Sacramenti. Nam quocumque idiomate, ſeu lingua perficiatur Sacramentum, nihil refert ad eius validitatem, dummodo integra Chriſti ſervetur inſtitutio, ideſt integre idem ſenſus formæ habeatur. Caveat tamen Miniſter Sacramentorum, ut in eorum adminiſtratione alio utatur ſermone, quam qui publico, & communi uſu Eccleſiæ eſt receptus. Vel ratione alicuius *ſynonimæ vocis*, & quando vox ſynonima ſit eiuſdem ſignificationis, mutatio eſt tantum accidentalis, ut ſi loco, *Ego te baptizo*, dicat *lavo* vel *tingo*. Non ita tamen res ſe haberet, ſi aliud verbum ſubſtituatur diverſæ, ſive non æque diſtinctæ, aut claræ ſignificationis, ut ſi loco verbi, *Ego te baptizo* diceretur *purgo*, *mundo*, *vel refrigero in nomine Patris &c.* tunc enim mutatio foret ſubſtantialis, cum mundatio peccatorum in hoc Sacramento fieri debeat per modum ablutionis. Itidem ita eſſet, ſi quis nomine collectivo, ideſt nomine totius Trinitatis baptizaret, quia iubemur hoc facere in clara, & diſtincta invocatione trium Trinitatis perſonarum. Vel ratione *modi indicativi*, vel *imperativi*, *abſoluti*, vel *deprecativi*; & tunc pariter mutatio eſſet accidentalis, ac proinde nullatenus nocens integritati Sacramenti. Nam æque validum eſt Baptiſma Latinorum, qui actionem exprimunt verbo indicativo, *Ego te baptizo*, ac Græcorum qui verbo imperativo, *baptizetur talis* &c. Similiter vera eſt abſolutio in Sacramento Pœnitentiæ, tum Latinorum facta per verbum abſolutum, quam Græcorum per deprecativum.

Secundus modus mutationis verborum formæ fit per ſimplicem corruptionem eorumdem verborum; & hoc dupliciter contingere poteſt, vel ex ſola ignorantia, & hæc dicitur ſimplex corruptio, vel animo inducendi novum errorem. In primo caſu Zaccharias Papa cenſuit Baptiſmum non eſſe irritum. Nam interrogatus a Bonifacio Epiſcopo Moguntino 8. ſæculo, de Baptiſmo ob ignorantiam latini idiomatis collato per hæc verba; *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia &c.* reſpondit epiſt. 6. cit. cap. *Retulerunt diſtinct.* 4. *de Conſecrat.* quod ſi baptizans ita baptizavit ex ſola ignorantia romani ſermonis infringens linguam, non animo inducendi novum errorem, non poterat conſentire ad novum baptiſmum.

Advertendum vero, ut poſita intentione inducendi novum errorem corruptio verborum formæ irritet Sacramentum, duo requiri, quorum ſi alterutrum deſit, ratum nihilominus erit Sacramentum. Primum ut ſenſus formæ revera ſit ambiguus; nam ſi ſit apertus, & intentio prava, non officiet Sacramento, ut patet ex Baptiſmo ab Arianis collato, qui tametſi rite non ſentirent, ac docerent Filium non eſſe Patri æqualem, ideſt eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, atque eo ſenſu verba Baptiſmi proferrent, attamen validus erat Baptiſmus, quia nihil immutabant circa formam, quæ nullam habet ambiguitatem. Secundum, ut error Miniſtri ita exterius exprimatur, verbaque ambigua in talibus proferantur circumſtantiis, ut nonniſi in pravo ſenſu intelligi debeant. Igitur balbutiens, qui corrupte pronunciat formam, valide conficit Sacramentum; quia ex communi hominum uſu, forma ſic expreſſa idem ſignificat, ac alia prolata ab eo qui non eſt balbus. Sic Hab. 55.

Quæcumque tamen mutatio ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis caute fugienda eſt; quia ſi fiat cum advertentia, ſua culpa non caret, & quidem graviſſima, ſi mutatio ſit ſubſtantialis, ut patet ex S. Baſilio *de Sp. San-*

San-

Sancto cap. 12. Imo etiam accidentalis, ſi mutatio ſit notabilis, & abſque neceſſitate; ſive hoc contingat circa materiam, ſive in forma Sacramentorum, ut conſtat ex Concil. Trident. ſeſſ. can. 13. quia fieret contra præceptum Eccleſiæ, & uſum eius vim legis habentem in re gravi, quæ ad religionem pertinet. Unde Miſſale Romanum *de defect.* ait, eum graviſſime peccaturum, qui aliquid formæ Euchariſtiæ detraheret: quod dicendum ſi mutatio ſit etiam levis, quando fieret ex contemptu, vel ex animo inducendi uſum contrarium ritui Eccleſiæ, aut ex ſimili ſchiſmatica intentione. Nam tunc contemnitur Eccleſia, & Spiritus Sanctus, qui eam regit, & cuius inſtinctu ea inſtituit. Item ſi fiat cum ſcandalo, & periculo errandi in ſubſtantialibus. Ita ex Doctoribus, qui addunt, hiſce ſecluſis, mutationem accidentalem poſſe eſſe venialem ob levitatem materiæ.

§. XVIII.

De uſu materiæ, vel formæ dubiæ, vel probabilis tantum in Sacramentis perficiendis.

Circa hoc prius obſervandum, quod in duplici circumſtantia occurrere poteſt, ut Miniſter Sacramenta perficiat, vel urgente neceſſitate ſalutis proximi, puta ſi mortis periculum immineat, vel extra caſum huiuſce neceſſitatis. In primo caſu, cum Sacramenta pro hominibus ad hunc finem a Chriſto Domino inſtituta ſint, & meliori modo, quo fieri poteſt ſpirituali proximi indigentis ſaluti ſit ſubveniendum, ſi deficiat materia certa, Miniſter licite poteſt, imo debet uti materia etiam dubia; quia prudenter dubia remedia applicantur, quando certa deſunt, & indubitata, cum ſpes aliqua ſalutis ex illorum uſu mediorum oritur, ac moraliter apparet. Extra vero caſum neceſſitatis, & multo magis ſi materia certa haberi poteſt, qui utitur materia dubia, peccat mortaliter, ut conſtat ex D. Auguſt. qui l. 1. *de Baptiſmo* cap. 3. *Graviter* (inquit) *peccat in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quod certis, incerta proponeret.* Et hoc ratio ipſa manifeſtiſſime demonſtrat, videlicet, quia talis dubia materia, dubiam reddit veritatem Sacramenti, quod fieri nequit, dum neceſſitas non urgeat, & eo magis ſi certa ſuppetat, ſine gravi eiuſdem Sacramenti iniuria. Advertant igitur Pœnitentiæ Miniſtri quot criminibus ſe implicent, qui ad ſolam pœnitentium confeſſionem attendunt, eoſque promiſcue abſolvunt, nulla habita ratione doloris, ſeu contritionis ſaltem imperfectæ id-eſt attritionis, quam non ſolum dubiam, ſed prorſus nullam deprehenderent, adhibita diligentia, quam Sacramentorum Miniſtri adhibere tenentur.

Hinc ſequitur, quod extra proximi neceſſitatem, teneantur Sacri Miniſtri ſub mortali in iis, quæ pertinent ad efficaciam, & valorem Sacramentorum ſequi in praxi ſententiam tutiorem, relicta oppoſita, tametſi probabiliori. Nam alioquin exponeretur ſine ulla neceſſitate Sacramentum nullitati, cum valor & efficacia Sacramenti pendeat a ſola Chriſti Domini inſtitutione, & nullatenus ab hominum opinione quantumvis probabili, quæ immutare nequit, & ſupplere id quod Chriſtus Dominus voluit eſſe neceſſarium ad valorem, & effectum Sacramenti. Necullatenus ignorantia etiam invincibilis, licet excuſet a culpa, ſupplere poteſt defectum rei, quæ ad valorem Sacramenti requiritur. Igitur ſi opinio etſi probabilis falſa ſit, ut eſſe poteſt, & niſi re ipſa ponantur, ac adſint omnia, quæ Chriſtus inſtituit, ac exigit, Sacramentum erit invalidum, & ſine effectu.

Quare qui utitur materia, vel forma etiam probabiliori, relicta tutiori, dum neceſſitas non urgeat, vel ſecuram habere poſſit, graviter peccat tum contra Religionem, Sacramentum abſque neceſſitate periculo nullitatis, & ineficaciæ exponendo, quod eſt gravis iniuria, & Sacramento, & Chriſto ipſius Sacramenti authore, actionem eius nomine exercendo, eo modo, quo probabile eſt, non haberi Sacramentum, nec proinde effectum Sacramentalem; tum contra charitatem, quia ſine iuſta cauſſa proximum exponit periculo iacturæ maximi ſpiritualis boni, quod in valido Sacramento percipitur; tum contra iuſtitiam ſi Miniſter ſit Paſtor, eo quod proximus ius habeat, ut Sacramentum modo quantum fieri poteſt certo, & infallibili ei miniſtretur, quando ad illud ſuſcipiendum accedit; & ad hoc tacite ſe obligat miniſter, dum ad miniſtrandum accedit. Hinc damnata fuit ab Innocentio XI. propoſitio, quæ n. eſt 1. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, vel periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*

Et ob eaſdem rationes tenetur etiam ſu-

ſci-

ſcipiens ſequi in praxi ſententiam tutiorem, probabili relicta oppoſita in iis, quæ requiruntur ex parte ipſius ad valorem Sacramenti; quia videlicet exponeret Sacramentum periculo nullitatis, & inefficaciæ, quod grave eſt ſacrilegium.

Urgente tamen gravi proximi neceſſitate non minus ac, cum materia dubia, (certa deficiente) cum materia, ac diſpoſitione etiam probabili tantum, Sacramentum adminiſtrare poteſt Miniſter, imo & debet. Quia lex Charitatis præcipit, ut proximo in extrema neceſſitate, meliori quo poſſumus modo ſubveniamus, ideſt etiam probabili, quando per tutiorem hoc præſtare non valemus. Nec tunc ulla irrogatur iniuria Sacramento, aut ipſius auctori; quia cum Chriſtus Dominus inſtituerit Sacramenta pro hominum ſalute, vult ut in concurſu periculi utriuſque, magis conſulamus ſaluti proximi, quam reverentiæ Sacramenti, ac proinde etiam cum periculo nullitatis Sacramenti probabilem tantum, ſed tutiorem tamen, quando ad manus haberi poteſt, adhibendo. Et equidem charitatis lex, religioni prævalet.

Hoc profecto locum habet in Sacramentis tantum, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ut ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia; quia non licet ullum Sacramentum exponere periculo nullitatis, niſi adſit in homine periculum æternæ ſalutis. Idcirco numquam licet uti materia dubia in Sacramentis Euchariſtiæ, Ordinis &c. Hactenus P. Antoine.

§. XIX.

De repetitione formæ ſupra eamdem materiam.

Non licet ſupra eamdem materiam formam repetere, niſi prudens, ac rationabile exurgat dubium de validitate formæ iam prolatæ, vel de eius prolatione; quia cæteroquin fruſtra adhiberetur altera formæ prolatio, & non ſine gravi irreverentia Sacramenti. Et ſi extet huiuſcemodi dubium, forma iteranda eſt ſub conditione, ne irritum maneat Sacramentum cum illius irreverentia, & proximi damno. Dixi *dubium prudens, & rationabile*; quia dubium imprudens, quale ſolet eſſe in ſcrupuloſis non ſufficit, ſed contemnendum eſt. Nam ex ſe mortale eſt prolationem formæ Sacramenti, ſine neceſſitate, ſuper eamdem materiam innovare, cum hæc ſecunda formæ prolatio inutilis ſit, nec ſine virtuali, & interpretativa irriſione ita fruſtranee proferri poteſt.

§. XX.

De cauſſa efficiente Sacramentum.

Nota. Triplex ſolet aſſignari a Theologis poteſtas Sacramenta inſtituendi. Primam dicunt poteſtatem auctoritatis, ſeu poteſtatem principalem; & independentem, nullique communicabilem creaturæ, cum Creatura ſit eſſentialiter dependens, ita ut non competat Chriſto Domino niſi ratione divinitatis; unde hæc propria eſt Dei, & importat virtutem conferendi ſenſibilibus ſignis vim effectricem producendi gratiam. Secundam appellant poteſtatem excellentiæ, quæ quidem inſtrumentalis eſt, ſed inſtrumenti cum divinitate coniuncti, & eſt propria Chriſti ut hominis propter unionem hypoſtaticam humanitatis cum Verbo. Tertiam vocant pure miniſterialem ſive delegatam Eccleſiæ Miniſtris, quæ non extenditur niſi ad miniſtranda Sacramenta iam divinitus inſtituta, ut illa parent, efficiant ac diſpenſent. Quocirca triplex eſt cauſſa efficiens Sacramentorum novæ legis; prima & quidem principalis eſt ſolus Deus, ut iam antea dictum eſt in definitione Sacramentorum in genere; ſecunda eſt Chriſtus Dominus ut homo eſt. Tertia eſt Miniſter Chriſti in Sacramentis adminiſtrandis.

Poteſtas porro excellentiæ quatuor complectitur dotes. 1. quod Sacramenta operentur per meritum illius, cui competit talis excellentia. 2. quod illius nominis invocatione Sacramenta celebrentur. 3. quod ipſe habeat auctoritatem Sacramenta inſtituendi, & de facto inſtituerit. 4. quod Sacramentorum effectum ſolo voluntatis nutu, & independenter a quocumque externo ritu conferre poſſit.

Quantum attinet ad poteſtatem auctoritatis, pro certo tenendum, non poſſe ulli creaturæ communicari: ſola enim ſuprema cauſſa poteſt talem virtutem tribuere elemento, ut tangat corpus, & animam ſanctificet; quia cum gratia ſanctificans animam, ſit divinæ participatio naturæ, arrha Spiritus Sancti, & cæleſtis hæreditatis pignus, nonniſi ſummus Deus extollere nos poteſt ad conſortium divinitatis, nobiſque Spiritum Sanctum, & gloriæ, quæ pendet a Dei beneplacito, & promiſſione, pignus arrhamque tribuere.

Circa poteſtatem vero excellentiæ non poteſt certe communicari quoad omnes effectus puræ Creaturæ; cum nulla pura creatura

tura mereri poſſit de condigno alteri creaturæ peccatorum remiſſionem, nec pro ea plene ſatisfacere, eo quia ad hoc requiratur meritum infinitum, cuius capax non eſt pura Creatura; & competit Salvatori Chriſto Domino ob prærogativam unionis hypoſtaticæ ipſius humanitatis cum Divinitate: ex quo factum fuit, ut meritum ipſius redderetur infinitum, ac proinde capax, ut omnia gratiarum præſtantiſſima dona omnibus Adæ poſteris de condigno promereretur.

Non repugnat tamen communicari puræ creaturæ poteſtatem excellentiæ quoad reliquos effectus, ut cum D. Auguſt. tract. 5. in Ioannem, S. Thoma q. 64. art. 4. tenent fere omnes Scholaſtici; ait enim D. Auguſt. loco cit. *Poſſet Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſervo ſuo, ut daret Baptiſmum, tamquam vice ſua, & transferret a ſe baptizandi poteſtatem, & tantam vim daret baptiſmo translato in ſervo, quantam vim haberet Baptiſmus collatus a Domino &c.* Neque enim in hac Poteſtate aliquid apparet, quod contradictionem importet, vel veram creaturarum ſuperet conditionem; quia ſi creatura ex accepta Sacramenta inſtitueret, ipſa tamen creatura gratiam non efficeret; ſed Deo largiente illam ſenſibili ſigno alligaret, quod ſatis eſſe videtur ad Sacramenti inſtitutionem. Poſſet etiam Creatura ſine viſibili Sacramentorum medio gratiam cæteris impartiri, non quidem tamquam cauſſa principalis, ſed tamquam inſtrumentum a ſuprema dependens.

Sacramentorum inſtitutorem Chriſtum Dominum omnes fatentur.

Circa vero Sacramentorum novæ legis inſtitutorem nemo umquam Theologorum ambigere auſus eſt, Chriſtum Dominum fuiſſe horum omnium auctorem, cum hoc de fide catholica teneat, ac doceat Eccleſia. Sola difficultas fuit olim, ideſt ante Tridentinum, ut notat Bellarminus l. 1. *de Sacram. in genere* cap. 23. inter Scholaſticos, num Sacramenta omnia immediate, vel mediate, ideſt mediante Eccleſia inſtituerit Chriſtus Dominus; & non perpauci fuerunt inſignis notæ, qui volebant aliqua mediate ſolummodo inſtituiſſe, inter quos fuerunt huius ſententiæ Hugo Vict. l. 2. *de Sacramen.* pag. 15. cap. 2. Magiſter Sentent. l. 4. diſt. 23. Alenſis, S. Bonaventura in 4. diſt. 7. art. 1. q. 1. Nam, hi dicunt, Sacramentum Confirmationis inſtitutum fuiſſe in Concil. Meldenſi poſt mortem Apoſtolorum. Pariter Alenſis q. 14. art. 3. S. Bonaventura diſt. 17. art. 1. q. 3. ac Marſilius in 4. q. 14. videntur aſſeruiſſe, Sacramentum Pœnitentiæ non a Chriſto Domino, ſed ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſe. Verum licet res ita ſit de eorum ſententia quoad Sacramenta Confirmationis & Extremæ Unctionis, quoad Pœnitentiam tamen veriſſime dici nequit hanc fuiſſe eorumdem ſententiam, cum Alenſis aperte doceat q. 14. art. 3. Pœnitentiam inſtitutam fuiſſe a Chriſto Domino, tam quoad materiale, nempe quoad illud quod ſe tenet ex parte pœnitentis, quam quoad formale, ideſt quoad illud quod eſt abſolutio, & poteſtas clavium. S. autem Bonaventura ait, *formale confeſſionis ideſt poteſtatem abſolvendi per ſe inſtitutam fuiſſe a Chriſto Domino: materiale vero ideſt accuſationem peccati a Chriſto fuiſſe tantummodo inſinuatam*. Parum tamen hoc refert. Etenim neque Confirmatio inſtituta eſt a Concil. Meldenſi (quod ut incertum habetur apud Gregorium a Valentia, qui tom. 4. pag. 529. ſcripſit non reperiri) in quo can. 44. 45. 46. agitur de conſecratione, & inunctione Chriſmatis, non autem de inſtitutione illius Sacramenti, ut habetur Tom. 7. Concil. pag. 1833. & D. Iacobus unctionem infirmorum cap. 5. commendavit, præcepitque, ac iuxta Trident. ſeſſ. 14. promulgavit, non autem inſtituit.

Quidquid tamen ſit de opinione Theologorum, qui præceſſerunt Concil. Tridentinum, certum eſt, quod poſtquam idem Concil. ſeſſ. 7. can. 1. definivit omnia Sacramenta novæ legis a Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta eſſe, nemo prorſus ex catholicis Doctoribus auſus eſt oppoſitum ſentire, litteriſque mandare. Imo cum ex definitione Concil. Tridentini colligi videatur Chriſtum Dominum immediatum auctorem fuiſſe omnium Sacramentorum, & ex inde hæc facta ſit communiſſima ſcholarum ſententia, nimis audax eſſet hoc impugnare. Cum autem hæc immediata omnium Sacramentorum inſtitutio ſpectare ad fidei decreta non conſentiant Scholaſtici celebriores; hinc affirmant alii, hoc eſſe de fide tenendum, ut Bellarminus cit. loco, Becanus, Vaſq. Du-Hamel, aliive, negantibus aliis, affirmando hoc a Patribus Tridentinis non fuiſſe definitum, ut Eſtius in 4. diſt. 1. §. 16. Suarez, aliive. Hiſce vero poſitis ſit.

De fide credendum eſt, Chriſtum Dominum, ſive immediate per ſe, ſive mediate & per Eccleſiam Sacramenta omnia novæ legis inſtituiſſe. Ita enim definivit Concil. Tridentinum ſeſſ. 7. can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Ieſu Chriſto Domino inſtituto... anathema ſit.*

Ille

Ille enim inſtituit ſive mediate per Eccleſiam, ſive immediate & per ſe Sacramenta omnia, qui materiam, formamque omnium Sacramentorum, ſive ſpeciatim, ſive generatim, quod factum fuiſſe a Chriſto antea iam diximus, determinavit. Igitur patet, omnia legis novæ Sacramenta, ſive immediate, ſive mediate Chriſtum Dominum inſtitutorem, auctoremque habuiſſe.

Non eſt tamen de fide ſecundum aliquos Doctores, Chriſtum Dominum immediate, & per ſe omnia legis novæ Sacramenta inſtituiſſe. Etenim non eſt de fide, Chriſtum Dominum determinaſſe in ſpecie materiam, & formam omnium Sacramentorum, nec Patres Tridentini inſeruerunt cit. canone adverbium *immediate*, ne damnare viderentur ſententiam aliquorum Theologorum, qui ante & poſt ipſum Concilium docuerant, ac docent Chriſtum Dominum reliquiſſe arbitrio Eccleſiæ determinare materiam, & formam aliquorum Sacramentorum, ac proinde cum haſce in ſpecie determinaverit in Sacramentis Baptiſmi, & Euchariſtiæ, tenent eſſe de fide, Chriſtum Dominum Baptiſmi, & Euchariſtiæ Sacramenta immediate, ac per ſe inſtituiſſe.

Verum licet Concilium Trident. explicite non definierit Chriſtum Dominum Sacramenta omnia legis novæ immediate inſtituiſſe, veroſimilius certe & magis conſone Scripturæ & Tridentino ſentiunt ii, qui volunt noſtra Sacramenta omnia immediate a Chriſto Domino fuiſſe inſtituta, tametſi non prorſus aperte ex divinis Scripturis hoc colligatur. Primo quia Apoſtoli, in apoſtolicis litteris appellantur diſpenſatores, non vero auctores Sacramentorum. D. enim Paulus 1. Corinth. 3. v. 5. ait: *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Ita & D. Petrus epiſt. 1. cap. 4. v. 10. Secundo quia ex definitione citata Concilii hoc patet, dum in ea fide credendum proponit ſub pœna anathematis, Chriſtum Dominum Sacramenta inſtituiſſe; unde licet non dicat *immediate*, hoc facile ex tali definitione deducitur. Nam *inſtituere*, idem eſt & ſignificat, ac decernere, erudire, inchoare &c. ut notat hic P. Berti. Statuere enim, & inchoare eſt prima inſtitutio; promulgare autem, quod factum fuit per Apoſtolos, atque erudire, inſtitutionem ſupponit. Tandem Chriſtus Dominus, ut ſupra ex Scripturis demonſtratum eſt, omnium Sacramentorum materiam in ſpecie determinavit. Unde conſequitur omnia noſtra Sacramenta immediate inſtituiſſe. Et quidem ſi Deus immediate inſtituit veteris legis Sacramenta, tametſi eſſent egena atque infirma elementa; multo magis dicendum eſt, per ſe inſtituiſſe Sacramenta legis novæ, quæ perfectiora ſunt, & ſymbola cæleſtium donorum efficientia.

CAPUT II.

De Miniſtro Sacramentorum novæ Legis.

§. I.

Quinam ſit Miniſter Sacramentorum novæ Legis.

IMpudentiſſimus quidem eſt error Lutheri, qui lib. *de abroganda Miſſa* auſus eſt dicere, non ſolum omnes fideles, at Angelos, imo etiam Dæmones poſſe legitime adminiſtrare Sacramenta, ita ut præcipuos Miniſtros, ad hoc divinitus deſſignatos excludat ab Eccleſia Dei; dum ſectæ etiam ſuperſtitioſæ Gentilium pro ſuis falſis Myſteriis ſuos habuere Miniſtros, & Deus in inſtituenda ſinagoga per Moyſen in lege veteri voluit ut Sacerdotes, & Levitæ, ideſt præcipui Miniſtri conſecrarentur, qui ante eum in tabernaculo, Sacrificia, aliaque ſacra miniſtrarent. Contra quem errorem dicimus cum Eſtio in 4. diſt. 1. §. 21. non ita inſtituta eſſe Sacramenta novæ legis, ut vel ſine Miniſtro celebrari queant, vel quodlibet eorum indiferenter, & promiſcue a quolibet poſſit adminiſtrari; Sed Miniſtrum omnino requirunt, eumque certum, iuxta divinam ordinationem ad hoc deſſignatum, ac conſecratum: & ſi hoc deſit, vel irrita eſt, & nulla, vel non legitime fit actio Sacramentalis. Ita definiere PP. Concil. Florentini ſeſſ. 7. cap. 10. *Si quis dixerit* (ita habetur in cit. cap.) *chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit*. Nec ſolum damnatur hoc canone quod dicebat Lutherus, omnes Chriſtianos eſſe æqualiter Sacerdotes, ſed quod etiam addebat, non licere tamen cuicumque Chriſtiano eadem uti poteſtate, niſi accedat conſenſus communitatis, aut vocatio maiorum, ut habetur in eius libro *Captivit. Babilonicæ*, cum ipſius ſententia duos includat errores; falſum enim eſt, quemlibet Chriſtianum pollere ſacerdotali poteſtate verbi, & adminiſtrandi Sacramenta, cum talis poteſtas non ſit communis omnibus chriſtianis, ſed iis tantum competat, qui eam Eccleſiaſtica ordinatione accepere; ac ea uti debeant non ad præſcri-

ptum

ptum communitatis, ſed ex mandato & voluntate Præfectorum Eccleſiæ. Contra quem ſit.

Solus homo viator miniſter Sacramentorum.

Solus homo viator iuxta catholicam Eccleſiæ doctrinam eſt ordinarius Sacramentorum Miniſter. Nam videmus ex Scripturis, ſolis hominibus Chriſtum Dominum poteſtatem contuliſſe miniſtrandi Sacramenta, Matthæi 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata &c.* & Apoſtolus ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex*, ait, *aſſumptus eſt ex hominibus*. Et ex Traditione conſtat hoc dictum 1. fuiſſe hominibus ad excluſionem Angelorum; nec animabus a corpore ſolutis hoc dictum invenimus, ut clare habetur in D. Chriſoſtomo l. 3. de Sacerdot. *Neque enim ad illos* (ideſt, ut habet ante, Angelos) *dictum eſt, quæcumque ligaveritis &c.* & hoc ex ipſa etiam evincitur ratione. Cum enim Eccleſia viſibilis ſit, & ſignis etiam ſenſibilibus ad populi Chriſtiani unionem fovendam Chriſtus Dominus alligaverit virtutem ſanctificandi, congruum erat, ut etiam Sacramentorum miniſterium hominibus in corpore viventibus committeretur. Inſuper Sacramenta conſtant etiam verbis humano modo prolatis, quæ ita ab Angelo, & anima e corpore ſeiuncta efformari nequeunt. Et revera ſtatus viatoris continetur in conditionibus, quas SS. PP. in miniſtro Sacramentorum requirunt. Imo Apoſtolus ipſe Hebr. 5. hoc exigit, dum ait de huiuſcemodi Miniſtro; *Ex hominibus aſſumptus eſt... ut condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant* &c

Ponunt tamen Angeli, & Beati in Cœlo regnantes Sacramenta extraordinaria poteſtate conficere. Ita enim docet D. Auguſt. l. 2. contra Epiſt. Parm. cap. 15. n. 34. Et certe Deus non ita gratiam ſuam ſignis ſenſibilibus alligavit, ut nequeat alia ratione illam impertiri. Igitur, ait loc. cit. S. Thomas, *non ita alligavit Sacramentale miniſterium hominibus viatoribus, ut illud committere non poſſit Angelis, ac animabus Beatorum*. Varia autem de hoc extant veriſſima exempla, quod Angeli non ſolum miniſtrarint, imo etiam confecerint Sacramenta. Nam Sacra Synaxi, ſeu communione Dominici Corporis refecerunt præter alios complures D. Agnetem Politianam, Marcum Eremitam, Bonaventuram inſignem Eccleſiæ Doctorem &c.

Non quilibet tamen homo Chriſtianus eſt Sacramentorum Miniſter, excepto Baptiſmo in caſu neceſſitatis, in quo etiam Mulieres hoc miniſtrare poſſunt; ſed ii ſolummodo, qui eccleſiaſtica ordinatione poteſtatem receperunt, ideſt Sacerdotali Ordini ſunt initiati. Et patet ex eo quod in Eccleſia admitti debeat presbyterorum miniſterium, & Sacramentum Ordinis, cum doceat Apoſtolus ad Epheſios 4. conſtitutos eſſe in Eccleſia Paſtores, & Doctores a plebe diverſos; *in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti*; & ad Hebræos 4. eum honorem vult ſibi tantum vindicare poſſe, *qui vocatur a Deo tamquam Aaron*; & lect. 20. v. 28. ait idem Apoſtolus quod Spiritus Sanctus *poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Inſuper non omnibus fidelibus, ſed ſolis Apoſtolis dictum eſt Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata &c.* & Matth. 18. *Quæcumque ſolveritis &c.*

Hoc quoque perpetua docet Traditio. In Concil. Nicæno I. Generali declarata fuit nulla, & irrita ordinatio Schiriæ, quia Colluthus, qui manus ei impoſuerat, non erat Epiſcopus. Presbiter non poteſt ordinare ex S. Hyeronimo, & ex Concil. Meldenſi. Ex quo ſequitur non quemlibet etiam Sacerdotem eſſe cuiuslibet Sacramenti Miniſtrum; Nam, uti ſuo loco videbitur, quædam tantum ab Epiſcopo miniſtrari poſſunt, ut Confirmatio, & Ordo; quædam vero ab omnibus Sacerdotibus, ut Euchariſtia, Abſolutio, Extrema Unctio, Baptiſmus.

Nota 1. quod cum nomen homo ſit promiſcuum tum viro, tum mulieri, dum dicitur ſolus homo viator eſſe Sacramentorum miniſtrum, intelligitur de ſolis viris, nempe de homine maſculini generis, & neutiquam de mulieribus. Conſtat enim ex perpetua traditione, & praxi Eccleſiæ, mulieres omnino excludi a Sacra Ordinatione, & Eccleſiæ miniſterio.

Nota 2. quod etſi ſolus Deus tamquam principale agens operetur internum Sacramenti effectum, miniſter tamen ſuo modo, ideſt miniſterialiter per modum inſtrumenti ad eumdem effectum concurrit, applicando videlicet formam materiæ, & actionem Sacramentalem circa ſnſcipientem exercendo. Neque enim agit miniſter tamquam merum inſtrumentum, cuiuſmodi ſunt inſtrumenta inanimata, quæ tantum moventur ab alio, ſed ut inſtrumentum vivens, & animatum anima rationali, quod videlicet movere etiam ſe ipſum poſſit ex iudicio rationis ad opus, cuius efficiendi miniſterium gerit:. Unde effectus Sacramentorum recte miniſtro tribuitur. Dicitur enim remittere peccata

Ioann.

Ioann. 20. gratiam per manuum impoſitionem conferre 1. ad Timoth. 4. Idcirco ſi revera ille eſt cauſſa efficiens alicuius effectus, per cuius actionem effectus ille producitur, profecto miniſter proprie eſt cauſſa ſaltem inſtrumentalis Sacramentorum, cum per actionem Miniſtri, puta abſolutionem, unctionem, gratia per ſe immediate producatur.

Excipiendum eſt tamen Sacramentum Euchariſtiæ, quod non conſiſtit in uſu, ſicuti cætera Sacramenta, ideoque gratia in eo producitur remote tantum per conſecrationem, quæ eſt actio miniſtri; proxime vero per corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis.

Dices: 1. Petri 2 dicitur omnibus Chriſtianis; *Vox autem genus electum, regale Sacerdotium*. Igitur omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes. Reſpondeo, chriſtianos omnes eſſe ſacerdotes improprie, quomodo & Reges ad offerendas ſpirituales hoſtias, ideſt bona opera; quo ſenſu dicitur Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*: & laudes Dei vocantur Oſee 4. *vituli labiorum*. S. enim Petrus deſſumpſit hæc verba ex cap. 19. Exodi, ubi diriguntur ad omnes filios Iſrael, qui certe non fuerunt omnes Sacerdotes proprie dicti, cum hic honor delatus eſſet ſolis filiis Aaron. Dicuntur quidem etiam chriſtiani omnes Sacerdotes, quoniam ſunt membra unius Sacerdotis, nempe Chriſti, ut ait S. Aug. l. 20. *de Civit. Dei* cap. 10. *Si omnes chriſtianos dicimus, propter myſticum chriſma, ſic omnes Sacerdotes*.

Ut autem miniſter Sacramentum legitime perficiat tria requiruntur, videlicet intentio, fides, & probitas.

§. II.

De intentione Miniſtri.

Nomine intentionis non aliud hic intelligitur, niſi voluntatis propoſitum, ac deliberatio, qua rem aliquam peragere intendimus, & volumus. Dixi *deliberata*, cum voluntas non exeat in actum, niſi prævia cognitione, & rationis iudicio, iuxta affatum, *ignoti nulla cupiditas*, ſeu ut aliud item communiſſimum, ac ſolemne Theologorum, *nil volitum, quin præcognitum*: Idcirco nulla intentio datur in dormiente, in amente &c. Item homicidium eſt præter intentionem, dum quis putans feram occidere, hominem interficit; neque mater intentionem haberet baptizandi, ſi ſordes corporales infantis abluendo diceret, Fili lavo te in nomine Patris &c. quia non cogitaret, nec cogitaſſet de Sacramentali baptiſmo faciendo. Et hoc dicendum pariter de ſeniore Sacerdote, qui dum inſtruit iuniorem circa ritum Sacrificii Miſſæ celebrandi, accipit panem, ac verba profert conſecrationis; quia cum totus ſit ad mere repræſentandum quod fit ab Eccleſia in Sacrificio peragendo, non vero ad faciendum, quod per hos ritus Eccleſia facit, nec veniat in eius mentem Sacrificium offerre, hic procul dubio non conſecraret. Hæc tamen deliberatio licet utpote ex animo proficiſcens ſemper interior ſit, eam tamen ob externam actionem qua ſe prodit, *externam* aliquando appellamus.

De intentione Miniſtri in Sacramentis conficiendis.

Quoad intentionem Miniſtri in Sacramenti conficiendis hanc requiri tenent omnes catholici de fide contra Lutherum, qui negavit, intentionem Miniſtri requiri ad Sacramentum perficiendum. Id enim definivit Concil. Tridentinum can. 11. ſeſſ. 7. hiſce verbis; *Si quis dixerit in Miniſtris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia; anathema ſit*. Et in hoc iam præiverat Martinus V. in poſtrema Concil. Conſtantienſis ſeſſ. anno 1418. & Eugenius IV. in Decreto Armenis anno 1439. ubi *Sacramenta*, inquit, *tribus perficiuntur, materia, forma, & perſona Miniſtri cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*. Et hanc doctrinam comprobant divinarum Scripturarum teſtimonia, ut habetur in Corinthior. cap. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; & Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis* &c. Ex his igitur conſtat, Apoſtolos miſſos fuiſſe non tamquam meros nuntios, qui ſimpliciter referant obſignatum mittentis mandatum, ſed tamquam diſpenſatores, & procuratores, qui prudenter & fideliter gerere debeant negotia Domini ſui, ac proinde cum intentione proprie dicta. Et ſic allatos textus intellexerunt, & explicarunt SS. PP.

Et equidem Chriſtus Dominus inſtituit Sacramenta, ut humana actione, ac ideo humano modo perficerentur; hinc ſolos homines Sacramentorum Miniſtros conſtituit. Quare cum humana actio non fiat niſi voluntarie, & cum rationis advertentia, evidentiſſime ſequitur, quod ad Sacramenta conficienda, & adminiſtranda, neceſſario concurrere debet intentio, ſeu voluntas Miniſtri, ſicuti requiritur in hiſce omnibus, quæ conſiſtunt in actione humana, quæ perfici nequeunt ſine voluntate, & intentione agentis.

Por-

Porro hic obſervandum circa intentionem quæ requiritur in miniſtro Sacramentorum ad hæc peragenda, aliam requiri, ut Sacramentalis actio valeat, aliam, ut huiuſmodi actio licite fiat.

Diviſio intentionis.

Hæc autem intentio generatim dividitur 1. in explicitam, ſeu expreſſam, qua aliquid in ſe diſtincte cognitum volumus: & in implicitam, ſeu confuſam, qua aliquid ſolum confuſe cognitum volumus, volendo ſcilicet aliquid ſub quo, vel in quo continetur. 2. in directam, qua quis deliberate vult adminiſtrare Sacramentum, ſeu facere quod facit Eccleſia, adeo ut adminiſtratio ſit obiectum immediatum actionis; & reflexam, qua quis reflectens ſupra adminiſtrationem iam directe intentam, novo, & diſtinctiori modo vult eandem adminiſtrationem, ut eſt Sacramentum, vel ritus ab Eccleſia frequentatus.

Intentio directa alia eſt operis, alia finis. Intentio operis ea eſt, qua quis vult ſimpliciter adminiſtrationem, ſeu cæremoniam ab Eccleſia frequentatam, nec cogitat de eius virtute, aut effectu, qui eſt ſanctificatio ſuſcipientis, imo forte illam inutilem exiſtimat, & ſuperſtitioſam. Intentio finis eſt ea, qua quis intendit ſanctificationem ſuſcipientis Sacramentum.

Intentio vero operis, alia dicitur interior, ſeu mentalis; alia exterior. Exterior eſt ipſa actio deliberate facta iuxta ritum ab Eccleſia præſcriptum. Interior eſt voluntas ſerio faciendi actionem exteriorem, & obſervandi ritum Eccleſiæ. Poteſt enim fieri, ut quis exterius videatur ſerio facere, quod facit Eccleſia, cum tamen intus in corde intendat dumtaxat mimice, & illuſorie illud repræſentare, & quod peius eſt baptizare in nomine Dæmonis, vel Idoli, licet exterius dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.*

Intentio interior ſextuplex aſſignari ſolet; nempe actualis, virtualis, habitualis, interpretativa, abſoluta, & conditionata. *Actualis* intentio ea eſt, qua quis actu vult conficere Sacramentum, puta baptizare, abſolvere. *Virtualis* eſt actio, quæ fit virtute præcedentis actualis intentionis, quæ tametſi tranſierit, cenſetur tamen adhuc moraliter permanere, quatenus agens, ſeu miniſter operatur. v. g. ſi Sacerdos actuali intentione conſecrandi accedit ad Altare, & paulo poſt diſtrahitur, ſeu ex humana infirmitate, vel etiam ex quadam negligentia, intentio illa evaneſcit, proſequitur tamen Sacrificium, cæremonias perficit, verba conſecrationis virtute actualis præcedentis intentionis profert; tunc actiones omnes ex actuali intentione procedentes, dicuntur intentio virtualis. Intentio *habitualis* eſt propenſio, ſeu inclinatio voluntatis, aquiſita per actus ſæpe repetitos, puta per frequentem Sacramentorum adminiſtrationem. Et hæc intentio poteſt remanere in dormiente, amente, & ebrio. Intentio *interpretativa* eſt diſpoſitio voluntatis, quæ talis eſt, ut interpretemus aliquem conſenſurum, aut facturum, ſi res propoſita in eius mentem veniret, vel de ea moneretur. Sic dicitur, quod fidelis adultus, qui ex vi morbi, rationis uſum amiſit, habet intentionem interpretativam recipiendi Sacramentum Extremæ Unctionis, licet de eo nunquam cogitaverit, quia ex eius anteacta vita colligimus, eum tantum beneficium expetiturum, ſi rationis uſu non careret. Intentio *abſoluta* eſt voluntas abſoluta, qua ſimpliciter, & ſine modificatione miniſter conficere vult Sacramentum. Intentio vero *conditionata* ea eſt, qua miniſter vult Sacramentum perficere ſub conditione tantum; unde ait v. g. *Si non es baptizatus, ego te baptizo; Si es vere dolens, ego te abſolvo.*

Verum cum obiectum, ſeu terminus intentionis illud ipſum ſit, quod miniſter intendit, ſeu reſpicit, dum Sacramenta conficit, & miniſtrat, & ex doctrina Concil. Tridentini illud idem *quod facit Eccleſia*, ſeu opus, & actio Eccleſiæ; hinc ſicuti intentio reſpectu ſui ipſius in plura dividitur genera & ſpecies, ita in eadem actione, ſeu opere in quod tendit intentio, hæc diſtingui, ſeu ſpectari poſſunt, nempe 1. ritus exterior ſolus, ac pure materialis, nulla prorſus facta conſideratione quod ſit ritus Eccleſiæ, nec ulla præſuppoſita intentione, ſeu voluntate faciendi quod facit Eccleſia. 2. ritus ille, prout eſt ritus Eccleſiæ, quæcunque tandem Eccleſia concipiatur, & cum directa voluntate ſive explicita, ſive implicita, & confuſa generatim faciendi, quod facit Eccleſia, abſtrahendo ab eo quod ſit verum Sacramentum, vel non, ideſt nulla facta attentione, ſeu conſideratione, an talis ritus ſit, vel non, verum Sacramentum. 3. ritus ſpectari poteſt ut eſt formaliter Sacramentalis, ſeu ut eſt verum ſacramentum. 4. tandem reſpici poteſt ritus prout eſt cauſſa efficax, ſeu productiva gratiæ ſanctificantis, & ordinatur veluti ad finem ad æternam felicitatem conſequendam.

Variæ hypoteſes circa

Et circa hæc variæ fingi poſſunt hypoteſes in ordine ad Miniſtrum utentem externo

Digitized by Google

mini-ſtrum u tentem externo ritu Ec-cleſiæ.

Eccleſiæ ritu v. g. ablutione in baptiſmo &c. quarum 1. eſt ſi miniſter ritum hunc faceret non ſerio, ſed per iocum, & irriſionem externam manifeſtam, ut ſolent Mimi, & Hyſtriones, itaut ſolummodo fingere vellet, & repræſentare ritum; & in hoc caſu cum aperta ſit exterius, & manifeſtata ipſius irriſio, & iocus, ut iam compertum, & in confeſſo eſt apud omnes, Sacramentum nec ratum eſſet, nec validum. 2. ſi de ritu Eccleſiæ nihil prorſus cogitans, conſtitutus v. g. in balneo, aquam ſupra puerum effunderet, cum verbis conſuetis, ad ſordes tantummodo corporis eluendas; & tunc pariter cum nullatenus intendat miniſter facere ritum Eccleſiæ formaliter, ut eſt ritus Eccleſiæ, ſed mere materialiter, & ad finem valde diverſum ab eo quem ſibi Eccleſia proponit, nec in hoc caſu quoque valet Sacramentum. 3. ſi miniſter ſerio exterius, ac in debitis circumſtantiis materialem, & externum Chriſti, & Eccleſiæ ritum debite impleret, ac obſervaret, intus vero, & animo intentionem ſuam ſuſpenderet, ac cohiberet, aut etiam contrarium gereret, ac diceret intra ſe: Nolo ritum Eccleſiæ perficere, imo contrarium intendo, & volo tantum, ritum illum exterius quamquam apparenter ſerio, fingere, ſimulare, ac repreſentare.

Quid no-mine in-tentionis internæ & exter-næ.

Quid autem ſibi velit, & importet hæc diſtinctio intentionis internæ & externæ, iam ſupra explicatum fuit in diviſione intentionis internæ, & externæ operis, nempe (cæteris ommiſſis explicationibus, quæ ab aliis traduntur) nomine intentionis externæ eam intelligi, per quam Miniſter exterius, & quidem ſerio, ac in debitis circumſtantiis, externum Eccleſiæ opus perficit, tametſi intus, & animo ſtatuat, vel ex malitia, vel ex ignorantia illud non perficere, ſed tantum fingere, & ſimulare. Interna vero ea dicitur, per quam Miniſter non tantum exterius ſerio agit, ſed etiam intus in animo vult ſimpliciter, ac generatim facere, quod facit Eccleſia, quidquid tandem talis miniſter ſentiat de Sacramento, vel de eius effectu, & fine, ac de Eccleſia ipſa; ſive enim ea omnia reiiciat, ſive admittat, perinde eſt ad ſubſtantiam Sacramenti, modo velit ſerio, intus, & apud ſe facere quod facit Eccleſia: Nam error privatus nocere nequit generali Eccleſiæ intentioni, nec conſequenter obſtare veritati Sacramenti. Hinc talis intentio dici ſolet intentio generalis & publica Eccleſiæ, ſeu miniſterii, quam Miniſter ſupponitur habere, quoties ſerio, & ut miniſtrum Eccleſiæ decet, in debitis circumſtantiis ritum ſacrum facit, ac obſervat, quem Chriſtus inſtituit, & adhibet Eccleſia. Tournel.

Duplex autem circa miniſtri intentionem in Sacramentis perficiendis verſatur difficultas. Una inter Orthodoxos, & Etherodoxos; & hæc quoad intentionem in ſe; altera inter ipſos Orthodoxos DD. & hæc quoad qualitatem intentionis, cum cæteroquin circa illius neceſſitatem in ſe, utpote de fide, ii omnes conveniant.

Novatores præcipue Lutherus, & Kemnitius cum iam ſupponant, iuſtificationem conſequi per ſolam fidem in divinis promiſſis, contendunt, nullatenus neceſſariam eſſe in conficiendis Sacramentis miniſtri intentionem, nec internam, nec externam, ita ut vel deſit, vel adſit etiam illuſoria, vera nihilominus Sacramenta confici, ut habet Lutherus in l. *de Captivit. Babilonica*; *Non dubitem*, inquit, *ſi quis in nomine Domini ſuſcipiat, etiamſi impius miniſter non det in nomine Domini, vere baptizatum eſſe in nomine Domini; non enim in conferentis tantum, quantum in ſuſcipientis fide, vel uſu, ſita eſt virtus baptiſmi, ſicut legitur exemplum de quodam mimo per iocum baptizato*. Similia habet Kemnitius part. 2. *in examine* ad can. 11. ſeſſ. 7. Concil. Tridentini, licet ſpecie tenus adhærere videatur Concilio. Hiſce cohæret Marcus Antonius de Dominis l. 5. *de Repub. Eccleſiaſtic.* cap. 12. ubi ait; *Hæc enim* (ideſt Eccleſiæ intentio publica) *actionem dirigit, non præſens* (ideſt privata) *intentio Miniſtri*. Et ſimilia habet n. 13.

Inter DD. vero catholicos, qui omnes ut dicebam, iam fatentur ut dogma catholicum neceſſitatem intentionis in Miniſtro ad Sacramenta perficienda, vertitur controverſia quoad qualitatem intentionis ad Sacramenti validitatem; videlicet, num ad veritatem Sacramenti ſufficiat exterior intentio iam explicata, ſeu num validum ſit Sacramentum, ſi omnia, quæ ad ipſum ſpectant rite, ac ſerio exterius obſerventur, licet miniſter interius aliud ſentiret, ideſt ſacrum ritum non peragere, niſi ficte, & illuſorie.

Sententia Ambroſii Catharini circa externam miniſtri Sacramentorum intentionem.

Duo ex inſignioribus Theologis, qui interfuerunt Concil. Tridentino, Salmeron nempe, & Ambroſius Catharinus ex celeberrimis Ordinibus alter Societatis Ieſus, alter Prædicatorum, (quorum primum miſerat Paulus III. ad idem Concilium, ut in eo nomine ipſius, Theologum ageret; alter ve-

ro

ro ſedit cum aliis PP. in Concil. ut Epiſcopus Minoritanus) dum eidem Concilio intereſſent, poſt editum can. 11. ſeſſ. 7. de neceſſitate intentionis in Miniſtro, anno ſcilicet 1547. cenſerunt, ac aſſeruerunt, ſicuti alii ex inſignioribus Theologis, qui ante idem Concilium floruere, ut Magiſter Sententiarum in 4. diſt. 27. litt. C. Petrus a Palude, dictus Paludanus ex Ordine Prædicatorum, Angelus de Clavaſio, Sylveſt. aliive, ſufficere ad valorem Sacramenti intentionem exteriorem, eamque ipſam eſſe, quam Concil. Tridentinum neceſſariam declaraverat. Ambroſius Catharinus hanc ſuam ſententiam publicam fecit Romæ in ſuo Opuſculo quod typis mandavit anno 1547. eamque ibi aſſeruit nemine reclamante; imo Iulius III. ad Campſenſem Archiepiſcopatum eum tranſtulit, quem ſane honorem ei non contuliſſet, ſi eum Concil. Tridentini definitionis ſenſui refragari ſeu contradicere, non dicam arbitratus, ſed ſolum ſuſpicatus fuiſſet. Et ampliſſime favet Catharino teſtimonium Card. Pallavicini e Societate Ieſu, qui l. 12. cap. 10. ſuæ Hiſtoriæ ſcribit can. 9. ſeſſ. 14. non eſſe expunctam Catharini, aliorumque ſententiam, qui opinantur ſufficere in miniſtro voluntatem ſerio agendi, nec obeſſe Sacramento, niſi iocum, *quem*, inquit, *Sacramentum ſuſcipiens cognoſcere poteſt*. Et in hac parte concordat cum *Soavi* qui ſuam hiſtoriam ſtante adhuc Concilio exaravit. Quare eſt fere extra omnem controverſiam, Concil. Tridentinum ita definiſſe contra Novatores, intentionem faciendi quod facit Eccleſia, neceſſariam eſſe ad veritatem Sacramenti, ut non attigerit quæſtionem, in qua verſamur, num intentio debeat eſſe interior, vel exterior ſufficiat, ſed liberæ id Scholarum concertationi reliquiſſe. Nec aliud Eugenius IV. præſcripſit Armenis in ſuo Decreto, ut colligitur ex S. Antonino, qui tempore Concilii Florentini, Florentinam regebat Eccleſiam, cum in 3. parte duas proponat S. Præſul opiniones tamquam probabiles circa intentionem Miniſtri, alteram quod interior ſit neceſſaria, alteram quod exterior ſufficiat. Quare ex œconomia Concil. Tridentini, quod dum proſcripſit Hæreticorum ſententiam excludentem neceſſitatem cuiuſvis intentionis ad valide Sacramenta conficienda, ſilentio omnino prætermiſerit ſententiam Catharini de ſufficientia externæ intentionis ad valorem Sacramenti, tametſi eam ſub oculis Patrum ipſius Concilii ediderit, & evulgaverit, nemo certo non videt, liberam eſſe ab omni prorſus ſuſpicione quod erroris ſeu ſententiæ Erherodoxorum adhæreat, ut eam talem cenſuerunt PP. Concil. Tridentini ex teſtimonio Cardin. Pallavicini l. 9. cap. 6. Hiſtoriæ eiuſdem Concilii, ubi ait, *Catharini ſententiam Patribus ſuſpectam non fuiſſe, nec illis fuiſſe in animo eam proſcribendi*; & l.19. poſtquam retulit verba Concil. Tridentini ſeſſ. 14. cap. 6. addit, *coniici poſſe haud eſſe expunctam ſententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium, Sacramento, quod ratum ſit, ſufficere in miniſtro voluntatem ſerio agendi, & obeſſe tantum iocum, quem Sacramentum ſuſcipiens cognoſcere poſſit*.

Nota, hic non agi quomodo in praxi Miniſter Sacramentorum ſe gerere debeat, ut hæc ſancta myſteria ea pietate, qua par eſt, non ſolum valide, ſed licite etiam, ideſt religioſe celebrentur, cum ii etiam, qui ſequuntur, propugnantque Catharini ſententiam, acriter pro debita Sacramentorum reverentia, ac veneratione contendant, internam cum externa intentione a Miniſtro aſſociandam eſſe, exprobrando ut immane facinus, & maxime Deo ipſiuſque Sacramentis iniurioſum aliter agere; ſed ſolum tantæ agitur concertatio, ut deprehendatur, quid ſentiendum de validitate Sacramenti ſi quando ſic daretur, ſicuti conſtat ab exemplis, quod iam fuere tales improbi Miniſtri, qui ex odio, vel alio pravo fine, non horruerunt tentare Sacramenti nullitatem, intus in animo ſimulando, fingendo, licet peragerent ſacrum ritum exterius ſerio, ideſt in omnibus ſuis circumſtantiis; Et in hoc caſu in ſententia graviſſimorum Theologorum, qui multo ante ita docuerant, dicendum cum Salmeronio, ac Catharino, talem actionem recipiendam eſſe pro vero, ſeu valido Sacramento, dummodo tamen ille miniſter intentionem habuerit faciendi opus quod facit Eccleſia, ut huiuſcemodi actio cenſenda ſit humana, dummodo prava eius intentio, aut ſimulatio ex modo ſerio exterius operandi cognoſci nequiverit, nec a ſuſcipiente, nec a quovis alio, qui eiuſdem miniſterio adfuerit.

Hanc ſententiam, utpote gravibus innixam momentis, quamplurimi amplexi ſunt celeberrimi, doctiſſimique Theologi, & maxime Pariſienſis facultatis Doctores, ac publici apud Sorbonam Profeſſores; & nunc præcipue eſt valde frequens; & ſicuti (cum aliena ſit a periculo iterandi Sacramenta, quæ characterem imprimunt) Contenſono, & meo videri optime quidem, non ſolum tuta, imo unice vera, ac certa, ſalvo tamen

men meliori S. Sedis iudicio, apparet; hinc fit:

Ad valorem Sacramenti ea in Miniſtro ſufficit intentio, qua ſerio, & attente, vult, & intendit facere, quod facit Eccleſia, ideſt vult peragere ritum illum, qui in Eccleſia religioſus habetur, tametſi ritum illum interius impietate irrideat, vel infidelitate deteſtetur, ac proinde eundem ſolum ficte, & ſimulate facere intendat, dummodo talis interna irriſio, & ſimulatio exterius non deprehendatur a ſuſcipiente, vel ab alio qui huic actioni præſens adſit.

Nota, Miniſtrum in Sacramentis conficiendis & miniſtrandis non gerere privatam vicem ſuæ ipſius particularis perſonæ, ſed publicam Chriſti, & Eccleſiæ, quorum Sacramenta ſunt publica ſymbola, quibus homines coadunantur, ac colligantur in unum Religionis corpus, ac Deo conſecrantur; Unde conſtat, Miniſtrum agere non ſuo nomine, ſed nomine, & auctoritate Chriſti, & Eccleſiæ, ac proinde huiuſcemodi actiones Sacramentales non pendent a ſola privata ipſius Miniſtri intentione, quæ ceteroquin ad talia opera exigitur; ſed etiam & principaliter a publica intentione Eccleſiæ, quæ vult, ut tales ritus, ſi humana ſerietate in debitis circumſtantiis peragantur, ſint vera Sacramenta, prædita ea ſanctitate, ac virtute productiva gratiæ, quam in eorum inſtitutione Chriſtus Dominus eiſdem contulit. Quare tametſi ad ſubſtantiam operationis Sacramentalis concurrere debeat etiam intentio Miniſtri, tamquam cauſſa publica inſtrumentalis ipſius Sacramentalis actionis, nequit tamen alia oppoſita ſua privata intentione falſa & erronea, quæ extrinſecus ut talis non detegitur, inficere, & corrumpere opus Dei, & Eccleſiæ quod peragit; Ita ut ſicuti valida eſt Scriptura Notarii, qui contractum ad legem, & formam a Principe præſcriptam accurate deſcribit, licet intus, & animo nollet eam valere; miniſter pariter Sacramentum vere conficit, quando ſerio, & cum omnibus requiſitis illud extrinſecus peragit, quamvis Sacramentum perficere nolit.

Iſtæ enim duæ voluntates, *volo ſerio facere quod facit Eccleſia*, & *nolo facere Sacramentum*, *niſi ſimulate*, & *illuſorie*, ſeſe mutuo impugnant; & cum illud ſit vere, & ſimpliciter volitum, & volitum ut tale, quando ſi ponatur, per quaſdam circumſtantias ad tale eſſe determinatur; hinc cum unio formæ cum materia Sacramentorum ſerio, ideſt humano prudenti modo facta in datis circumſtantiis, iuxta Chriſti inſtitutionem, ac publicam Eccleſiæ intentionem, fit Sacramentum, quando talem unionem, ſeu actionem Sacramentalem intendat Miniſter, ſerio extrinſece in ſuis circumſtantiis peragere, velit, nolit, eſt verum Sacramentum, cum actio primæ intentionis in ſua executione fiat ſimpliciter volita, ac proinde impeditiva alterius oppoſitæ, quæ remanet mera, & inefficax velleitas: Ita ut Miniſter in tali caſu perinde ſe habeat, ac ille, qui ſtatueret velle ignem applicare ſegeti, & nolle ſegetem comburere. Hiſce igitur ſuppoſitis, fit.

Miniſter accedens ad actionem Sacramentalem peragendam cum ſimplici ac generali intentione, ſeu voluntate ſerio faciendi, quod facit Eccleſia, & exterius, ut Eccleſiæ miniſter ſerio ritum Sacramentalem, ſeu unionem formæ cum materia, iuxta Chriſti inſtitutum, & Eccleſiæ morem peragit, valide Sacramentum conficit, tametſi interius ex ſua perverſitate intendat non ſe gerere in tali actione tamquam Eccleſiæ Miniſtrum, nec per eandem actionem Sacramentum conficere, ſed hoc fingere tantum, & ſimulare. Et hæc fuit ſententia D. Auguſtini, qui l. 7. *de Baptiſm. contra Donatiſtas* cap. 53. aſſeruit, imo tamquam principium ſua ætate certiſſimum ſupponit, valide baptizare in Eccleſia etiam fallaces, ideſt qui ficta intentione animi ſerio exterius agentes, eos qui adſunt celebrationi ritus, fallunt, dum tali ſua extrinſeca ſerietate agendi eos inducunt ad credendum, etiam interius ipſos ſe geſſiſſe tamquam Eccleſiæ Miniſtros; utitur enim eo principio ut ſolvat caſum de qui mimo, initio iocans, poſtea repente correptus, extra Eccleſiam catholicam ſerio recepit Sacramentum. *Si* (ait S. D.) *nihil intereſt ad integritatem Sacramenti in ipſa catholica Eccleſia, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant, cur extra ſit non video, quando ille, qui accipit, non ſimulatione palliatus, ſed religione mutatus eſt*. Ecce quomodo S. Auguſtinus ſupponit id quod in controverſiam trahunt Recentiores, nihil nempe intereſſe ad integritatem Sacramenti internum agendi animum, modo idem exterius peræque ſerio prudenter agatur. Nec nomine Miniſtrorum fallacium intelligit S. Auguſt. eos Miniſtros etiam exterius ſimulantes, ut in mimo, aut habentes affectum ad peccatum, ut obſervat P. Iuvenin. Non primum, quia fallaces opponit baptizantibus in mimo; non ſecundum quia, fallaces opponit vera-

veracibus , qui etiam extra Eccleſiam reperiantur ; veraces autem veritate præparationis, ſeu non habentes affectum ad peccatum mortale extra Eccleſiam non reperiuntur. Igitur nomine *fallacium* intellexit Miniſtros , qui ſerio quidem exterius baptizant, ſed interius , & apud ſe ipſos dicunt ſe nolle baptizare ; ac proinde ex S. Auguſt. valet Sacramentum, quamvis Miniſter poſitive nolit interius illud conficere , modo ſe gerat exterius tamquam Eccleſiæ Miniſtrum , & formam ſerio cum materia coniungat. Et hanc ſuam ſententiam clare explicat S. D. dum concludit quid agendum, ſi huiuſcemodi ſimulatio Miniſtri detegatur; nempe quod neutiquam renovandus ſit Baptiſmus ſimulate, ac ficte collatus : ſed Miniſter, qui ita improbe ſe gerit, excommunicatione mulctetur , vel pœnitentia ſuum diluat reatum. *Et tamen* (ait S. P.) *ſi poſtea prodatur* (ideſt ſi occulta fallacia dantis , aut accipientis detegatur) *nemo repetit, ſed aut excommunicatione punitur illa ſimulatio* (dantis , ſeu accipientis) *aut pœnitendo ſanatur*.

Hanc ſententiam, nempe valere Sacramentum collatum a Miniſtro , qui ex una parte vult ſerio facere actionem Sacramentalem, quam facit Eccleſia , & ſerio , ac prudenti modo exterius eam peragit , ſed ex alia non vult in tali actione, niſi ſimulate, & ficte facere Sacramentum, videntur comprobaſſe etiam antiqui PP. Nam quotieſcumque ortum fuit dubium , an baptiſma , vel aliud aliquod Sacramentum valeret , imperarunt, ut vel abſolute , vel ſub conditione iteraretur; nunquam tamen leguntur idem ſtatuiſſe de baptiſmo dato a Miniſtro, qui ſuam interius retinuit intentionem. Etenim pro valore Sacramenti ſolum mandarunt Patres , ut diligenter inquireretur , num baptiſma collatum fuiſſet per diſtinctam trium Perſonarum invocationem ; utrum materia ſubiecto, ut par eſt , fuiſſet applicata ; an recipientes Sacramenta exterius contradixiſſent ; utrum Miniſter exterius mimice ritum ſacrum peragiſſet : an vero Miniſter ſuam intentionem interius retinuiſſet, nec ne, ideſt utrum interius voluiſſet tamquam Miniſtrum Eccleſiæ ſe gerere, aut contrarium habuiſſet propoſitum , nulla omnino ratione id ſcire curarunt. Imo ex S. Auguſtino cit. l. & cap. *de Baptiſmo*, ſtatuerunt, hoc nullatenus curandum , cum ibi S. D. confirmet , ac potius ſupponat , *tamquam præteritum Maiorum ſtatutum* (determinatum) *nihil intereſſe ad integritatem Sacramenti , utrum id aliqui fallaciter , an veraciter agant*. Et revera PP. iudicarunt , valere baptiſma datum etiam ab Atheo , dum graviter dubitare , ac ſuſpicari non ſolum poterant , quin imo debuerant, num tales homines perditi , ac cuiuslibet Religionis perduelles, quibus Myſteria Eccleſiæ fabulæ videbantur , ſuam intentionem retinuiſſent quoad religioſitatem ritus Sacramentalis, & intus hoc finxerint, ac ſimulaverint , licet ſerio, ac rite illud exterius peregerint.

Inſuper non minus requiritur intentio dantis , quam accipientis ad Sacramenti valorem , ut iam omnes fatentur, quia non minus humano modo conferri debent Sacramenta, quam recipi; ſicut ergo Pontifices, ac Patres , ut Innocentius III. 3. part. Decretalium tit. 42. cap. *Maiores*, S. Thomas q. 68. art. 6. ad 2. aliive approbarunt validum baptiſma exterius ſerio & ſpontanee, ſimulate vero interius, vel cum interna voluntatis reluctantia ſuſceptum; quomodo validum non erit cenſendum, quando etiam Miniſter ſerio, & rite illud exterius conferat , licet intus ſimulet, ſeu renuat talem actionem , ut ſacram, & ſanctificantem , alicui ſubiecto applicare, dum quoad intentionem tam in dante , quam in ſuſcipiente currit par ratio.

Hic afferre poſſem celeberrimos Theologos, qui floruere ante Concil. Tridentinum , ut Magiſtr. Sentent. Paludan. Angelum de Clavaſio, Sylveſtr. alioſve, quos adducit in favorem huius ſententiæ P. Contenſonius , eo quia ita ſentirent; ſed brevitatis gratia his omiſſis , quos iam Lector videre poteſt in P. Contenſono p. 191. hic mihi ſufficiat afferre pro aliis omnibus auctoritatem D. Thomæ, qui 3. part. q. 64. art. 8. ad 2. verſans difficultatem, quando ſtante neceſſitate Miniſtri poſſit haberi ſecuritas , & ſcrupulus omnis ac ſollicitudo ex ſuſcipientis animo repelli, cum ſemper dubitare merito poſſit, num Miniſter veram habuerit perficiendi Sacramenti voluntatem: poſt expoſitas aliorum DD. ſententias , illam quam meliorem approbat, ſic exponit. *Et ideo alii melius dicunt , quod Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ , cuius eſt miniſter, in verbis autem, quæ profert exprimitur intentio Eccleſiæ , quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti , niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri , vel recipientis Sacramentum* . Et poſtea art. 10. addit , incorruptam intentionem Eccleſiæ non poſſe interrumpi a corrupta Miniſtrantis intentione, non ſecus ac miniſter alicuius hominis

in diſpenſanda nomine illius eleemoſyna, non poteſt contaminare rectam intentionem Domini, cuius nomine eam diſpenſat, & art. 8. rem clarius exponit, dum ait: *Cum aliquis intendit deriſorie aliquid agere, & talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando ſuam intentionem manifeſtat.*

Et non obſcure deducitur hæc aſſertio ab ipſo Concil. Tridentino in ſua definitione quoad intentionem Miniſtri in Sacramentis conficiendis, quam habet can. 11. ſeſſ. 7. quam Patroni contrariæ ſententiæ, ut ipſis favorabilem, contra hanc ſententiam ſolent obiicere; ait enim Concilium in cit. can. *Si quis dixerit, in Miniſtris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia; anathema ſit*. Ecce quod tametſi Concilium præter materiam, & formam, requirat etiam in Miniſtro intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; ex eo tamen non ſequitur illatio, quam conantur deducere Adverſarii, nempe, quod ſicut Eccleſia intendit in tali unione, quam facit Miniſter, formæ Sacramenti cum eius materia, facere cæremoniam ſacram, ritumque illum exercere, ut eſt actio quædam formaliter Sacramentalis, ita ſi Miniſter intentionem illam malitia ſua retineat, vel oppoſitam habeat, invalide conficiat Sacramentum: Quia, aiunt ipſi, per intentionem intelligit Concilium aliquid diſtinctum ab applicatione materiæ, & verborum prolatione; ideſt præter intentionem faciendi quemdam actum externum, illumque exterius peragendi, intentionem deſiderat faciendi actum illum, ut eſt Sacramentum, ſeu interiorem voluntatem faciendi, quod Chriſtus, & Eccleſia faciendum per Sacramenta intendunt. Verum ſi valeret hoc ratiocinium, ſicuti per ipſos Adverſarios Eccleſia in applicatione materiæ, & prolatione formæ, intendit facere cæremoniam ſacram, ut eſt quædam ſacramentalis actio productiva gratiæ, aliorumque effectuum ſupernaturalium, ſequeretur, requiri etiam voluntatem ſanctificandi homines; ita ut ſi Miniſter eam retineat, vel oppoſitam habeat, invalide conficiet Sacramentum, utpote non habens voluntatem faciendi quod intendit Eccleſia, nec interiorem voluntatem faciendi, quod Chriſtus, & Eccleſia intenderunt faciendum per Sacramenta. Et tamen ipſi fatentur adverſarii, ad valorem Sacramenti non requiri intentionem conferendi, vel recipiendi effectum Sacramenti, cum ea ſit expers, qui ſine neceſſitate Sacramentum ab Hæretico ſuſcipit, & tamen valide Sacramentum ſuſcipit. Igitur per intentionem faciendi quod facit Eccleſia, exquiſitam a Concilio in Sacramentorum Miniſtro, non poteſt intelligi voluntas efficiendi actionem ut Sacramentalem, illud efficientem, quod in tali actione Chriſtus, & Eccleſia faciendum intenderunt.

In hoc ergo equivocant Adverſarii, quod confundunt id quod facit Eccleſia, cum eo quod intendit Eccleſia. Quod facit Eccleſia, eſt ritus externus ſacer in materia, & forma; quod intendit Eccleſia, eſt hominum ſanctificatio, ad quam ſigna illa ſunt inſtituta. Ad valorem autem Sacramenri requiritur ex Tridentino ſola intentio faciendi quod facit Eccleſia, ut certiſſimum eſt apud Catholicos; (quam habere contendi eum, qui, quod facit Eccleſia, ſerio, & libere facit, & illud ſerio facere intendit) non vero intentio, quam habent Chriſtus, & Eccleſia, quæ ſemper recta eſt, & immaculata, in Miniſtro ſæpe corrupta.

Non tenet pariter quod circa intentionem a Concilio requiſitam explicant alii, nempe intentionem faciendi ritum externum, qui Chriſtianis religioſus eſt, non diſtingui ab applicatione materiæ & formæ, ac verborum prolatione, in quibus ritus ille ſitus eſt; & ſic, aiunt ipſi, non poſſe materiam applicari, nec verba proferri ſine intentione faciendi ritum externum, in huiuſcemodi rebus, & verbis poſitum; & tamen Concilium Trid. præter applicarionem materiæ, & verborum prolationem, requirit intentionem. Et revera manifeſtiſſimum eſt, materiam diverſis modis poſſe applicari, formamque diverſis modis proferri: Nam aliter applicat materiam, & verba profert, qui modo iocoſo, mimico, ludrico, & deriſorio applicat, & profert; hic enim non intendit facere, quod facit Eccleſia, ſed tale quid ſolummodo repræſentare, ut fit in pictura, vel in theatro; aliter qui accurate, & ſerio, & tamquam ex officio quod gerit, ea adhibet & miniſtrat; hic enim intendit facere quod facit Eccleſia, cum revera illud libere prudens faciat, nec quidquam eorum, quæ in Eccleſia fieri ſcit, prætermittat. Et hanc eſſe mentem in cit. can. 11. ſeſſ. 7. Concil. Tridentini, idem ipſum Concilium non obſcure aperit ſeſſ. 14. can. 9. ubi declarat, Sacramenrum non perfici, ſi Sacerdoti animus ſerio agendi deſit, nec eum eſſe, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimum, qui Sacerdotem ioco abſolventem cognoſceret, & non alium ſerio agentem ſedulo requireret.

Igitur

Igitur per intentionem faciendi quod facit Eccleſia intelligit S. Synodus *animum ſerio agendi*, qui deeſt, cum Sacerdos ioco abſolvens cognoſcitur. Ergo ad validi Sacramenti integritatem ſatis eſſe S. Synodus arbitrata eſt, ſi Miniſter ſerio operari extrinſecus appareat, tumque dumtaxat iocandi animum Sacramento officere, cum iocularis, & ludricus Miniſtri agentis modus eſt recipientibus conſpicuus, & patens. Sic P. Contenſonus.

Nec deſunt etiam gravia rationum momenta, quæ ſententiam hanc comprobant, ac ſtabiliunt. Et equidem ſi Sacramentum datum a Miniſtro, qui ſe gerens exterius tamquam Eccleſiæ Miniſtrum, ſerio peragit ritum a Chriſto inſtitutum, interius tamen non vult Sacramentum conficere, ſi Sacramentum ita datum non valeret, contingeret, voluntatem Miniſtri impedire poſſe, ne Sacramentum reſultet ex debita, ac ſeria coniunctione formæ cum materia, quod certe fieri nequit, eo quia, ut iam antea notatum eſt, Sacramentum ex Chriſti inſtitutione nihil aliud ſit, quam coniunctio formæ cum materia facta ab eo, qui ſe gerit exterius tamquam Eccleſiæ Miniſtrum: *Accedit verbum* (ait S. Auguſt.) *ad elementum, & fit Sacramentum*. Et hoc patet ex duplici capite, ideſt & ex parte ipſius Miniſtri, & ex iudicio, & praxi Eccleſiæ.

Ex parte Miniſtri, qui cum in Sacramentis peragendis, ac miniſtrandis non propriam privatam, ſed publicam Eccleſiæ, & Chriſti perſonam ſuſtineat, gerat, ac repreſentet, ac non ſuo, ſed Eccleſiæ nomine, & auctoritate Sacramentales actiones peragat, ſua profecto privata intentione falſa, & erronea, opus Dei quod tractat, nec impedire, nec inficere valet. Hoc eodem argumento, & gravi ratione S. Auguſt. contra Donatiſt. argumentabatur, eoſque impugnabat.

Ex iudicio quidem, & uſu Eccleſiæ, quæ ratum habet Baptiſmi Sacramentum verbis Evangelicis collatum non ſolum ab Hæretico, Iudæo, & Infideli, ſed etiam ab Atheis, qui licet poſſint velle peragere ritus illos quos fieri conſpiciunt a Chriſtianis, quæ voluntas quæſo vel formalis vel virtualis in his ſupponi poteſt ſe conformandi intentioni Chriſti, ac facere quod Chriſtus inſtituit, quod facit, & intendit Eccleſia? Et revera tantum abeſt quod intendere poſſit Iudeus vel Paganus, quin imo cum hi nec credant Baptiſmum eſſe Sacramentum, ideſt rem ſacram, ſed ſacrilegam ſuperſtitionem: nec putent Chriſtum potuiſſe ſacras huiuſcemodi res inſtituere, & habent, ac irrideant Eccleſiam tamquam ludricam congregationem, ac ſuperſtitioſam, ac credant baptiſmum ſupra meram corporis lotionem non addere niſi ludibrium, clare conſtat, hoſce in Sacramento baptiſmi peragendo licet exterius ſerio agant, interius non habere niſi intentionem irriſoriam, fictam, & ſimulatam, ſeu irridendi in tali fictione rem ſacram Chriſtianorum. Quod eo magis dicendum de Atheis, cum impii iſti homines non credant ullam Deitatem, & religionem, ac proinde non niſi ridiculam fictionem divinam Chriſti miſſionem, quam prædicant, creduntque Chriſtiani. Unde ſi Sacramenta collata a viris omni proſus fide in ipſius Eccleſiæ ſacra carentibus, ac proinde cum morali evidentia, quod collata ſint cum irriſoria, ſimulata, ac fallaci intentione in tali actione ſacramentali exercenda, Eccleſia nihilominus approbat, eo quia ſerio, ac prudenter exterius ea peregerint; quare non cenſendum erit validum Sacramentum, quod peragit Miniſter apparenter catholicus, & in Eccleſia catholica celebrans, quando rogatus ſerio illud conficit; & vi poteſtatis, & officii quod exercet, libere facit, licet intrinſecus impius, infidelis, Atheus, myſteriorumque deriſor intus ſimulate & irriſorie actionem Sacramentalem celebret: cum inter talem miniſtrum, ac allatos infideles, qui ſupponendi ſunt ita celebrare, nulla omnino interſit diſparitas?

Inſuper Chriſtus Dominus inſtituit Sacramenta in republica Chriſtiana humano modo peragenda: cum Chriſtianus cœtus ex hominibus, non ex Angelis ſit conſtitutus, ac proinde voluit ſacra miniſteria peragi eo ſimili modo, quo ordinaria miniſteria in rebus publicis valide exerceri ſolemne eſt, ut ſocietas viſibilis, & hierarchia aſpectabilia firma conſiſteret, & ſecura. Quare ſicuti in omni Republica bene ordinata ad valorem actuum, contractuum, ac iudiciorum non valet actio ludicra, aut irriſorie, ſeu mimice facta, & ſufficit omnino ſi ſerio fiat cum ſolitis formulis a Republicæ miniſtro deſignato: puta, nullius roboris eſt inſtrumentum, quod extrinſeca irriſione, vel ut Tyronem inſtruat publicus Notarius conficit; valet autem ſi rogatus a partibus prudens & ſciens illud exaret, quamvis intus contrarium intendat, & velit, & ſic &c. Similiter in Republica Chriſtiana, tametſi Sacramenta, quæ a Miniſtro extrinſece irriſorie ac mimice peraguntur invalida ſint, cum

Digitized by Google

non agat ut Eccleſiæ Miniſter, ſed potius effingat, attamen dum extrinſece ſerio agit, quæ Chriſtus inſtituit, & Eccleſia facit, tunc cum agat ut Miniſter Eccleſiæ, verum, ac integrum conficit Sacramentum, hoc ipſo quod in illo officio conſtitutus, & poſtulatus facit: nec aliter ſe agere ſignificet, nec ex modo agendi appareat. Ille enim in humanis, quibus Eccleſiaſtica munia commiſſa ſunt, ſemper ut Miniſter ex officio agere cenſetur, qui, quæ ſui muneris ſunt, ſerio implet quidquid ille interius in contrarium ſentiat, ut antea expoſitum fuit exemplo aliorum humanæ vitæ officiorum, præcipue famuli, qui ſerio nomine ſui Domini, licet cum repugnantia voluntatis, eleemoſynam elargiri intendit &c.

Et hoc amplius etiam illuſtrat, & confirmat conſuetudo Eccleſiæ, quæ cum ſolita fuerit iterare, aut abſolute, aut ſub conditione baptiſmata dubia, ea nempe, quæ non potuerunt probari per teſtes, vel quia ſuſpecta fuerit eorum materia, aut forma, ut ex Concil. Carthaginen. V. & Zacchar. Pap. epiſt. 11. ad Bonifacium; numquam tamen conſuevit Eccleſia iterare baptiſmum ob ſolam Miniſtri occultam intentionis retentionem, vel malignæ intentionis intus conceptæ, nec foris patentis perverſitatem; modo tam Miniſter, quam ſuſcipiens ſerio, & prudenter egerint quidquid in Eccleſia fieri conſuevit. Igitur iuxta morem Eccleſiæ, Sacramenta illa valida cenſenda ſunt, quæ exterius ſerio a miniſtris materiebus, & formis uſitatis, ſervandis ſervatis, peracta ſunt, tametſi interius retentione, aut perverſitate intentionis irrita facere, aut ad nihilum redigere malitioſe voluerint.

Hac ipſa de cauſa olim PP. in controverſia Donatiſtarum, aſſerentium nullum eſſe baptiſmum extra Eccleſiam collatum, nihil diſputarunt de debita Miniſtri intentione, an revera fuerit, vel non, ſolliciti ſolum de materia, & forma obſervari ſolita; num revera rite, & ſerio has applicaverint infideles, quidquid tandem in contrarium in tali applicatione præter intentionem illud faciendi, quod viderant fieri ab Eccleſia facere, vellent ſimulare &c.

Et equidem ſi valere deberet contraria opinio, 1. quod nemo poſſet eſſe certus de ſuo baptiſmo, cum ſciri nequeat, an Miniſter ſuam retinuerit intentionem dicendo, *nolo baptizare*. 2. nemo certus eſſe poſſet ſe eſſe in vera Eccleſia; cum ita ſcire nequeat, an qui ſunt in Eccleſia Miniſtri, & Paſtores, ſint vere Miniſtri, & Paſtores; quia nemo ſcire poteſt, an qui Paſtores baptizarunt, & ordinarunt, potuerint habere intentionem eos non baptizandi, & ordinandi: ac proinde ſequeretur ultra, quod vix perpetua Eccleſiæ viſibilitas poſſet contra Etherodoxos demonſtrari, cum in Adverſariorum opinione nihil omnino certi de Miniſtrorum conſecratione, ac fidelium baptiſmate ſtatui poſſit.

Obiiciunt 1. Patroni oppoſitæ opinionis, noſtram proſcriptam eſſe ab Inquiſitoribus Romanis ſub Alexandro VIII. in cenſura propoſitionis eiuſdem tenoris, quæ num. eſt 28. inter damnatas ſub tali Pontifice, in qua ita habetur. *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: Non intendo quod facit Eccleſia*.

Reſpondetur noſtram ſententiam penitus a damnata diſcrepare, & 1. quidem, quia in damnata propoſitione ſubiectum eſt indefinitum; dicitur enim: *Valet baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat*; quæ propoſitio cum ſit univerſalis, intelligitur tam de Miniſtro, qui in tali ritu exterius exercendo agit ſerio, quam de illo, qui agit mimice & illuſorie: e contra nos Propoſitionem reſtringimus ad Baptiſmum datum a Miniſtro, qui exterius actionem ſacramentalem ſerio peragit, & intus etiam hanc ſerio agere intendit. 2. propoſitio damnata, utpote æquivalens univerſali, intelligi poteſt etiam de Miniſtro ſerio quidem exterius agente, ſed a nulla circumſtantia determinato ad agendum nomine Eccleſiæ, & ſic omnino eſt falſa; e contra vero noſtra reſtricta eſt ad Miniſtrum, qui cum ex circumſtantiis extrinſecis, ideſt poſtulatione Sacramenti determinatur, ut ſe ſe exterius gerat tamquam Eccleſiæ Miniſtrum. Et equidem ſapientiſſime Inquiſitores damnarunt propoſitionem nobis obiectam, quia ſenſu obvio, ſeu quem præſeferunt verba, ex quibus conſtituitur, ſuadet impium Lutheri dogma de validitate Sacramenti, quod Miniſter etiam exterius non ſerio, ſed iocoſe contulit, quod damnavit Concil. Tridentinum. Ab hoc ſenſu Lutheri, quam aliena ſit noſtra ſententia, ex ipſis terminis quibus conſtat, cuique attendenti evidentiſſime patet. Tandem damnata habet, miniſtrum intus non intendere agere, quod agit Eccleſia; *intus vero* (ita ibi legitur,) *in corde ſuo reſolvit; non intendo quod facit Eccleſia*, quod eſt directe contra definitionem Concil. Tridentini ſeſs. 7. can. 11. in quo canone ſtatuit Concilium con-

contra Lutherum negantem quamcumque intentionem Miniſtri neceſſariam eſſe ad Sacramentum conficiendum, ſtatuit inquam, ad validitatem Sacramenti requiri in Miniſtro *intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia*. Et in hoc tam longe ab eadem noſtra diſtat, ut quod ipſa negat, ſit unum ex præcipuis principiis, quæ ſtatuimus, ut non recedat opinio noſtra a Catholico ſenſu, nempe, quod Miniſter intendat facere, quod facit Eccleſia, ſicuti exigit irrefragabiliter cit. can. Tridentini.

Obiic. 2. Ex ipſa plurium ſaltem Sacramentorum inſtitutione colligitur neceſſitas mentalis intentionis in Miniſtro, qui ea conficere ſtatuit. Chriſtus enim Lucæ 22. in ſacræ Euchariſtiæ inſtitutione iuſſit, ut Miniſtri in ſui memoriam eam conſecrarent: *Hoc facite in meam commemorationem*. In confectione Sacramenti Extremæ Unctionis præcipit S. Iacobus cap. 5. ſuæ Epiſt. catholicæ, Miniſtrum orare debere ſuper infirmum, ſeu hoc Sacramentum conferendum eſſe per orationem a Sacerdote fundendam. *Inducat* (inquit) *Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum*. Non poſſunt autem Miniſtri agere in Chriſti commemorationem quando Euchariſtiam conficiunt, niſi interius agere velint eius nomine, ac illius Miniſtros ſe exhibere, ideſt niſi velint intentioni Chriſti ſe conformare in Miſſæ celebratione; cum meminiſſe Chriſti in aliquo conficiendo Sacramento, ſit velle eum imitari: quod fieri nequit ab eo, qui interius proteſtatur, ſe nolle eum imitari. Similiter in Extrema Unctione non poteſt Miniſter orare pro infirmo, dum non intendit pro illo orare, cum ſine intentione mentali, ſeu interna, nulla ſit oratio. Docent enim Theologi, eum non orare, qui verbis, quibus conſtat oratio, interius non attendit, dum ore ea profert. Igitur a fortiori ſi iiſdem verbis per retentionem intentionis contradicat, eodemque inſtanti, quo exterius orat, dicat apud ſe ipſum, *nolo orare*, & ſimilia.

Reſp. ad primum, eum in commemorationem Chriſti agere, ſeu facere, qui, quod a Chriſto inſtitutum eſt, libere ſerioque obſervat; non enim voluntarie faceret quod Chriſtus faciendum imperavit, niſi illud ſibi faciendum proponeret, ſeu quod idem eſt, vere intenderet. Unde cum Miniſter dum Miſſam celebrat, in ſubiectum panem verba Evangelica, *Hoc eſt corpus meum*, libere, & ſerio proferat, ſequitur, velle etiam facere, quod Chriſtus fecit, ac inſtituit. Etenim ex eo quod formam datæ applicat materiæ, vult neceſſario eam applicare, ſicuti & Chriſtus fecit. Nec voluntas illa impeditur interna intentionis retentione: nam ea interna intentionis retentio, non eſt vera, & efficax voluntas, ſed ſimplex velleitas non agendi Eccleſiæ auctoritate, & nomine Chriſti, ac proinde non obſtat voluntati efficaci, quam habet gerendi ſe tamquam eiuſdem Miniſtrum in actione externa, quam poſtulatus ſerio, & libere ſecundum divinam inſtitutionem operatur.

Ad id vero, quod opponitur de requiſito intentionis ad preces, quæ iuxta traditum a D. Iacobo loco cit. fundendæ ſunt in collatione Extremæ Unctionis, reſpondetur cum Iuvenino; quod ſi valeret oppoſitum argumentum, ſimul probatum eſſet nullum fore Sacramentum Extremæ Unctionis, quando conferretur a Sacerdote, qui dum illud peragit, verſaretur in actuali voluntate peccandi. Nam qui cum tali voluntate orat, proculdubio non orat, cum preces quando ad Sacramentorum confectionem non pertineant, non operentur niſi ex pietate, ſeu ex opere operantis, unde neceſſario tunc pietatem præter mentis attentionem exigunt in orante. Oratio igitur, quæ ad Sacramenti formam non pertinet, prolata a Sacerdote cum animo non orandi, ex parte illius non eſt vera oratio, quæ illi potius valde eſt nocua, quam proficua, ut ſtatuitur ubi agitur de oratione. Verum illa eadem oratio ſi, ut eius forma, ſpectet ad Sacramentum, eſt vera oratio Eccleſiæ, quæ per os ſui Miniſtri quantumvis impii orat, quoties ille exterius ſe Miniſtrum Eccleſiæ exhibet. Et talem ſe exterius exhibet, & nomine Eccleſiæ, quoties in talibus datis circumſtantiis ſæpe iam antea notatis, utitur advertenter, & attente materia, & verbis, ſeu precibus, quæ ex præcepto, & uſu Eccleſiæ ſecundum Chriſti inſtitutionem ordinatæ ſunt ad conſtituendum Sacramentum. Quare ultro fatemur in hiſce orationibus, quæ pertinent ad formam Sacramentorum, neceſſariam eſſe Miniſtri intentionem, non quidem privatam uti in aliis ſuis privatis orationibus, quæ non ſunt formæ ad aliquem Sacramentum ſpectantes, ſed intentionem generalem, & publicam Eccleſiæ. In illo enim caſu Miniſter non fundit preces illas, ut ſuas proprias, privataſque; ſed ut preces publicas Eccleſiæ, ſeu ut partem Sacramenti. Illa autem publica intentio Eccleſiæ neceſſaria ad orationes ſpectantes ad formam Sacramenti exprimitur in Miniſtro, dum ſerio libere, & in ſtatutis circumſtantiis ſupra propriam

Digitized by Google

priam Sacramenti materiam formam profert. Hæc tamen intentio publica Eccleſiæ, qua in tali applicatione formæ ſupra materiam Sacramentorum iuxta Chriſti inſtitutum intendit fieri ritum ſacrum, ſeu Sacramentum, præſupponit privatam, ſeu propriam Miniſtri intentionem, quam exquirit Concil. Tridentinum in laudato can. 11. ſeſſ. 7. nempe voluntatem efficacem ſeriam, ſaltem faciendi opus illud, quod facit Eccleſia in Sacramentis peragendis; quam ſi ſerio libere in conſuetis circumſtantiis exterius exequatur Miniſter, velit ipſe, vel nolit, per publicam Eccleſiæ intentionem tale opus quod fit, materiam applicando, formamque ſuper illam proferendo, determinatur ad eſſe Sacramenti.

Unde in hoc falluntur adverſarii, quod intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, & faciendum Chriſtus iuſſit, requiſitam a Tridentino ad valorem Sacramenti, confundunt cum intentione ſe conformante intentioni Chriſti, & Eccleſiæ, ſeu faciendi quod intendit Chriſtus, & Eccleſia; & quia non diſcernunt in pravo Miniſtro duplicem intentionem ſecum, ſeu ad invicem pugnantem; ac proinde ſupponunt nos negare, non exigi in Miniſtro intentionem, & hanc ſeriam, efficacemque faciendi quod facit Eccleſia, quando hanc ita a Miniſtro ſerio operante individuam, ſeu inſeparabilem eſſe cenſemus, ut intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ille non poſſint non habere, qui, quod facit Eccleſia, ſerio, & libere facit; nec talem ſuam intentionem neceſſitate ſuppoſitionis neceſſariam, poſſe privatam aliam perverſæ voluntatis intentionem extinguere. Imo dicam, quod cum actio Sacramentalis ſit idem ac Sacramentum, eo ipſo, quod intendit facere hanc actionem, & ex tali abſoluta, & efficaci intentione ſerio, libere &c. exterius actionem exequitur, non obſtante oppoſita intentione, qua ſtatuit, nolle facere Sacramentum, per primæ executionem redditur hæc altera, ut alias diximus, inefficax pura velleitas, ac nulla, & fit ſacramentum.

Inſtabis. Eſt communis ſententia DD. omnium etiam Probabiliſtarum, in re præcipue Sacramentaria, quæ non pendet ab hominum opinione, ſed ab una Chriſti inſtitutione, ſectanda eſſe tutiora, & a peccandi periculo remotiora. Et eo magis ita omnes ſentire debent, quia damnata fuit ab Innocent. XI. 2. Martii 1679. propoſitio huic ſenſui contraria, quæ n. 1. eſt, & ita habet: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Unde cum opinio noſtræ contraria ſit tutior, ac a peccandi periculo remotior, eam noſtræ anteponere, ac ſequi, ut ſuæ ſaluti, & reverentiæ Sacramenti conſulant, tenentur Sacramentorum Miniſtri.

Reſp. ſi res ita ſe haberet, ſicuti æquivocatio argumenti præſefert, nulla melior argumentatio favere poſſet Donatiſtis, aſſerentibus ad Sacramenti integritatem fidem, ſanctitatemque requiri, cum eos in re hac ſequi ſit tutius, & a peccandi periculo remotius. Ergo ſententia Donatiſtarum aliis eſſet anteponenda. Quiſnam quæſo erit, qui hoc intendere audeat?

Mera igitur æquivocatione laborat argumentum, & ut videmus, non ſolum oppoſita ſententia non eſt tuta, imo etiam certo periculo peccandi eſt expoſita. Duo enim contraria ſententia aſſerit, ideſt non ſolum teneri Miniſtros in omni ſua intentione ſeſe conformare intentioni Chriſti, & Eccleſiæ, ſed inſuper ita ad hoc teneri, ut ſi malitia ſua oppoſitum intendant, ac intendit Chriſtus, & Eccleſia, Sacramentum irritum faciant, ac proinde Sacramentum de integro ſit repetendum. Quod Miniſtri teneantur ex præcepto nihil privatim intendere, quod non ſit conſentaneum intentioni Chriſti, de hoc nulla eſt, aut fuit unquam inter catholicos Theologos controverſia: aliud vero, quod ſubiungitur, ſcilicet quod ſi Miniſtri intus velint, quod adverſatur intentioni Chriſti, & Eccleſiæ, Sacramentum ſit nullum, ac proinde ita ab eis baptizatos, abſolutos, confirmatos &c. denuo baptizandos eſſe, abſolvendos, confirmandos; id penitus repugnat iudicio, & conſuetudini Eccleſiæ, quæ ſemper ſollicita in conſulendo, quod reſpicit debitam Sacramenti reverentiam, quæ non minus graviter, quam faciliter læditur, ipſa ſine valde gravi dubio de eorum validitate innovando, ob ſolam ſuſpicionem de oppoſita Miniſtri intentione, non reprobavit, ut invalidum, baptiſmum collatum a Iudæis, Paganis, Hæreticis, imo etiam ab Atheis. Et ſi conſuevit innovare Sacramenta etiam characterem imprimentia dubia, & ſuſpenſa, vel quia teſtibus comprobari non potuerit fuiſſe collata, vel prudens occurrerit ſuſpicio, congruam materiam, ſolitamque formam adhibitam non fuiſſe; nunquam tamen ob ſuſpicionem intentionis invenitur innovaſſe: ne innovando quod forſan iam factum eſt, exponantur Sacramenta periculo irritationis, ac ideo gravi

gravi irreverentiæ. Idcirco nemo non videt, contrariam ſententiam non eſſe remotiorem a ſacrilegio iterati Sacramenti. A tale autem periculo maxime eſt aliena noſtra ſententia, cui ſatis eſſe videtur in Miniſtro ad Sacramenti validitatem intentio faciendi, quod facit Eccleſia, iuxta regulam Tridentini, conſuetis rebus, & verbis adhibitis ſufficienter expreſſa.

Cætera quæ obiici ſolent, & poſſunt, ex iam ſupradictis facile diluuntur; hinc cenſui nihil ulterius addere, ne res longius quam par ſit, protrahatur.

Corolarium.

Ex iam dictis conſtat manifeſtiſſime, quam caute procedendum ſit in renovanda prolatione formæ ſupra eandem materiam, ob periculum quod cum maxima Sacramenti irreverentia irrita reddatur nova formæ prolatio, & irritum etiam Sacramentum; Quod ſi dubium rationabile oriatur de validitate formæ iam prolatæ, vel de eius prolatione, forma iterari debet ſub conditione, ne Sacramentum cum illius irreverentia maneat irritum. Quocirca dubium imprudens, quale ſolet eſſe ſcrupuloſorum, non ſufficit, ſed contemnendum eſt. Formam autem Sacramenti ſine neceſſitate ſuper eandem materiam repetere, ex ſe eſt mortale, eo quod hæc ſecunda forma ſit ſupervacanea, nec ſine virtuali, & interpretativa irriſione ſic fruſtra poteſt proferri.

Item licet ſtatuatur in noſtra ſententia, validum eſſe Sacramentum collatum a Miniſtro, qui etiam ſola utitur externa intentione, ac proinde tutius eſſe ipſum non innovari, nihilominus cum conſulendum ſit quantum cautius fieri poteſt, Sacramentorum reverentiæ, & iuxta Eccleſiæ doctrinam, quæ contrarium damnat, in Sacramentis conficiendis tutior opinio ſequenda ſit; hinc ſub mortali tenetur Miniſter, quandocumque ei occurrat aliquod peragere Sacramentum, habere veram intentionem non ſolum faciendi, quod facit Eccleſia, ſed faciendi quod in tali opere iuxta Chriſti inſtitutionem facere intendit Eccleſia, ideſt Sacramentum. Etenim Miniſter attendere debet tum ad ea, quæ ad validam, tum ad ea quæ ad licitam Sacramenti confectionem requiruntur; quia ſancta ſancte tractanda ſunt. Non requiritur tamen intentio faciendi, quod facit Eccleſia Romana, ſed ſufficit intentio faciendi, quod facit vera Eccleſia, quæcumque illa ſit; imo etiam faciendi quod facit Eccleſia Lutherana, modo putetur vera, licet ſit falſa; quia tunc eſt implicita, & virtualis intentio faciendi, quod facit vera Eccleſia; neque error ſpeculativus circa veram Eccleſiam, aut circa efficaciam, & effectum, aut Sacramenti inſtitutionem, huius impedit valorem ex parte Miniſtri; nam hæreticus vere baptizat, & tamen non credit Eccleſiam Romanam veram eſſe Chriſti Eccleſiam.

§. III.

De qualitate intentionis neceſſaria in Miniſtro ad Sacramenta valide peragenda.

Ad Sacramenta valide peragenda non requiritur intentio expreſſa, & diſtincta conficiendi Sacramentum; ſed ſufficit implicita, & confuſa, qua Miniſter intendat ſe velle facere id, quod facit Eccleſia, aut quod Chriſtus inſtituit, aut quod per alium Miniſtrum fieri vidit, ſive quod Chriſtiani faciunt. Et hoc manifeſte conſtat ex praxi Eccleſiæ non rebaptizantis eos, qui ab imperitis, rudibus, aut infidelibus cum debita materia, & forma baptizati fuere, tametſi illi vel diſtincte non noverint, vel etiam prorſus ignoraverint quid ſit baptiſma, ſeu Sacramentum. Et tunc adeſt vera intentio faciendi quod facit Eccleſia, ut exquiritur a Conciliis Florentino, & Tridentino.

Intentio habitualis eſt omnino inſufficiens in Sacramentis peragendis.

Intentio mere habitualis eſt prorſus inſufficiens ad Sacramenta valide conficienda; quia huiuſcemodi intentio, utpote quæ nullam in ſe habet advertentiam rationis, nullo modo influit ut cauſſa in actionem Sacramentalem, cum vi illius intentionis talis actio non ponatur; ac proinde talis intentio ſe habet in confectione Sacramenti non ſecus ac ſi non eſſet. Chriſtus enim Dominus in Sacramentis inſtituendis ſtatuit, ut Miniſter ſuam miniſterialem poteſtatem humano modo, ideſt cum deliberatione exerceret, ita ut actio, qua fieret Sacramentum, eſſet etiam actio humana. Idcirco requiritur intentio libera in ſe, ſeu voluntas, quæ cum advertentia rationis, & libere applicando poteſtatem miniſterialem ad uſum, ſit principium, & cauſſa Sacramentalis actionis. Alias Sacramentum peragi poſſet etiam ab amente, dormiente, vel ebrio, in quibus adeſſe poteſt intentio habitualis, & illi nec libere, nec deliberato modo agunt. Tournel.

Nec valet dicere, quod S. Thomas 3. part. q. 64. art. 3. docere videatur, habitualem intentionem ſufficere ad perfectionem Sacramenti. Nam S. D. aliique antiquiores Theologi,

logi, *habitualem* vocarunt intentionem *virtualem*, ut patet exemplo, quod affert cit. loco de Sacerdote, qui ex intentione præhabita faciendi in baptiſmo, quod paulo poſt conferre debet, quod facit Eccleſia, docet, hunc perficere Sacramentum, etiamſi in actu baptizandi non amplius de habita intentione recordetur; ſed hæc eſt eadem intentio, quæ nunc appellatur virtualis.

Nec ſufficit intentio interpretativa.

Multo minus ſufficere poteſt intentio interpretativa ad Sacramentum conficiendum, utpote quæ proprie non ſit intentio, ſed ſolum intentionis præſumptio, ſeu diſpoſitio ad intentionem concipiendam, ſive intentio, quæ eſſet, ſi res proponeretur. Porro intentio, quæ non eſt, ut iam patet, nihil efficere poteſt, ac proinde non poteſt eſſe principium actionis moralis, & humanæ, uti eſſe debet actio effectiva Sacramenti.

Nec valet argumentum, quod obiici poteſt de ſuſcipiente, in quo ſufficit intentio interpretativa; quia ſuſcipiens Sacramentum paſſive ſe habet, miniſter vero active; & cum ſit agens rationale, nequit rationabiliter operari, ſeu humano modo, ut dictum eſt, ſine intentione. Habert.

Intentio vero actualis, tametſi optima ſit, & Miniſter ob debitam Sacramenti reverentiam debeat eſſe ſolicitus, curando, ut ſemper hanc habeat; illa tamen non eſt neceſſaria ad valide perficiendum Sacramentum. Sed ad huiuſcemodi opus ſufficit virtualis, ut conſtat ex cit. loco S. Thom. 3. part. q. 64. art. 3. Hæc enim virtualis intentio eſt ipſamet actualis, non ſolum ut non revocata (quia hoc poteſt dici etiam de habituali, & tamen non valet) ſed etiam moraliter perſeverans in libera actione Miniſtri, ex quo ab habituali diſtinguitur, & æque ac actualis humana cenſetur, & ideo apta ad Sacramentum conficiendum. Et hoc patet in exemplo Miniſtri, qui vocatus ad baptizandum aliquem, licet dum pergit ad baptizandum, & etiam dum actu baptizat, de baptiſmo expreſſe non cogitet, vere tamen baptizat virtute illius actualis intentionis, ſive directe, ſive indirecte, quam habuit, cum ad hanc actionem peragendam profectus eſt. Perdurat enim adhuc in virtute, quatenus inducitur Miniſter ad iter ſuſcipiendum, & formam cum materia conſueto ritu coniungendam. Et hæc ſaltem communi omnium conſenſu requiritur, & ſatis eſt ad Sacramentum valide peragendum iuxta ſententiam antea citatam D. Thomæ: de qua diximus laudato loco egiſſe, non vero de habituali.

Ad Sacramenta conficienda ſufficit intentio virtualis.

Sufficientia porro huius intentionis ad valide conficiendum Sacramentum comprobatur ex ſenſu, & praxi Eccleſiæ, quæ ut vera approbat Sacramenta ſic collata. Et merito; quia Miniſter agens cum virtuali, agit modo humano, & rationabili, ſicuti ex Chriſti inſtitutione exigit actio Sacramentalis. Alias ſi requireretur intentio actualis, cum non ſit in poteſtate hominis viatoris, propter naturalem inſtabilitatem ſuæ imaginationis, cohibere mentem, ut nunquam divagetur, ac continuo cogitet de opere, quod ex deliberata voluntate ſemel perficere ſuſcepit, ſequeretur, quod Sacramenta ſæpe ſæpius forent irrita. Unde cum non ſit credibile, ut notat P. Antoine, Chriſtum ſic inſtituiſſe Sacramenta, ut ſæpiſſime exponerentur nullitati, ſicuti fieret, ſi ad illa exegiſſet a Miniſtro talem intentionem, quæ ſæpe non eſt in ipſius poteſtate, propter illius animi evagationes, quas non ſolum frequentes, ſed plerumque inevitabiles patitur homo; hinc iure merito iudicat Eccleſia, quæ divinæ Chriſti voluntatis eſt interpres, virtualem ſufficere intentionem ad Sacramenta valide conficienda.

Intentio reflexa minime neceſſaria eſt in Sacramentis conficiendis.

Intentio reflexa eſt intentio, qua Miniſter ſuper adminiſtrationem iam directe intentam, novo, & diſtinctiori modo vult eamdem adminiſtrationem, ut eſt Sacramentum, vel ritus ab Eccleſia frequentatus. Talis intentio non eſt neceſſaria ad Sacramentum conficiendum, tum quia talis neceſſitas colligi nequit ex ullo Scripturæ vel SS. Patrum teſtimonio; tum quia ſine intentione reflexa prudenter agere poteſt Miniſter, & humano modo, imo & cum pietate implere ſuum miniſterium. Nemo profecto credet, eum ſine recta intentione, & ſine fructu ſancto Miſſæ ſacrificio adeſſe, qui audito poſtremo illius ſigno properavit ad Eccleſiam, ſolicitus ne ſerius adveniret, tametſi non reflectat ſe recta mente adeſſe. Reiiciant ergo ſcrupulos, quibus nonnulli anguntur Sacerdotes, quaſi illi defecerit ſufficiens, rectaque intentio, quia ſine certa reflexione feſtinarunt ad baptizandum, vel abſolvendum periclitantem. Habert.

Ad valorem Sacramenti requiritur intentio directa, determinata, & abſoluta.

Ad valorem Sacramenti profecto requiritur intentio directa, determinata, & abſoluta actionis Sacramentalis. Requiritur intentio directa, qua velit Miniſter actionem Sacramentalem immediate, præciſe, & ſecundum ſe; quia actio Sacramentalis debet eſſe actio moralis ac libera in ſe, & modo humano poſita: quod fieri nequit niſi illa actio ponatur vi intentionis liberæ, & directæ.

Digitized by Google

ctæ. Idcirco non valet baptiſmus collatus ab ebrio, vel dormiente, licet antea prævide-rit ſe illum collaturum in tali ſtatu. P. Antoi.

Non eſt tamen neceſſaria intentio directa finis Sacramenti, nempe gratiæ, ſeu ſanctificationis per Sacramentum conferendæ, ut Sacramentum valide conficiatur: ita docet S. Thom. in 4. diſt. 6. q. 1. art. 3. & in 3. part. Summæ q. 64. art. 6. ad 2. Si enim talis intentio exigeretur, non poſſent hæretici valide Sacramenta conficere, cum negent ineſſe virtutem ullam in Sacramentis ſanctificandi, quod tamen dici nequit, cum baptiſma ab eis datum ut validum Eccleſia approbet. Finis eſt quidem indirecte intentus in ipſa intentione Sacramenti, quod ſuum finem, ideſt gratiam dandam diſpoſito continent.

Quid de intentione conditionata.

Intentio conditionata de præterito, v. g. *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, vel de præſenti; *Si es contritus, ego te abſolvo*, non irritat Sacramentum; quia talis intentio tranſit in abſolutam, adeo ut ſenſus ſit, *quia non es baptizatus, ego te baptizo*.

Ad hoc tamen, ut intentio conditionata ſive de præterito, ſive de præſenti ſufficiat ad Sacramentum valide conficiendum, neceſſe eſt ut conditio poſita ſit, priuſquam forma applicetur materiæ, ita ut iam tranſierit in abſolutam, vel illi æquivaleat; quia ſola intentio abſoluta efficax eſt pro præſenti: voluntas enim conditionata, quamdiu talis eſt, ſuſpenſa manet, nihilque efficit; ita ut ſi dum forma applicatur materiæ, intentio Miniſtri non ſit abſoluta, aut abſolutæ æquivaleat, non efficit Sacramentum. Neque efficiet poſtea; quia poſtea non erit amplius forma, & materia, qua Sacramentum peragi debet, & ſine utraque earum confici nequit. Antoi.

Unde conditio de præterito, vel de præſenti appoſita intentioni, ſi non impleta ſit, irritat Sacramentum, utpotequæ intentionem deſtruat. Voluntas enim ſub conditione non poſita nulla eſt, cum non ſit niſi dependenter a conditione. Et ideo non irritat poſita conditione, quia, ut iam dictum eſt, tranſit intentio in abſolutam, ſive abſolutæ eſt æquivalens, cum non amplius ſuſpenſa maneat, ſed revera extet.

Conditio de futuro irritat Sacramentum.

Conditio vero de futuro contingenti v. g. *Ego te abſolvo ea conditione, quod reſtituturus ſis*, ſemper irritat Sacramentum, utpote quæ ſuſpendat præſentem intentionem, ſeu conſenſum ac voluntatem Miniſtri, donec impleta ſit conditio, ac proinde efficit, ut Miniſter hic, & nunc non habeat abſolutam voluntatem conficiendi Sacramenti; unde ſequitur, quod hic, & nunc Sacramentum non efficiat. Imo & ne quidem poſtea efficiet, quando impleatur conditio; quia tunc deerunt materia & forma, quæ iam tranſierunt, & ſine eorum præſentia, ideſt abſque eo quod hic, & nunc deliberata voluntate formam Miniſter applicet materiæ, nullatenus fieri poteſt Sacramentum, cum per talem applicationem exprimenda ſit materiæ & formæ ſignificatio, iuxta Chriſti inſtitutionem. Excipiendum tamen ab hac regula Matrimonium, quod cum ſit contractus elevatus a Chriſto ad rationem Sacramenti, non ſecus ac alii contractus valet ſub conditione de futuro, quando ipſa conditio ponatur. Antoine.

Advertendum tamen, huiuſcemodi conditiones de futuro ut plurimum non eſſe niſi modos, qui non ſuſpendunt conſenſum; ut ſi Confeſſarius e. g. monendo pœnitentem, ut caveat a lapſu, declaret ſe ei impartiri abſolutionis beneficium ea conditione, quando relapſurus non ſit, & abſolute formam pronunciet; *Ego te abſolvo &c.* In hoc caſu non cenſetur abſolviſſe ſub conditione, ſed modum tantummodo præſcripſiſſe pœnitenti, quo animo, & propoſito recipere debeat Sacramentum.

Nota non licere, ut fuſius iam antea notavimus ubi de forma conditionata Sacramentorum, niſi in neceſſitate, conferre Sacramenta ſub quavis conditione etiam de præſenti, & præterito, etſi poſita ſit conditio. Talis modus agendi eſt contra debitam Sacramento reverentiam, cum ſit quædam nugatio, & contra uſum Eccleſiæ, quæ ex quo cœpit uti forma conditionali, nonniſi in prudenti dubio de validitate Sacramenti hanc adhibet, ut ex cap. 2. *de Baptiſm.*

Intentio Miniſtri debet eſſe determinata ad certam materiam, & perſonam ſine ullo ſubſtantiali errore; alias eius intentio non eſſet efficax, & effetrix Sacramenti, dum talis eſſe debet, ut Sacramentum vere conficiat; quia operationes verſantur circa ſingularia, quæ ſunt determinata. Et hoc patet ex ipſa Sacramentorum forma, quæ ſingularem deſignat perſonam, ut in baptiſmo, in quo miniſtratur in perſona ſingulari. *Ego te baptizo*; & in Euchariſtia, in qua conficienda deſignatur per formam ſingularis determinata materia: dicitur enim; *hoc eſt corpus meum*. Hinc ſi ſubſtantialis error intentionis caderet in hanc materiam, vel perſo-

nam,

Digitized by Google

nam, & actio Sacramentalis verſaretur circa aliam, talis actio non procederet ex tali intentione, & ideo eſſet actio ſine intentione, & conſequenter nullum fieret Sacramentum, cum ad hoc peragendum requiratur intentio. Tourneleius. Valide tamen fieret Sacramentum, excepto Matrimonio, ſi error eſſet ſolum ſpeculativus circa perſonam, puta ſi abſolveres Petrum, putans eſſe Paulum; quia ordinarie eſt, & eſſe debet intentio conferendi Sacramentum perſonæ præſenti; quam proinde intentionem ſervare quiſque cenſetur, niſi expreſſe eam excludat, & ſic tunc practice Miniſter intentionem applicat determinate ei, qui præſens adeſt. Quod ſi intendas præciſe abſolvere Paulum, omnem aliam perſonam excludendo, non valet abſolutio; quia actio miniſterialis non exercetur circa aliam perſonam, cum eiuſdem poteſtatis exercitium ab intentione Miniſtri dependeat, qui illam nonniſi circa perſonam exercet, circa quam exercere intendit. Dixi *excepto Matrimonio*, quia eius valori opponitur error circa perſonam, cum obſtet valori contractus, in quo Sacramentum fundatur. P. Antoi. Tournel.

Inquirit hic P. Antoine, an valeat Sacramentum, quando Miniſter habeat duas intentiones contrarias, quarum una repugnat eius valori: & reſpondet, quod ſi debita intentio prævaleat intentioni quæ repugnat valori Sacramenti, Sacramentum eſt validum: quia tunc ſola intentio prævalens eſt efficax, & altera inefficax, ac mera diſplicentia. Secus vero, ſi intentio contraria prævaleat, ob eandem rationem, ſcilicet hæc efficax eſt, non altera. Si vero utraque æqualis ſit, nihil tunc efficit Miniſter: quia æqualiter vult, & non vult facere Sacramentum, ac proinde non vult efficaciter illud facere. Porro illa intentio alteri prævalet, quæ eſt magis abſoluta, & aliam expelleret, ſi rem intentam impediret.

§. IV.

De Fide, & Probitate requiſita in Miniſtro ad veritatem, ſeu valorem Sacramenti.

Magno ingeniorum niſu, ac contentione agitata fuit hæc controverſia tertio Eccleſiæ ſæculo inter Stephanum Papam ex una, & SS. Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum, & Firmilianum Epiſcopum Cæſarienſem in Capadocia, reliquoſque Africanos, cum Orientalibus Epiſcopis ex altera parte, qui omnes unanimes contra ſenſum Pontificis negabant, valida eſſe Sacramenta ab Hæreticis, vel extra Eccleſiæ unitatem a Schiſmaticis Miniſtris collata, ac proinde acriter contendebant, rebaptizandos eſſe, quos illi baptizaſſent, ut conſtat ex S. Auguſt. l. 6. *de Unic. Baptiſm.* contra Petilianum, qui l. 3. de Baptiſm. cap. 4. dicere non timuit, quod Stephani ſententia erat quidem ſuperior auctoritate Traditionis, inferior vero contrariæ pondere rationum. Eundem Cypriani errorem initio 4. ſæculi amplexati ſunt Donatiſtæ, quem extenderunt ad quemcunque etiam peccatorem Miniſtrum, ſive publicum, ſive occultum. Cyprianus non fuit auctor huius opinionis, ſed eam accepit a ſuo prædeceſſore, immo confirmatam a Concilio aliquorum Epiſcoporum ſub initio 4. ſæculi. Donatiſtæ ut ſub pietatis ſpecie reicerent conſecrationem Cæciliani in Epiſcopum Carthaginenſem factam a Felice Epiſcopo Aptungitano Sacrorum canonum traditore, docuerunt, nullum eſſe, & irritum Sacramentum collatum ab hæretico extra Eccleſiam, vel ab improbo in ſinu Eccleſiæ, ut ait S. Auguſt. l. 2. *contra Creſconium* cap. 28. qui tamen victi a Catholicorum argumentis, ſe reſtrixerunt ad ſolos peccatores publicos, ut refert idem S. Auguſt. l. 2 *contra Parmenianum* cap. 12. Eundem errorem amplexati ſunt duodecimo Eccleſiæ ſæculo Apoſtolici, Valdenſes, Albigenſes, & ſub finem ſæculi 14. Huſſitæ, Wicleſitæ, & 16. Anabaptiſtæ, contra quos omnes ſit.

Nec fides, nec probitas Miniſtri ſunt neceſſarium requiſitum ad valide Sacramenta conficienda, & ſic ſive hæreticus, ſive ſchiſmaticus extra Eccleſiam, ſive improbus in ſinu Eccleſiæ, dummodo veram, propriamque cuiuſvis Sacramenti materiam, formamque adhibeat, ſi excipias Sacramenta Pœnitentiæ, & Matrimonii, ſemper valide conficit.

Dixi *ſi excipias Sacramenta Pœnitentiæ, & Matrimonii*; quia cum hæc conſiſtant in materia morali, ſpeciali modo ſubiacent diſpoſitioni Eccleſiæ. Cum enim Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit per modum iudicii, idcirco eſt quid morale, & ad iudicium exercendum requiritur in primis iuriſdictio; & ita hæc neceſſaria eſt miniſtro, tamquam iudici, ut ſine ea abſolutionis ſententiam valide non conferat, ac proinde cum ſtet pœnes Eccleſiam conferre hanc iuriſdictionem, aut denegare, ſi Miniſtro hæretico, aut ſchiſmatico hanc non conferat, vel collatam

latam revocet, tunc ſane dici poterit, Sacerdotem ſine fide miniſtrare non poſſe Pœnitentiæ Sacramentum. Habett. Idemque dicito de Sacramento Matrimonii, utpote quod cum ſit ſpecies, ſeu ratio quædam contractus, ad cuius validitatem Eccleſia ſuas conditiones, ac ſolemnitates apponere poteſt: hinc ſicuti ſtatuere potuit nullum eſſe eiuſmodi contractum inter conſanguineos in quarto gradu, ita pariter ſancire valet illud irritum fore, ſi Catholicus cum hæretica contrahat; & tunc in hoc caſu neceſſaria eſſet fides ad Matrimonii celebrationem.

L. Quoad alia vero Sacramenta, ſi alia ſervanda ſervet Miniſter, defectus ſui erroris circa Catholicam fidem, vel ſciſſionis a corpore, & communione Eccleſiæ nihil impedit, quin Sacramentum valide conficiat. Et licet punctum iſtud Catholici dogmatis clare & expreſſe non legatur revelatum in divinis Scripturis, ſed a ſola ad nos derivetur perpetua Eccleſiæ Traditione; nihilominus cum aliis priorum temporum Patribus S. Auguſtinus demonſtravit contra Donatiſtas, veritatem Sacramenti non pendere ex privata Miniſtri fide, vel probitate. Et hanc Traditionem confirmat perpetua conſuetudo, & praxis Eccleſiæ, præcipue Romanæ, quæ a tempore Apoſtolorum nunquam aſſueta fuit, rite ab hæreticis, vel ſchiſmaticis baptizatos rebaptizare. Dixi *a tempore Apoſtolorum*, cum neque alicuius Rom. Pontificis Decreto, neque Generalis alicuius Concilii canone inveniatur hæc praxis aliquando inſtituta, ſed ab initio per totam viguerit Eccleſiam, quæ nunquam plus requiſivit in Miniſtro ad valorem Sacramentorum, niſi ut adhibeat debitam materiam, & formam, & habeat intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit, vel ſaltem quod facit Eccleſia. Hinc Concil. Tridentinum definivit præcipue *de Baptiſmo* ſeſſ. 7. can. 4. ut dogma fidei eius validitatem, etiamſi conficiatur ab Hæretico, vel improbo Miniſtro habente intentionem faciendi quod facit Eccleſia.

Ex eadem Traditionis doctrina ſequitur, quod ſicuti, valide conficit Sacramenta Miniſter tametſi hæreticus, vel ſchiſmaticus, ſic valide conficit, licet improbus, ſive publicus ſit, ſive privatus. Ita ſenſit olim Eccleſia contra hæreticos, præcipue Donatiſtas, qui ſuſtinebant a malis pollui Sacramenta, eorumque effectum impediri, adeoque docebant iterandum eſſe, tamquam non actum, quidquid ab ipſis, præcipue ſi fuiſſent hæretici, circa Sacramentorum confectionem attentatum fuiſſet.

Multis Sacræ Scripturæ teſtimoniis hanc Eccleſiæ veritatem comprobat D. Auguſt. quæ legi poſſunt præcipue in Eſtio, quorum aliqua hic ab eodem afferuntur, quæ tamen brevitatis gratia prætermitto.

Et revera Sacramenta Eccleſiæ ſunt Chriſti Sacramenta, idest quæ vim habent operandi, ſcilicet ſanctificandi, a Chriſto Domino, non autem a meritis hominum, licet nonniſi per hominis miniſterium voluerit Chriſtus ea adminiſtrari, tamquam per cauſſam nonniſi tamen inſtrumentalem, cuius qualitas, eo excepto quod ad rationem pertinet inſtrumenti, nihil confert effectui, non ſecus ac nihil confert curationi ægroti utrum corpus Medici ſanum ſit, vel ægrum, dummodo ea non prætermittat, quæ ad medendum, iuxta regulas ſuæ artis, ut neceſſaria exiguntur. Poteſtas enim conficiendi Sacramenta collata a Chriſto Miniſtris, eſt gratia gratis data, quæ non eſt incompoſſibilis cum peccato. Alias cum fides, vel probitas ſæpe ſæpius deſit in Miniſtris Sacramentorum, ſæpe & de facili expoſita eſſent Sacramenta nullitati, cum magno animarum detrimento, & ſic Chriſtus parum Eccleſiæ ſuæ providiſſet.

Qui ulterius ſuper hoc deſideret, adeat Theologos Dogmat. ut P. Berti, Tournel. Hab. Eſtium, qui fuſius de hoc pertractant: pro Theologo enim morali hæc ſatis eſſe cenſeo.

§. V.

De qualitate Miniſtri quoad fidem, & probitatem ad licitam Sacramentorum confectionem, & adminiſtrationem.

Communis eſt Theologorum ſententia, ut licite Miniſter Sacramenta conficiat, neceſſe eſſe, ut ſit in ſtatu gratiæ; ita ut ſi cum conſcientia labe mortali gravata, Sacramenta conficere audeat, graviter delinquat. Et hoc manifeſte probant varia Scripturarum teſtimonia, ut Exodi 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne percutiat eos;* & Levit. 21. *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius; incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt.* Et cap. 22. *Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.* Ita hic loquitur, & alibi etiam Sacer textus de interna diſpoſitione Sacerdotum veteris legis, ne illicite & culpabiliter ad ſacra accederent miniſteria Sacrificiorum &c. Unde argumentati

Digitized by Google

tari ſic licet; quod ſi gravis pœna, ad hoc ut ſit iuſta, gravem ſupponit culpam, ſi gravis culpa, ut ex pœna comminata ſupponitur, erat Miniſtrorum veteris legis, ſi ſine debita munditia conſcientiæ, & puritate acceſſiſſent ad celebranda illius legis Sacramenta, quæ umbræ erant dumtaxat, & figuræ noſtrorum Eccleſiæ Sacramentorum: nemo non videt, quam grave ſcelus committant Sacerdotes legis evangelicæ, ſi accedant labe mortali inquinati ad Sacramenta conficienda, quæ talia reipſa ſunt, & propter alias etiam circumſtantias, tantæ ſunt ſanctitatis, & dignitatis. Teſtimoniis Scripturæ addi poſſent in confirmationem tam evidentis veritatis pœne innumera SS. PP. Summorum Pontificum, & Sac. Canonum teſtimonia, ut Auguſt. Gregor. Magni, Bernardi, Angelici, Nicolai I. Pontificis ad conſulta Bulgarorum cap. 7. Gregor. IX. de Temporib. ordinationum, Ritual. Rom. edit. iuſſu Pauli V. S. Carol. Borrom. Catechiſm. Rom. part. 2. n. 23. quorum verba brevitatis gratia afferre prætermitto, utpote quæ videri poſſint ab eo, qui ita optaret in Hab. Tournel. P. Berti, & alibi. Unde Concil. Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7. admonet, ac iubet, ut nemo conſcius mortalis peccati, quamtumvis ſibi contritus videatur, non audeat accedere ad ſacram conficiendam, ſumendamque Euchariſtiam non præmiſſa ſacramentali Confeſſione. Et ſi deficiat copia Confeſſarii, & neceſſitas urgeat, puta celebrandi, ſine prævia confeſſione, quamprimum, ideſt ſine ulla voluntaria mora, ut explicant ly *Quamprimum* Theologi, & Canoniſtæ, confiteatur.

Gravitas culpæ in illo, qui cum conſcientia peccati læthalis Sacramenta conficit, ſecundum aliquos repetenda eſt a dignitate Sacramentorum novæ legis, & excellentia gratiæ ſanctificantis, quæ ipſa Sacramenta ex opere operato producunt. Unde inferunt, non incurri in novum crimen, qui cum tali labe Sacramentalia conficiat, Epiſtolam, vel Evangelium ſolemniter legat &c. quia per eiuſmodi gratia ſanctificans non confertur: quod nonnulli extendunt etiam ad miniſtrationem Euchariſtiæ iam confectæ; quia tunc miniſter nec Sacramentum conficit, nec gratiam conferre, niſi remote, non ſecus ac laicus, qui Euchariſtiam alteri porrigeret.

Verum licet hæc ratio augeat peccatum mali Miniſtri, non eſt tamen ſecundum aliquos adæquata; quia cap. *Quæſitum* non ſolum arcentur a miniſtrando Sacerdotes, qui ſunt in peccato, ſed etiam inferiores Clerici a ſuis miniſteriis, licet hæc non producant gratiam ex opere operato; tum quia etiam Sacramenta, & ſacrificia veteris legis, tametſi egena, & vacua, munditiam requirebant in ſuis Miniſtris ſub pœna capitis.

Alii vero Theologi communiter volunt, gravitatem peccati indigne miniſtrantis repetendam eſſe, tum ex ſanctitate Sacramentorum novæ legis, tum ex ipſius Miniſtri conſecratione, & ſpeciali deputatione ad ſacra miniſteria, quod reddit rationem adæquatam, & aperit viam ſequenti diſquiſitioni.

Exponitur ſententia DD. reſpectu diſpoſitionis pure miniſtrantium tum Sacramentorum, tum Sacramentalium, tum aliarum Eccleſiaſticarum functionum, ut licite peragantur.

Nota, duplicem eſſe Sacramentorum Miniſtrum; unum ut dicunt Theologi *ſolemnitatis*, ideſt qui ad hoc ſpecialiter eſt conſecratus ab Eccleſia, vel deputatus, ut Epiſcopus confirmans, Sacerdos abſolvens: alterum *neceſſitatis*, qui nec ad hoc conſecratus eſt ab Eccleſia, nec ſpecialiter deputatus, ut Laicus baptizans in neceſſitate. Unde paucis exceptis, communiter concludunt, quod Miniſter ſolemnitatis Sacramentorum ſi ſecluſa ignorantia, inadvertentia, neceſſitate Sacramentum miniſtret in ſtatu peccati mortalis, fit gravis peccati reus, & eſt communis contra paucos. Habetur enim ex Apoſtolo ad Titum, Diſpenſatorem Dei debere eſſe ſine crimine: Et ex cap. ultim. 15. q. 8. ubi Nicolaus I. ait; *Mali adminiſtrando ſe tantummodo lædunt*. Item ex Ritual. Rom. *Impure, & indigne Sacramenta miniſtrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere niſi corde pœnitens; & ſi habeat copiam Confeſſarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri*. Magnam enim irreverentiam irrogat Chriſto, cuius, ut principalis eius Miniſter, vicem perſonæ gerit, & ſanctitati Sacramentorum indigne in re gravi ea tractando, qui cum læthali macula audet res tam ſanctas, nomine, & vice ipſius Chriſti miniſtrare. Et eo vel maxime, quod ratio ipſa ſui ſtatus, & officii puritatem animi exigit in Sacramentorum miniſtratione, cum Sacerdos per gratiam ſacræ ipſius ordinationis inſtitutus ſit a Chriſto Domino publicus Eccleſiæ Miniſter, ad hoc, ut cum debita conſcientiæ diſpoſitione digne miniſtret Fidelibus Sacramenta, quæ ſunt præcipua divinæ ſuæ gratiæ inſtrumen-

Duplex Sacramentorum Miniſter.

Digitized by Google

menta, quibus ſuſcipientes ſanctificantur, eiſdemque merita ipſius Chriſti Domini applicantur.

Dixi notanter *ſecluſa ignorantia*, *inadvertentia*, *aut neceſſitate*. Nam excuſaretur, ſi invincibiliter ignoraret, ſe eſſe in ſtatu mortalis reatus, vel propter animi turbationem ad ſuum ſtatum non adverteret, vel ſi talis ſit urgens neceſſitas, ut non detur locus contritioni, puta ſi iam moriturus abſolvi, aut baptizari deberet. Nam cum in huiuſcemodi circumſtantiis nequeat ſimul perſolvere debita religionis, & charitatis, ſecundum præferendum eſt primo, eo quod non ſint homines propter Sacramenta, ſed Sacramenta propter homines. Verum quidem eſt, nunquam licere poſitive tractare irreverenter Sacramenta, hæc irridere, contemnere, puta hoſtiam conſecratam proiicere, pedibus conculcare; licet tamen aliquando negative, nempe non exercere erga eadem omnem reverentiam, quæ debetur eorum ſanctitati, quando homines cum periculo ſuæ ſaluris illis eſſent privandi. Et huiuſcemodi præſumitur Chriſti voluntas, cum propter hominum ſalutem Sacramenta inſtituerit. Advertat tamen unuſquiſque, quod cum quolibet exiguo tempore donare valeat Deus contritionis gratiam, ideo non tam facile de temporis defectu ſibi adulentur.

Quoad Miniſtrum vero neceſſitatis, licet non ſit communis, probabilius tamen videtur, quod docent Vaſquez & de Lugo, graviter peccare, etiam non conſecratum, ſi cum conſcientia lethalis peccati ex neceſſitate miniſtret, vel conficiat, puta laicus baptizet. Nam allati textus, & PP. generatim omnes ſine diſtinctione comprehendunt Miniſtros, ſive conſecrati ſint, ſive non, ſive ſolemniter, ſive non ſolemniter miniſtrantes. Inſuper cum ſanctitas Sacramentorum, & dignitas perſonæ Chriſti in cuius nomine etiam Miniſtri non conſecrati agunt, & miniſtrant, non varietur ad variationem Miniſtri; ſic eadem reſpectu cuiuſcunque Miniſtri, ſub gravi, & in re gravi eſt exigentia & meritum, ut ſancte, & reverenter ab unoquoque tractentur, & ne Chriſto irreverentia irrogetur; quod non fit, quando Miniſter ea miniſtrat, & tractat cum conſcientia peccati læthalis.

Quare baptizantes, abſolventes, aut inungentes in ſtatu peccati læthalis tot numero peccata committunt, quot baptizant, abſolvunt, inungunt, utpote qui non ſolum miniſtrent, ſed etiam conficiant ſine interna animi diſpoſitione, nempe ſtatus gratiæ, tametſi baptiſmata, & abſolutiones ſibi immediate ſuccedant, cum quodlibet baptiſma, & abſolutio ſint integra actio, & completa, idcirco a priori, vel poſteriori prorſus independens.

Cum pariter certiſſimum ſit, mortaliter peccare Sacerdotem, vel Diaconum, qui ſacram Euchariſtiam in ſtatu læthalis culpæ miniſtraret, ut ex textibus, & rationibus antea allatis conſtat, nempe quod ſancta ſancte ſint tractanda, & in gerenda Chriſti vice cum intima puritate animi reverenter erga Chriſti perſonam in miniſtrando eius nomine ſit agendum: tamen non conveniunt Theologi in ſtatuendo, num in eiuſdem S. Euchariſtiæ adminiſtratione tot committantur peccata, quot ſunt perſonæ, quibus in eadem actione eam Sacerdos adminiſtrat; an vero unicum peccatum pro qualibet vice, qua accedit ad eandem diſtribuendam, licet longo intervallo talis diſtributio progrediatur, puta per quadrantem, & etiam per horam ſine morali interruptione. Contendunt aliqui, Miniſtrum tot committere peccata, quot hominibus etiam continuate Euchariſtiam diſtribuit: Alii vero pœne communiter, & probabilius tenent, in omni Euchariſtiæ diſtributione, quæ etiam pluribus fit ſine ulla morali interruptione, non eſſe niſi unicum peccatum. Nam licet quælibet diſtributio ſit actio phyſice completa, non ſecus ac in Sacramento Pœnitentiæ quælibet abſolutio; tamen cum Euchariſtia ſit inſtitura per modum convivii, cui multi interſunt, plures ſucceſſivæ, & non interruptæ diſtributiones ipſius Euchariſtiæ, ſingulæ moraliter coaleſcunt in unieam totalem, nempe in unum idemque convivium. Si tamen diſtributiones eſſent moraliter interruptæ, una moraliter non eſſet idem cum alia, ac ideo plura eſſent peccata. Et quia quælibet diſtributio indigna ultra primam eſt circumſtantia aggravans, cum ſolitarie ſumpta ſit grave peccatum, exprimendus eſt in confeſſione numerus perſonarum, quibus facta eſt diſtributio, vel ſaltem ſi hoc fieri nequeat, tempus, plus, minuſve diſtributionis.

Porro triplicis malitiæ mortalis in confeſſione aperiendæ reus eſt Sacerdos, qui in mortali celebrat, ac ſe ipſum communicat; ſcilicet indignæ confectionis, malæ miniſtrationis, & indignæ ſuſceptionis, non minus ac ſi alteri indigne miniſtraret, & ab altero indigne ſuſciperet. Ita P. Antoi. hic cum Suar.

Triplicis malitiæ reus fit indigne celebrans.

Quid de contrahentibus matrimonium cum conſcientia mortalis peccati. Contrahentes Matrimonium in ſtatu peccati mortalis, in ſententia eorum, qui volunt contrahentes eſſe Miniſtros, rei fiunt duplicis culpæ mortalis, & quia tamquam Miniſtri Sacramentum indigni conficiunt, & quia tamquam ſubiecta illud indigne recipiunt. Et in hac ſententia cum Parochus aſſiſtens non gerat vices Miniſtri, ſed teſtis, non peccat mortaliter, ſi in ſtatu culpæ læthalis aſſiſtat. Peccat quidem in ſententia eorum, qui volunt Parochum eſſe huius Sacramenti Miniſtrum, & ſic non peccant contrahentes, niſi ut ſubiectum ſuſcipiens.

Quid de Diacono, & Subdiacono ſua munia in mortali exercentibus. De Diacono, ac Subdiacono non conveniunt DD. Cogitant aliqui hos mortaliter delinquere, ſi cum labe mortali ſua exerceant munia, canendo ſcilicet ſolemniter Evangelium, vel Epiſtolam. Ita D. Thom. in 4. diſt. 24. q. 1. art. 3. q. 5. & ratio eſt, quia eorum miniſterium proxime accedit ad Sacram Euchariſtiam conficiendam, ac ad illud ſpecialiter conſecrati ſunt, & ſpecialiter deputati. Ita Habert cum D. Thoma cit. & de Diacono Henno. Alii vero volunt hoſce peccare ſolummodo venialiter, cum ipſis non videatur materia ita gravis, ut poſſit eſſe grave ſacrilegium, cum eorum officia nec ſanctitatem conferant ex opere operato, nec moraliter ſint actiones Chriſti, nec eius nomine peragantur. Hanc ſententiam docet Suarez diſp. 16. ut probabiliorem, licet, neſcio quomodo probabiliorem oppoſita hanc vocare poſſit, præcipue de Diacono, (quia de Subdiacono, qui remotius inſervit ſacræ Euchariſtiæ miniſterio gravior vertitur controverſia) cum pro iſta non militet, nec ratio evidens, nec auctoritas ſufficiens ſit pro illa, & iuxta regulam morum, ubi agitur de ſalute, tutior pars eſt amplectenda. Cæteroquin ipſe Suarezius eos a mortali excuſat, dummodo non habeant animum, & conſuetudinem ſic miniſtrandi, ideſt in malo ſtatu; alioquin etiam per dictum Suarezium non facile eſſent excuſandi a mortali, quia illa conſuetudo, & propoſitum videtur oriri ex quodam contemptu vel formali, vel virtuali, & quia illud obiectum ita ſumptum videtur ſatis grave. Antoi. Habert.

Quid de Clericis inferioribus ſua officia in gravi culpa exercentibus. Quod ſpectat vero ad inferiores Clericos, Acolythos nempe, Lectores, Oſtiarios, & clericali tonſura initiatos, communis eſt Theologorum ſententia, & fere certa, eos non peccare mortaliter, ſi cum læthali culpa ſua munia exerceant. Quia cum huiuſcemodi functiones iuxta hodiernum Eccleſiæ uſum peragantur etiam a laicis, qui iis hodie miniſtrant, non cenſentur agere tamquam Miniſtri conſecrati, & ab Eccleſia ſpecialiter deputati, & quia illa miniſteria ſunt remota a proprio actu ſacrificandi, & cenſentur officia imperfecta reſpectu ſacri miniſterii. Peccant tamen venialiter, dum in ſolemni, ac publico ritu illa exercent, quia proprie ſunt actus Ordinis ad quem ſunt conſecrati.

Quid de Concionatoribus munus ſuum in lethali exercentibus. Verum gravior eſt controverſia de Concionatoribus, quæ tamen ex illo præcipue pendet, an munus illud ex iure divino ſit proprium ſolius Epiſcopi, an etiam adiunctum ſit ex ipſo iure divino Præsbiteratus ordini & officio, ut videtur Caietano, aliis quamplurimis contradicentibus, quia in ordinatione Presbyteri nulla huiuſce miniſterii fiat mentio, nec illud ad omnes Presbyteros ſpectet; ſed his tantummodo incumbere poſſit ex Epiſcopi licentia, aut quia Beneficium poſſident, cui adiuncta eſt cura animarum. Unde ex hoc capite licet actio concionandi inter ſacras actiones computetur, quia tamen non continet in ſe gratiam, nec ordini Sacerdotali ſecundum communiorem eſt annexa, cum exerceri valeat etiam a Tonſuratis, abſolute & per ſe dicendum eſt non peccare, ſaltem graviter, concionantem cum conſcientia mortali labe polluta. Dixi *abſolute, & per ſe*; quia hoc poteſt contingere per accidens, ratione malæ ædificationis, pravi exempli, ſeu ſcandali, ſi Concionatoris peccatum ſit publice manifeſtum auditoribus, vel ſi dum eſt occultum, nullatenus ſe ad humiliationem, & pœnitentiam excitet, ac proinde vel in aliis dedecore vitæ ſuæ, vel in ſe ſimulatione, & hypocriſi, ſanctæ impediat fructum prædicationis: in quorum utroque caſu valde probabile eſt graviter peccare; cum in hiſce caſibus cadant ſuper verbi Dei Miniſtrum exprobrationes divinarum Scripturarum, ut Pſalm. 49. *Peccatori autem dixit Deus; quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum, per os tuum?* & Lucæ 4. *Medice cura te ipſum:* & huc ſpectat illud D. Auguſtini l. 3 contra Epiſt. Petil. cap. 56. n. 68. *Forma Sacramenti datur per baptiſmum, forma iuſtitiæ per Evangelium.*

§. VI.

De Miniſtro, qui conficit Sacramentalia in peccato mortali.

Maior difficultas, quæ oriri poſſit circa Miniſtros Sacramentalium qui cum mortali labe ea conficiunt, eſt circa Epiſcopum conficien-

ficientem in tali ſtatu ſacrum chriſma, oleumque infirmorum, quem a mortali excuſat P. Henno. Ego tamen libentius adhæreo P. Antoine, qui ſuſtinet illum læthaliter peccare, quia eius rationes me magis movent, nempe quod iſtæ conſecrationes, & benedictiones fiant a Miniſtro ad id conſecrato. Etenim per illas fit materia Confirmationis, & Extremæ Unctionis, in quibus gratia confertur partialiter intuitu materiæ ſic conſecratæ; cum chriſma, oleumque infirmorum non ſit materia Sacramenti, niſi ut benedicta, & conſecrata. Inſuper in illis actionibus ſe profert, ut Chriſti Miniſtrum, eiuſque perſonam immediate ſuſtinet, idcirco gravem Chriſto irrogat iniuriam huiuſcemodi actiones in ſæthali exercendo, cum graviter eius dignitatem ſanctitatemque lædat. Non currit igitur paritas, quam affert P. Henno de eo, qui coquit panem, vel exprimit vinum pro Euchariſtia, cum hi hæc pareut actione mere naturali, nec ullatenus ſacra, & religioſa, nec in tali actione Chriſti vicem perſonamque gerunt, nec ſe habent ut eius Miniſtri, ſicuti Epiſcopus in conſecratione chriſmatis, & olei infirmorum. Et talis conſecratio eſt multo proximior Sacramento, & collationi gratiæ ex opere operato, quam conſecratio Templi, Altaris, Calicis, aliorumque Sacramentalium. Quocirca non immerito dici poteſt, non peccare niſi ad ſummum venialiter, ob aliquam indecentiam, & irreverentiam, qui ſine ſanctitate munia aliorum Sacramentalium exerceat, nempe conſecrationis Templi, Altaris, Calicis, Benedictionis Abbatis, Veſtium Sacerdotalium, Aquæ luſtralis, Candelarum, Cinerum, Palmarum &c. Item ſi in tali ſtatu conferatur Tonſura, fulminetur excommunicatio, ſuſpenſio, vel ab his abſolvatur, quia hæc omnia nec ſunt Sacramenta, nec actiones Sacramentales; unde nec merita Chriſti diſpenſat Miniſter, nec agit eius nomine, cum hæc non ex iure divino, ſed Eccleſiaſtico annexa ſint Ordini, unde non requirunt ſaltem ſub mortali ſtatum gratiæ. Henn. P. Antoi.

Hic addendum eſt, quod graviſſimum, ac ſacrilegum ſcelus committit, qui non horreſcit tentare Sacramentorum confectionem, dum caret poteſtate Ordinis, vel etiam iuriſdictionis, quæ etiam in aliquo requiritur neceſſario ad tale opus; quia gravem irreverentiam Chriſto infert, volendo gerere perſonam eius, & eius nomine aliquid ſacrum peragere, eum per ſacram ordinationem non ſit ab eo, nec ab Eccleſia ad hoc deputatus. Item ſuo impio facto, falſam doctrinam profitetur; & tandem in re valde gravi proximum decipit.

§. VII.

De debito Miniſtri ſervandi diligenter accidentales ritus, ſeu cæremonias uſitatas ab Eccleſia in Sacramentis conficiendis & adminiſtrandis.

Tenetur quilibet Sacer Miniſter accurate ſervare ritus receptos & approbatos ab Eccleſia catholica, conſuetos adhiberi in Sacramentorum confectione, vel adminiſtratione, ut non ſolum enorme ſcelus ſit eos contemnere, ſed nequidem omitti poſſunt pro libitu a Miniſtro, aut in alios novos per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem immutari, ſive ſubſtantialiter, ſive accidentaliter ſine culpa, ſicuti ſub pœna anathematis credendum definivit, ac propoſuit Concil. Tridentinum ſeſſ. 7. can. 13. Talis eſt etiam Eccleſiæ præceptum, ſimulque conſuetudo, quæ vim obtinet legis. Etenim, dum Eccleſia modum præſcribit adminiſtrandi Sacramenta, illum ſervari iubet, alias nihil eſſet firmum, ac ſtabile in divino cultu. Quod ſane, utpote ad religionis virtutem pertinens, affert obligationem ex genere ſuo gravi, cum huiuſcemodi ritus ſint religioſæ actiones inſtitutæ ab Eccleſia ad decentem Sacramentorum adminiſtrationem, ad devotionem excitandam, ad ſacram ſignificationem. Hinc ſi ſine urgenti neceſſitate, vel inadvertentia aliquid omittatur, eſt mortale, ſi omiſſio ſit in re gravi, venialis ſi omiſſio ſit in re levi. Semper tamen eſt mortale, ſi minima cæremonia omittatur ex contemptu eam ineptam reputando, inanem, aut aliquid ſimile, eo quia gravis iniuria irrogetur, & Eccleſiæ, & Spiritui Sancto, qui eam regit.

§. VIII.

De reatu illius, qui Sacramenta ſimularet, ſeu ficte ea conficeret, aut miniſtraret.

Semper illicitum eſt ſub mortali ſimulare, ſeu fingere confectionem, & adminiſtrationem Sacramenti, ut conſtat ex cap. 7. *de Celebrat. Miſſar.*, ubi dicitur gravius peccare, qui ficte, ac ſimulate Miſſam celebraret, quam qui in ſtatu læthalis peccati celebraret. Hinc etiam Innoc. XI. damnavit propoſit. quæ n. eſt 29. in qua ſi habetur; *Urgens metus gravis eſt iuſta cauſſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.* Gravis enim eſt irreverentia contra Chriſtum Do-

Dominum ſic abuti verbis, ac rebus ſacris ab eo inſtitutis ad verum Sacramentum; hoc enim revera eſt illudere Chriſto, dum ſimulate fingit Miniſter ſe externe ipſius perſonam agere, quod ſimul etiam eſt mendacium in re graviſſima: Nam proprio ſuo facto, & exercite talis ſe dicit agere in nomine, & perſona Chriſti, ideſt baptizare, abſolvere, conſecrare, &c. dum ſcit hæc non fieri. Similiter eſt ſemper mortale ſimulare ſuſceptionem Sacramenti. Nam defectus veræ intentionis illud ſuſcipiendi, impedit effectum cuiuſvis Sacramenti, etiam Euchariſtiæ, imo valorem aliorum ſex conſiſtentium in actione tranſeunte. Ad valorem enim, & effectum Euchariſtiæ neceſſe eſt, ut adultus eam ſuſcipiens habeat veram intentionem, & animum ſaltem habitualem eam ſuſcipiendi. Verum cum gravis iniuria inferatur Chriſto Sacramentorum auctori, irrita ea reddendo, & inania, idcirco huiuſcemodi defectus eſt grave ſacrilegium.

Quare nunquam licitum reddi poteſt, nequidem ad evitandum quodvis malum quantumvis grave, miniſtrare ſcienter etiam conſentienti, ac recipere hoſtiam non conſecratam pro conſecrata; ut, puta tempore Paſchæ, vel in alia circumſtantia ad ſcandalum tollendum, appareat quis ſacram ſuſcepiſſe Euchariſtiam pro Eccleſiæ præcepto adimplendo, vel in alia etiam circumſtantia, ad vitandam de malo tamen occulto ſuſcipientis ſuſpicionem. Nam per ſe, & in ſe gravi malum eſt, proponere alteri adorandum cultu divino latriæ puram creaturam, & apponere cauſſam idololatriæ etiam materialis, ſicuti in hoc caſu contingeret, tum reſpectu adſtantium hanc fraudem ignorantium, tum reſpectu illius, qui externa reverentia illam hoſtiam ſuſciperet, ſicque ſcienter externam committeret idololatriam; quod eſt intrinſece malum, non ſecus ac thus coram Idolo adolere, tametſi non plus quis intelligeret, quam ſe delectari illius olfactu, eo quia hoc ſit cultu externo illud venerari, quod impium eſt, & ſacrilegum.

§. IX.

An licite Sacramentum miniſtrari poſſit indigno.

Nota 1. quod nomine indigni, & indiſpoſiti intelligitur Peccator, qui non ſe pœnituerit, vel excommunicatus non abſolutus, poſtremo quorum ne miniſtrentur Sacramenta, comminata eſt etiam cenſura.

Nota 2. Peccatorem non pœnitentem alium eſſe publicum, alium occultum. Peccator vero publicus dupliciter talis eſſe poteſt; vel publicitate, ſeu notorietate iuris, quando aut per ſententiam Iudicis, aut per ipſius confeſſionem, aut per teſtium depoſitionem talis in iudicio declaratus eſt; vel publicitate facti, quia ſcelus commiſſum ſit in loco publico, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, cum per multos iam innoteſcat, vel cum eius fama ex ſufficientibus indiciis orta iam pervenit ad multos, brevi ad alios perventura. Peccator vero occultus ille intelligitur, qui a ſacro Miniſtro cognitus eſt talis, ideſt peccator ſolum cognitus in confeſſione. Hiſce notatis ſit.

Peccatori publico indigne petenti, ſeu quem ſcit Miniſter non pœnituiſſe, nec publicum ſcandalum removiſſe, ſive publice, ſive privatе, ſive occulte petat, non poteſt ſacer Miniſter ſine gravi culpa Sacramenta miniſtrare; quia cum quilibet diſpenſator teneatur fideliter, & prudenter diſpenſare iuxta voluntatem Domini ſui, ut 1. Corinth. 4. *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*; profecto infideliter diſpenſaret Miniſter eccleſiaſticus, & contra voluntatem Domini ſui, qui vetuit ne margharitæ proiiciantur ante porcos, ideſt ne ſancta præbeantur indignis; unde Miniſter præbens tali indigno Sacramentum, in re gravi deficeret oneri & officio, quod ſibi incumbit, ſcilicet ne indignos ad Sacramenta admittat. Inſuper talis Miniſter cooperaretur indignæ, ſeu ſacrilegæ receptioni ſuſcipientis, cum nulla poſſit eſſe maior cooperatio ad recipiendum, quam dare voluntarie non ſolum, ſed etiam ſine ulla obligatione.

Dixi, *quem ſcit Miniſter non pœnituiſſe, nec publicum ſcandalum removiſſe*: Nam ſi ſufficientia dederit veræ converſionis ſigna, & ſcandalum publicum ſuſtulerit, tunc licite tali peccatori, ſive publice, ſive occulte petat, poſſunt miniſtrari Sacramenta, cum ceſſaverit ratio, quæ eum indignum, & incapacem reddebat, ut illa ipſi miniſtrarentur.

Excipe tamen ex hac regula Sacramentum Matrimonii, cum non conveniant Theologi, num ſint Miniſtri huius Sacramenti contrahentes, vel Sacerdos; nec peccat contrahens cum publico peccatore, neque peccato illius cooperatur; quia in ipſo ſtat, ut ſaltem per contritionem ſe diſponat, alias multa ſequerentur inconvenientia, ſi contrahens deberet eſſe ſollicitus de iuſtitia alterius contrahentis, ac multæ fraudes interponi

poni poſſent. Unde Eccleſia alicubi tolerat Catholicum contrahere cum Hæretica.

Peccatori occulto publice petenti non deneganda ſunt Sacramenta.

Peccatori vero occulto, qui ſolum ex confeſſione talis agnoſcitur, indigne petenti, non ſolum licite poteſt, imo tenetur Miniſter Sacramenta adminiſtrare dum publice petit; imo etiamſi eum talem cognoſcat extra confeſſionem. Et ratio primi eſt; quia ne confeſſio reddatur odioſa, & ne ab illa homines retrahantur, non licet uti extra Confeſſionem cognitione habita in confeſſione, ſicuti fieret denegando Sacramenta cognito ex ſola confeſſione indigno. Ratio vero ſecundi eſt, quia læderetur eius fama, cum gravi ſcandalo, dum alioquin quoad utrumque caſum poſſit reſipuiſſe, cum in momento hoc contingere valeat. Et alias præcepta iuſtitiæ, & charitatis, quæ ſtrictius urgent, quem præceptum ſolius religionis, violarentur. Et hæc eſt praxis Eccleſiæ, iuxta Chriſti exemplum, qui Iudam, quem noverat indignum, non excluſit a ſui corporis, & ſanguinis communione, ut peccatoribus occultis publice petentibus Sacramenta non denegentur. Docuit enim Chriſtus ſuo exemplo, in tali caſu danda eſſe, ne proximus infametur; & quia ſecus orirentur gravia ſcandala, incommoda, & perturbationes. Quocirca cum Miniſter in tali caſu diſpenſet ex obligatione, non cooperatur moraliter alterius crimini; nec externa receptio eſt per ſe mala, ſed ſolum per accidens, nempe ex prava diſpoſitione ſuſcipientis, qui cum etiam in momento queat pœnitere, eſſet bona, ſi vellet, actum contritionis eidem præmittendo.

Quod ſi peccator occultus occulte petat, vel ſolum coram iis, qui eius indignitatem norunt, poteſt, & debet miniſter Sacramenta denegare. Ita ex Rituali Romano, & hoc iuxta varios Doctores, tametſi eius indignitas ex ſola Confeſſione ſit nota, modo nullus alius adſit; quia tunc nulla eſt revelatio confeſſionis. Multi tamen hoc negant; quia tunc eſſet quædam virtualis exprobatio, & commemoratio peccati, quod iure divino graviter eſt illicitum.

Ex dictis autem ſequitur, Miniſtrum debere providere, ut ſuſcipiens habeat diſpoſitiones ad Sacramentum licite, & utiliter ſuſcipiendum; ita ut non ſufficiat, quod non ſciat eſſe indignum, verum debet poſſe prudenter præſumere quod ſit dignus, alioquin non eſt prudens, & fidelis diſpenſator, & ſe exponeret periculo miniſtrandi indigno, & privandi Sacramentum effectu ſaltem primario, nempe gratia ſanctificante. In huiuſcemodi tamen cautela attendenda eſt natura cuiuslibet Sacramenti, praxis Eccleſiæ, commune iudicium prudentum. Sic accuratior requiritur notitia diſpoſitionis in Sacramento Pœnitentiæ; quia in hoc Confeſſarius eſt iudex in cauſſa Dei, qui debet examinare conſcientiam pœnitentis, & eius dignitatem, aut indignitatem, ut poſſit debite ferre ſententiam, & quia diſpoſitio pœnitentis requiritur ad valorem Sacramenti. Sic Sacramenta, quæ ſtatum conſtituunt variis obnoxium obligationibus, ut Baptiſmus, Ordo, Matrimonium exigunt maiorem diſpoſitionis indicium, probationemque. Hactenus P. Antoine.

Quoad excommunicatos vero alii ſunt denunciati, aut manifeſti Clericorum percuſſores; alii non denunciati, nec manifeſti Clericorum percuſſores. Primis, quo uſque abſolvantur, vel veriſimile præſumatur abſolutos eſſe, Sacramenta nequit adminiſtrare Miniſter, abſque eo quod præter mortalem culpam incurrat quoque excommunicationem minorem, & Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ut cap. *Significavit*, cap. *Cum deſideriis de ſentent. Excommunicat.*

Quod ſi excommunicati ſint denunciati a Papa, incurrit miniſter excommunicationem maiorem reſervatam Papæ, ut ex cit. cap. *Significavit*, & Clement. 3. eodem titulo. Si vero eſſent excommunicati propter hæreſim, vel quia fautores ſunt hæreticorum, ſuſpendeodus eſſet ab officio, nec reſtituendus ſine Papæ diſpenſatione.

Si autem adminiſtraret Sacramenta excommunicatis non denunciatis, nec manifeſtis Clericorum percuſſoribus, cum non obligetur talibus denegare ex vi cenſuræ, iuxta Extravag. *Ad evitanda*, ſed ſolum ex generali ratione, quod indebite antequam abſolvantur, accedant, non incurreret niſi mortale reatum, non autem cenſuram, ut Suarez, Vaſquez, Bonacina, aliive.

§. X.

An liceat petere vel recipere Sacramentum ab indigno Miniſtro.

Priuſquam res diſcutiatur, advertendum, Miniſtrum improbum vel non eſſe toleratum, ut ſunt iuxta Concil. Conſtantien. maiori innodati Excommunicatione, ſicuti hæretici, publici Clericorum percuſſores, nominatim per ſententiam Iudicis declarati excommunicati, & ſuſpenſi, degradati, irregulares; vel eſſe toleratum, ut ille, qui licet

licet ſit peccator, vel etiam ipſo facto excommunicationem incurrerit, non eſt tamen nominatim per ſententiam Iudicis declaratus excommunicatus vel ſuſpenſus, nec eſt notorius Clericorum percuſſor.

Ab improbo Miniſtro non tolerato licite petere, & accipere nequit Sacramenta, niſi conſtitutus in extrema neceſſitate, ideſt in periculo mortis, & tunc etiam ea tantummodo, quibus indiget ad ſuam ſpiritualem ſalutem, nempe Baptiſmum, vel Pœnitentiam, utpote ad illam neceſſitate medii neceſſaria. Et hoc conſtat ex D. Thoma in 4. diſt. 24. q. 1. art. 3. quæſtiuncul. 5. ad 3. ubi docet, illicitum eſſe petere, ac recipere ab improbo Miniſtro extra caſum extremæ neceſſitatis Sacramenta, quando tamen eius indignitas, ſeu improbitas petenti, vel accipienti ſit cognita; & ſic duo concurrere debent ex S. Doctore, ut illicitum ſit petere, aut accipere ab huiuſcemodi Miniſtro Sacramenta. Primum nempe, quod nulla ſit neceſſitas petendi, aut ſuſcipiendi. Secundum, quod conſtet Miniſtrum eſſe male diſpoſitum, & cum prava diſpoſitione miniſtraturum, alias in dubio, præſupponendus eſt bonus, quia niſi moveant indicia moraliter certa, charitas *non cogitat malum*, 1. Corinthior. cap. 13. Certa autem indicia difficillme haberi poſſunt, niſi Miniſter verſetur, vel in proxima occaſione, vel in diuturna conſuetudine peccati, ut ſi v. g. Paſtor ſit ebrius, vel concubinarius, & notorie ineptus ad Sacramentorum miniſterium.

Inſuper veritas huiuſce ſententiæ confirmatur ex Eccleſiæ præcepto, quo vetat communicationem cum non tolerato, præſertim in rebus ſacris; & ex eo, quod non licet petere ab aliquo id, quod ſine peccato præſtare nequit; quod ſane fieret petendo a tali Miniſtro Sacramenta extra neceſſitatem. Hoc enim eſſet eum inducere, ac provocare ad malum. Et ſicuti illicitum eſt petere, ita accipere ab aliquo, quod præbere non valet; quia hoc eſſet cooperare illius peccato, quod melius apertiuſque fieri non poteſt, ſicuti acceptando rem illicitam, ſine qua acceptione non fit datio.

Quod vero liceat petere a Miniſtro, improbo non tolerato in caſu extremæ neceſſitatis, id docet manifeſte D. Auguſtinus l. *de Baptiſm.* cap. 11. ubi ſic habet; *Si quem forte coegerit extrema neceſſitas, ubi Catholicum per quem accipiat* (Baptiſmum) *non invenerit.... per aliquem extra unitatem Catholicam poſitum acceperit*. Et ita de Sacramento Pœnitentiæ definivit Concil. Tridentinum ſeſſ 14. cap. 7. In Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, a quibuſvis caſibus, & cenſuris, abſolvere poſſunt. Et ratio eſt, quia lex Eccleſiaſtica non præiudicat iuri naturali, & divino; & ſicuti prohibere nequit, quod excommunicatus denunciatus ſuccurrat naufraganti, aut famæ pereunti, multo minus id verare poteſt relate ad conſtitutum in periculo æternæ damnationis.

Circa vero Miniſtrum improbum toleratum; ab hoc quoque, quando moraliter conſtet peccaturum miniſtrando, petere, vel accipere Sacramentum, ſi adſit alius probus, illicitum eſt iure naturali, & divino. Nam ex lege charitatis in Deum & proximum tenetur quiſque impedire peccatum proximi quantum poteſt ſine gravi proprio damno, & incommodo. Igitur niſi adſit aliqua neceſſitas, debet ſe quiſque cavere a petendo, vel accipiendo Sacramenta ab eo, qui peccaturus deprehenditur conferendo. Et eo magis hoc quiſque, quando ſine ſuo gravi incommodo poſſit, evitare debet; quia alias ſine iuſta cauſſa occaſionem daret peccandi, ac proinde moraliter cooperaretur eius peccato, dum facile hoc impedire poteſt. Et licet paratus eſſet miniſtrare, te tamen non petente, aut recipiente, malam voluntatem non exequeretur, & ſic hic & nunc non peccaret, & hoc numero ſacrilegium non admitteret. Si iuſta vero, & gravis adſit cauſſa, ſeu aliqua neceſſitas, quæ tanta tamen requiritur, quanta ut licite petatur mutuum ab Uſurario, iuramentum ab Infideli; tunc licitum eſt per ſe loquendo hæc petere, & accipere Sacramenta ab indigno tolerato, ſi alius deſit, a quo hæc peti, & recipi queant. Dicta autem neceſſitas adeſſe cenſetur, dum inſtet præceptum confitendi, aut ſumendi Euchariſtiam quindenna Paſchali, aut recipiendi benedictionem Nuptialem, Extremam Unctionem in morbo. Unde tunc licite quiſque recipit Sacramenta a Parocho, tametſi excommunicato, & ſuſpenſo, ſed tolerato; quia tunc petens & recipiens, ſi alius non adſit Sacerdos a quo illa ſpiritualia ſubſidia ei miniſtrentur, verſatur in gravi neceſſitate.

Et eo magis tunc honeſte, & licite petit, ac accipit, quia petit, & accipit rem ab eo, qui licet indignus & peccaturus prævideatur, pœnitere tamen poteſt hic, & nunc; unde ſi male miniſtret, imputandum eſt

eius

eius malitiæ, non alterius petitioni. Et charitas non obligat impedire peccatum in proximo, quod idem impedire poteſt, dum viget neceſſitas ut eius opere utamur.

Nota, quod a malo Miniſtro, tametſi tolerato, qui aperte profiteatur errorem aliquem ab Eccleſia damnatum, vel renitens ſit iudicio Eccleſiæ in materia fidei, non licet petere, nec accipere Sacramenta extra caſum extremæ, aut ſaltem graviſſimæ neceſſitatis, quia alias oriretur ſcandalum, ac periculum perverſionis fidelis populi, eo quod auctoritas conciliaretur errori, & fides.

§. XI.

De ſubiecto Sacramentorum, & de eius diſpoſitione requiſita ad Sacramenta rite ſuſcipienda.

Sacramentorum ſubiectum ita in Scholis appellatur, qui Sacramentum a Miniſtro recipit, ſeu ſuſcipit, & capax eſt effectus Sacramenti recipiendi; & de iſto ſuſcipiente tria occurrunt examinanda, ideſt 1. quinam ſit capax ſuſcipiendi Sacrameta; 2. quænam intentio requiratur in eo, qui ad Sacramentum accedit, & cuius generis; 3. quanam animi præparatione, ad fructum Sacramentum percipiendum, quiſque ea ſuſcipere debeat.

Nunc igitur expendendum eſt, an ſolus homo viator ſit moraliter capax ſive mediate, ſive immediate recipiendi Sacramenta novæ legis. Dixi *moraliter;* quia non agitur de phyſica capacitate, quam habet ut ſenſibiliter affici poſſit, per ſenſibiles illos ritus, puta ablui per aquam Baptiſmatis; ſed de capacitate morali, quæ afficit animum, & ex Chriſti inſtitutione adiunctas exigit circumſtantias, & conditiones. Hiſce habitis ſit.

Solus homo viator de lege ordinaria eſt ſubiectum capax ſuſcipiendi Sacramenta; certum hoc eſt, & commune. Et hoc patet ex variis momentis, ideſt tum ex Chriſti inſtitutione, qui talia remedia pro ſpirituali profectu viatorum hominum inſtituere voluit, non ſecus ac eorumdem Sacramentorum Miniſtros, ut Hebræor. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum;* tum ex ipſa ratione. Nam ſi Sacramenta ſunt quædam viſibilia ſigna, quibus homines in Dei cultum ſub alicuius religionis nomine coadunantur, ſi ſingulas novæ legis Sacramenta ſunt ſalutis remedia, ac veluti canales, per quos cœleſtis gratia ad creaturas defluit, ſi ſunt inſtrumenta per quæ ad finem ſupernaturalem pervenitur; *ſi per hæc* (ait Concil. Triden. ſeſſ. 7. in Proæm.) *omnis vera iuſtitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur;* hæc omnia certe non poſſunt convenire niſi hominibus viatoribus, qui ſoli corpore, & animo præditi ſunt, ac ideo indigentes & capaces ſymbolorum ſenſibilium, nec non gratiæ ſanctificantis per ipſa ſenſibilia ſigna applicabilis. Non enim creaturis irrationabilibus convenire poſſunt, quæ gratiæ ſanctificantis ſunt prorſus incapaces. Non Angelis, nec hominibus defunctis beatis, & quia utrique ſunt incorporei, & quia gratia ſanari, aut confirmari non indigent, & cum omni culpa, & eius periculo careant, eo quia ſint iam in termino, ubi adhærentes incommutabiliter ſummo Bono, inamiſſibiliter ſuam poſſident æternam ſalutem, proinde cum non valent nec ab ipſa deficere, nec in ipſa proficere, non poſſunt effectus percipere Sacramentorum. Non tandem Dœmonibus, & hominibus damnatis, & quia hi quoque ſunt incorporei, & quia cum perdiderint perpetuo æternam vitam, ut nullatenus illam ſperare poſſint, nihil pro eis valent Sacramenta, quæ ſunt ſolius æternæ ſalutis inſtituta remedia.

Obſervandum tamen, non quemlibet hominem viatorem capacem eſſe cuiuslibet Sacramenti; & hoc vel ex libera Chriſti voluntate, vel etiam ex natura rei: Nam fœminæ ſunt abſolute impotentes Ordinis, infantes Matrimonii, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis; imo cum Baptiſmus ſit ianua omnium aliorum Sacramentorum, quilibet non baptizatus eſt incapax cuiuſvis aliorum Sacramentorum.

§. XII.

De diſpoſitionibus in ſuſcipiente Sacramenta, quoad eius intentionem ſeu conſenſum.

Nota, quod circa diſpoſitiones, quæ requiri poſſunt in ſuſcepturo Sacramenta, quarum aliæ ſunt pro valida, aliæ pro licita, ſeu pro effectus Sacramenti ſuſceptione, hoc ſemper intelligitur de ſolis adultis: nam in infantibus, & perpetuo amentibus nihil requiritur, ut valide ea recipiant, quorum ſunt capaces, ſcilicet ut recipiant Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, & forte Ordinem, de quo eſt quæſtio. Eſt contra Lutherum, qui exigit in quolibet Baptiſmate initiando fidem actualem; & contra Eraſmum, qui in Præfat. Paraphraſis in Matth. docet, baptizatos in infantia, ſi in adoleſcen-

ſcentia Baptiſmum ſuum non ratificent, habendos eſſe pro non baptizatis. Et hoc patet ex perpetua Traditione, & praxi Eccleſiæ, ſecundum quam baptizantur infantes in fide Eccleſiæ. Nam, ut ait D. Auguſt. ſerm. 294. olim 14. de verb. Apoſtol. cap. 11. *Qui peccavit in altero* (Adamo), *credit in altero*, nempe in Eccleſia. Et equidem ſi in biſce requireretur aliqua diſpoſitio, quæ fieri nequit niſi per deliberationem voluntatis, cum ad hoſce actus ob defectum uſus rationis ſint incapaces, ſalvari non poſſent, ſi in infantili ætate morerentur.

In adultis ad hoc ut valide Sacramenta ſuſcipant, neceſſe eſt, ut non ſolum non repugnent, ideſt renuant illa ſuſcipere, nec pure negative ſe habeant, ſed ut habeant aliquam poſitivam voluntatem, ſeu intentionem illa ſuſcipiendi; & hæc ſufficit excepto Sacramento Pœnitentiæ, in quo aliquid plus in ſuſcipiente exigitur, ut infra. Eſt communis; & quoad primum probatur ex unanimi ſenſu Eccleſiæ, & ex ſententia ac Decreto Innocent. III. Cap. *Maiores* de Baptiſmo, ubi expreſſe ait: *Ille, qui nunquam conſentit, ſed pœnitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti*. Ratio autem ſententiæ eſt; quia cum certa Sacramenta, præſertim Baptiſmus, & Ordo gravia imponant ſuſcipientibus onera, non videtur iuſtum, ut illis oneribus inviti graventur. Item quia incongruum eſt, notant Theologi, ut Deus adſcribat ſuæ familiæ, ac filium ſuum conſtituat, & hæredem, qui talem eſſe renuit, & reluctat.

Quoad 2. vero, & 3. nempe, quod neceſſe ſit, ut ſuſcipiens non ſe habeat mere negative, ſed debeat habere aliquam voluntatem, ſeu intentionem ſuſcipiendi Sacramentum; hoc quoque comprobat Traditio, ſenſus, & praxis Eccleſiæ, quam expreſſit in Concil. Carthaginen. III. anno 36. Carthaginen. IV. anno 396. can. 79. Arauſic. I. anno 442. can. 12. ubi ſemper ſtatuitur, ægrotos, qui uſum vel linguæ, vel rationis amiſerunt, non eſſe baptizandos, abſolvendos, niſi conſtet ex teſtibus, eos prius voluiſſe baptizari, vel abſolvi. Ita Rituale Rom. editum auctoritate, & iuſſu Pauli V. vetat, ne baptizetur adultus, qui ex morbo, aut ex alio fortuito eventu incidit in amentiam, qui dum eſſet rationis compos baptiſmum non petiit. Ex tali igitur praxi, & iuſſu Eccleſiæ non baptizandi, vel abſolvendi ægrotos ſine alicuius teſtimonio, qui patefaciat præcedens deſiderium ægroti baptiſmum, vel pœnitentiam ſuſcipiendi, colligitur ad evidentiam, ſenſum eſſe Eccleſiæ, requiri ad validam Sacramenti Baptiſmi, & Pœnitentiæ ſuſceptionem poſitivam voluntatem, ſeu intentionem & attenſum ſuſcipientis Sacramenta recipiendi; tantum abeſt, quod in ſententia Eccleſiæ ſatis eſſe poſſit voluntas negativa, quæ ſcilicet nec aſſentit, nec diſſentit Sacramentum ſuſcipere. Et a fortiori hoc trahi poteſt ad alia Sacramenta, quæ non ſunt ita neceſſaria, ſicuti Baptiſmus, & Pœnitentia. Duplici autem ratione hoc confirmatur: 1. quarum eſt, quod cum ſuſceptio Sacramenti ſit quædam initiatio, & conſecratio, ſeu Religionis profeſſio, certe ſine voluntatis motu, ſeu deliberatione fieri nequit. 2. vero eſt ipſa Chriſti inſtitutio, qui convenienter voluit, ut nullus adultus, qui uſu caleat rationis, ſanctitatem, vel eius augmentum reciperet, niſi ipſe in ſuam ſanctificationem conſentiat; idcirco noluit, ut in adulto ſine ſua volnntate, & conſenſu, Sacramenta, quæ inſtituit ad dandam, augendamque ſanctitatem, valida eſſent. Et hanc eandem rationem affert Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. ubi de iuſtificatione loquens, ait: *Iuſtificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum*. Et ante Concilium ita docuit etiam S. Thomas 3. part. q. 68. art. 7. ubi ait, quod ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus. Quod vero talis voluntas, & intentio ſufficiat ad valide ſuſcipienda Sacramenta, puta Baptiſmum, ita ut non requiratur, ut eidem ſit coniuncta fides, conſtat ex citata praxi Eccleſiæ, quæ ſemper approbavit Baptiſmum in hæreſi receptum, & talis ſententiæ fuit etiam S. Auguſt. in l. 1. *de baptiſm.* cap. 14. ubi de fide ſic ait: *Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt: fieri enim poteſt, ut homo integrum habeat Sacramentum, & fidem perverſam*.

Dixi *excepto Pœnitentiæ Sacramento*, imo adde etiam Matrimonio; quia actus pœnitentis, contritio ſcilicet, confeſſio, & ſatisfactio, ſunt materiæ Sacramenti Pœnitentiæ. Unde cum ſine materia, & forma, utpote partes eſſentiales Sacramenti, Sacramentum non perficiatur, illi actus neceſſario ponendi ſunt a ſuſcipiente, ut valide Sacramentum ſuſcipiat; ſic cum Sacramentum Matrimonii ſit etiam ſpecies contractus, requiritur in contrahentibus conſenſus ſaltem virtualis. Nullus enim contractus perfici poteſt ſine partium conſenſu.

Sed

Sed quia variæ ſunt intentionis ſpecies, ſicuti alias notavimus, actualis ſcilicet, virtualis, habitualis, & interpretativa; reſpectu Sacramentorum Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Matrimonii, requiritur in ſuſcipiente intentio ſaltem habitualis, quæ eſt præterita voluntas, ſeu præcedens deſiderium non retractatum, alicuius rei conſequendæ. Et hoc ex dictis de uſu & praxi Eccleſiæ manifeſte comprobatur, ex eo nempe, quod ad hoc ut moribundus ob rationis & ſenſuum deſtitutionem, nullatenus intentionem ſuam, ac deſiderium circa Sacramentorum receptionem exponere valens, baptizetur, abſolvatur, vel ungatur, non plus exigit Eccleſia, niſi quod conſtet de præterita eius voluntare, & deſiderio Sacramenta illa recipiendi, ut habetur ex cit. Concil. Carthagin. & Arauſic. nec non ex Ritual. Pauli V. Et revera nunquam uſa eſt Eccleſia reiterare Baptiſmum, nec Ordinem in iis, qui eum in hæreſi, vel cum læthali culpa ſuſceperunt, ob ſolam voluntatem, licet præteritam, ſeu quam habuerunt hæc Sacramenta recipiendi. Dixi requiri *intentionem*, *ac voluntatem ſaltem habitualem*; quia cum per baptiſmum veluti profiteatur ſuſcipiens religionem Catholicam, ac proinde ad ipſius religionis inſtituta obſervanda ſe obliget, neceſſario in illo ſupponi debet intentio ſeu voluntas ſaltem habitualis ſe ſubiiciendi, & obligandi talibus oneribus. Quod eo magis dicendum eſt de Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonii, in quibus cum actus ſuſcipientium rationem habeant materiæ, & partis eſſentialis, neceſſe eſt, ut quando hæc Sacramenta celebrantur, tales actus cenſeantur præſentes ſaltem moraliter. Hab. Antoi.

Ad validam aliorum Sacramentorum receptionem ſatis eſt intentio generalis, & interpretativa ea ſuſcipiendi, ſecluſo fortaſſe Sacramento Ordinis. Eo ipſo enim quo quis baptizari voluit, Eccleſia ſemper eſt interpretata, voluiſſe ſimul cum Baptiſmo ius aquirere participandi omnibus gratiis, ac privilegiis, ſeu bonis omnibus, quæ ſuis fidelibus ex divina diſpenſatione poteſt, ac ſolet elargiri; nec aliquid plus exigit, quam Baptiſmum, catholicamque profeſſionem, ut in aliquibus caſibus eidem illa conferat Sacramenta, de quibus loquimur. Nam quotieſcunque evenit, ut aliquis fidelis repentino morbo correptus, uſum linguæ & rationis amiſerit, ei adminiſtravit Sacramenta Confirmationis, ac Extremæ Unctionis, licet antea illa non petierit; hoc ſolo contenta pia mater, quod vota Baptiſmi evidenter per peccatum mortale non retractaſſet.

Dixi *ſecluſo fortaſſe Sacramento Ordinis*; cum controvertatur in Scholis, num valide infantibus conferri valeat, quod nonnulli ſine certo tamen fundamento affirmant: nam liberum eſt cuique fideli amplecti quemlibet ſtatum ipſi libuerit, Clericalem ſcilicet, vel coniugalem. Unde nullatenus poteſt, nec debet intelligi in profeſſione Chriſtianæ Religionis voluntas ſeu intentio interpretativa ſuſcipiendi Ordines, utpote qui non ſint neceſſarii ſingulis hominibus neceſſitate medii, nec præcepti ad æternam ſalutem, ſicuti Confirmatio, Extrema Unctio &c. Quocirca valide conferri nequeunt Ordines infanti, imo neque adulto, qui actu nunquam ſuam intentionem expreſſerit de ſacro Ordine ſuſcipiendo.

Alii vero DD. diſtinguunt Chriſtianos qui mediocri virtute contenti ad Evangelicam perfectionem non aſpirant, a Chriſtianis, qui toto corde ad illam contendunt, qui tamen ex ſenſu propriæ infirmitatis, ideoque ex Chriſtiana humilitate ſacro Ordine initiari reluctant; & ſtatuunt in prioribus locum non habere voluntatem interpretativam, ſi agatur de ſacra Ordinatione, ita ut ſine actuali illorum præcedente voluntate, invalida eſſet ordinatio; valida vero eſſet ſecundum iſtos in poſterioribus; quia (aiunt) eo ipſo quod iſtiuſmodi inſignes pietate Chriſtiani ſe totos Deo, ac eius cultui dicant, & conſecrant, cenſentur ſaltem generali intentione, licet particulari fortiter reſiſtant, acquieſcere divinæ vocationi, cuius ſigna iam moraliter certa non deſunt. Et huc ſpectant Ordinationes factæ invitis, quæ ſolent obiici contra primam ſententiam de aliqua intentione, ſeu voluntate requiſita ad Sacramenta valide ſuſcipienda, quibus exemplis demonſtrare conantur etiam ſine ulla præcedenti voluntate, ſeu intentione in ſuſcipiente valide Sacramentum ei conferri. Dicitur enim de Flaviano Epiſcopo Antiocheno, ordinaſſe Macedonium Eremitam omnino reluctantem, ut tradit Theodoretus in Monaſtic. Hyſtor. cap. 13. S. Epiphanius pariter initiavit ſacro Ordine Paulinianum Fratrem D. Hieronymi tanta vi, ut etiam os eidem obſtrueret, ne reclamaret, ut ipſemet teſtatur Epiphanius Epiſt. 60. Verum huiuſcemodi Ordinationes factæ fuere in viris pietate inſignibus, & præcipue ornatis humilitate, qui propterea reluctabant, non abſolute, cum eſſent Prælatis Eccleſiæ obſe-

ſequentiſſimi, ſed ſolum ex humili ſenſu, quem de ſe ipſis habebant, ideſt quia cenſebant ſe indignos ad talia onera ſubeunda. Quare Flavianus, & Epiphanius ordinarunt hos, licet reluctantes voluntate particulari, non vero generali, qua totos ſe Deo conſecraverant, & ob talem generalem intentionem, quam in illis intellexerunt Epiſcopi, non obſtante illorum reſiſtentia eos ordinarunt.

§. XIII.

De Diſpoſitionibus requiſitis in ſuſcipiente, ut licite, Sacramenta recipiat cum fructu.

Duplex eſt effectus Sacramentis omnibus communis; ſcilicet gratia habitualis, ſeu ſanctificans, quæ plus, vel minus iuxta ſubiecti diſpoſitionem, in eodem actu ſuſcipiendi Sacramentum confertur. Alter gratiæ actuales, quæ intuitu Sacramenti ſuſcepti opportuno tempore conferuntur ad finem cuiuſcunque Sacramenti proprium obtinendum, dummodo ſuſcipiens obicem non ponat cum ſuis peccatis: & hæ dicuntur gratiæ Sacramentales. Non loquimur hic de diſpoſitione ad characterem; nam ad hunc recipiendum ſufficit diſpoſitio, ideſt intentio, quæ ad valide Sacramentum ſuſcipiendum requiritur, cum ſtatus culpæ huic non opponatur, utpote qui non ſit incompatibilis cum peccato, cum ob ipſum non deleatur ex anima, ſicuti expellitur gratia quæ cum eo ſubſiſtere nequit.

Ad licitam cuiuslibet Sacramenti receptionem, 1. requiritur fides, ſine qua, inquit S. Ambroſius l. 1. *de Spirit. Sanct.* cap. 3. vacuum eſſe omne myſterium; idemque dicito generatim de devotione, & pietate; quia ſancta ſancte tractanda ſunt, & quia quo maior erit pietas, & devotio, tanto copioſior ſructus percipietur, cum Sacramenta gratiam conferant ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, ut conſtat ex Concil. Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. 2. requiruntur illæ conditiones, ſeu diſpoſitiones, quas diverſa poſtulat Sacramentorum qualitas. Nam Sacramenta alia ſunt mortuorum, & ita vocantur, quia conſerunt primam gratiam, ideſt per ipſa reviviſcunt homines a morte peccati ad vitam gratiæ, ut eſt Baptiſmus, & Pœnitentia; alia vero, ut ſunt reliqua Sacramenta, conferunt ſecundam gratiam, ac ideo dicuntur Sacramenta vivorum, quia ſupponunt hominem, qui ea ſuſcepturus ſit, vivere ad gratiam.

Sacramenta mortuorum, ideſt Baptiſmus, & Pœnitentia, ut licite, ſeu cum fructu ſuſcipiantur, non exigunt gratiam in recipiente, & ſi hanc in eo inveniant, ipſam augent, ut conſtabit melius ſuo loco. Sacramenta enim exigere nequeunt pro diſpoſitione id, quod ex eorum inſtitutione habent cauſare, ideſt quod ex ſua inſtitutione eſt eorum effectus, & fructus, qui in Sacramentis mortuorum eſt primæ gratiæ, ſeu vitæ ſpiritualis collatio, ad quod cauſandum ſunt inſtituta; & exinde vocantur mortuorum, quia ordinarie conferuntur mortuis ſpiritualiter, ſeu peccato, ut gratiæ reviviſcant. Cum igitur hæc Sacramenta inſtituta ſint ad delenda peccata mortalia, neceſſe eſt, ut ſuſcipiens ſe ad eorum effectum diſponat per contritionem, ſeu ſupernaturalem attritionem, ideſt dolorem peccatorum, quæ commiſit. *Sacramenta mortuorum non exigunt in ſuſcipiente ſtatum gratiæ.*

Ad hoc vero ut in aliis quinque Sacramentis gratia ſanctificans recipiatur, requiritur in ſuſcipiente præter intentionem habitualem, ſtatus gratiæ, quia hæc ad differentiam duorum priorum inſtituta ſunt, ut conferant augmentum gratiæ iis, qui iam gratiæ vivunt, ideſt ſunt in ſtatu gratiæ, & ideo hæc dicuntur Sacramenta vivorum. Unde ex ſua inſtitutione ſaltem primaria exigunt & ſupponunt, ut ea ſuſcepturus gratiam iam acceperit, ut illi eandem augeant. *Alia ſacramenta exigunt ſtatum gratiæ.*

Quare, qui conſcientiam habet peccati mortalis, antequam ad Sacramenta vivorum accedat, tenetur ſub gravi ſibi ſtatum gratiæ comparare. Alias poneret gratiæ obicem, ac proinde grave committeret ſacrilegium; quia cum Sacramenta inſtituta ſint a Chriſto Domino, ut ſigna ſuæ ipſius gratiæ efficacia, qui in hiſce recipiendis gratiæ obicem ponit, quantum in ſe eſt, conatur reddere, & de facto falſam reddit, & inanem eorum ſignificationem, & dum ſic abutitur Chriſti inſtitutione, practice eam irridet.

Oritur hic difficultas, num Sacramenta ſuſcepturus, dum eſt in conſcientia peccati læthalis, diſponi debeat per præviam Confeſſionem, quantumvis ſe contritum eſſe cenſeat; & reſpectu Euchariſtiæ, ut certum habetur, non obſtante contritione licet perfecta, præmittendam eſſe diſpoſitionem præviæ confeſſionis. Et hoc aliqui extendunt etiam ad alia Sacramenta contra quamplurimos, qui negant de iure communi id requiri. Nam & Concil. Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7. docet ad ſolam ſuſceptionem Euchariſtiæ præcipi Confeſſionem, nihil de

aliis

aliis loquendo ; imo ſolum hortatur Sponſos , ut ante Matrimonium confiteantur. Pontificale vero Romanum loquendo de adultis confirmandis non dicit quod debeant , ſed quod deberent prius confiteri , quod pariter nihil plus importat quam exhortationem. Et Rituale Rom. dicit ſolummodo de Sacerdote , quod non audeat accedere ad Sacramentorum adminiſtrationem , niſi prius pœniteat , ſi conſcius ſit ſe reum eſſe mortalis reatus. Et revera non reperitur circa alia Sacramenta ſuſcipienda ullum præceptum divinum , vel ſaltem commune humanum quod Confeſſionem præcipiat præmitti , ut ſola contritio non ſit ſufficiens diſpoſitio. Nihilominus tamen reſpectu Extremæ Unctionis , eo quia ſit complementum Pœnitentiæ , ex Chriſti inſtitutione Confeſſionem requiri , dicendum eſt.

Verum cum ex Sacramento Pœnitentiæ maior habeatur gratiæ certitudo , & melior diſpoſitio , hæc eſt ſufficiens ratio , quare concludi iure merito poſſit , Confeſſionem ſuſceptioni cuiuſcunque ex quinque Sacramentis vivorum præmitti debere. Talis enim eſt communis fidelium praxis , ut notat Catechiſmus Rom. p. 2.

Quoad gratias actuales Sacramentales , quas nempe Deus ſingulis Sacramentis ad cuiuſcunque finem proprium obtinendum iunxit , ad hoc ut illæ recipiantur , duo requiruntur , videlicet 1. ut eo tempore , quo homo recepturus eſt talia auxilia , ſit in ſtatu gratiæ , cum hic effectus non concedatur , niſi ut iunctus gratiæ ſanctificanti : qui vero eſt in peccatis , indignus redditur ſupernaturalibus donis , quocirca in illo ſtatu nullum ius habet ad talia auxilia. 2. ut ipſis non ponatur obex per diſpoſitionem actualem ipſi repugnantem.

§. XIV.

An collatio gratiæ primæ fieri poſſit per Sacramenta vivorum , & ſecundæ per Sacramenta mortuorum.

Inquiri hic ſolet , num fieri poſſit , quod Sacramenta vivorum conferant primam gratiam , mortuorum ſecundam ; & cum præcipuus , ordinarius , ac ex primæva eorum inſtitutione proprius effectus Sacramentorum mortuorum ſit prima gratia , vivorum ſecunda ; hinc certum eſt apud omnes , Sacramenta vivorum per ſe non poſſe primam gratiam conferre , cum ideo talia ſint , & vocentur , quia ſupponunt ſuſcipientem ſpiritualiter vivere , mortuorum ſecundam ; quia hæc pariter talia ſunt , & dicuntur , utpotequæ inſtituta fuere ad eos ſpiritualiter vivificandos , qui propter excidium peccati , vitæ ſupernaturali gratiæ mortui ſunt. Sola remanet difficultas , ſi id per accidens efficere poſſint , quod negat Vaſquez cum aliquibus aliis , contra communiorem , quæ tenet , Sacramenta mortuorum poſſe per accidens , ſeu indirecte ſecundam gratiam , & vivorum primam conferre ; ut dum recipiens ſe ipſum probat , nec habet patrati ſceleris vincibilem notitiam , vel bona fide credens ſe contritum , cum ſit tantum attritus , recipit v. g. Confirmationem. Et ita inter alios expreſſe tradit D. Thomas q. 72. art. 7. ad 2. ubi ſic habet ; *Si etiam non perfecte contritus accedat , dummodo non fictus accedat , per gratiam collatam in hoc Sacramento* (Confirmationis) *conſequitur remiſſionem peccatorum.* Et hoc idem docet de Euchariſtia q. 79. art. 3. de Extrema Unctione 4. diſt. 23. q. 1. art 1. Et ratio eſt maniſeſtiſſima ; quia Sacramenta ex vi ſuæ inſtitutionis , ut docet Concil. Tridentinum , ſemper gratiam conferunt quando a recipiente non ponatur obex , quod non fieret ; ac proinde proprium non ſortirentur effectum , quem ex opere operato producunt , ſi Sacramenta vivorum dum attritus ſe bona fide credens contritum , vel invincibiliter ignorans , ſeu non advertens ſe læthalis eſſe reum , ea ſuſcipit v. g. Confirmationem , Euchariſtiam &c. eidem primam gratiam non conferrent. Igitur ex vi ſuæ inſtitutionis , indirecte tamen , mediate , & per accidens Sacramenta vivorum in huiuſcemodi caſibus primam conferunt gratiam , ideſt ſpiritualem vitam. Ita etiam Pœnitentia delet peccata , quæ invincibiliter ignorantur ; alias enim non poſſet cætera remittere , quæ pœnitens confitetur.

Nec officit paritas , quam obiicit Vaſquez inter panem naturalem , qui enutrit corpus , & panem ſupernaturalem ideſt Euchariſtiam , & inter mortuum corpore , & peccatorem mortuum ſpiritu. Nam panis naturalis nutrit tantum ; Euchariſtia vero eſt panis vivus dans vitam , & continens Chriſtum , eos , in quibus manet , vivificantem ; mortuus itidem vita corporis nihil agit vitaliter , nec panem capit , ideſt non eſt aptus , ut percipiat panis alimentum ; peccator vero , ideſt fidelis mortuus ſpiritu , actuali gratia præventus poteſt credere , diligere , & accipere panem vitæ , nec tantum premere dentibus Sacramentum , ſed etiam cum animi præparatione illam carnem manducare , quæ eſt pro mundi vita.

Et

Digitized by Google

Et ratio, qua evincitur Sacramenta vivorum conferre poſſe indirecte primam gratiam, militat etiam pro Sacramentis mortuorum quoad indirectam collationem ſecundæ gratiæ; videlicet, quod ſi Sacramenta ex vi ſuæ inſtitutionis habent gratiam conferre ex opere operato, ubi non ponatur obex; cum Sacramenta mortuorum non poſſunt conferre primam gratiam ut ordinarie, & ex primæva eorum inſtitutione eis convenit, ne ſuo priventur effectu, qui eſt gratiæ ſanctificantis collatio, neceſſe eſt, ut ſecundam, ideſt augmentum ipſius gratiæ, conferant. Quocirca ſi contingat, adultum ex perfecta charitate iuſtificatum eſſe, priuſquam accedat ad Baptiſmum, vel Pœnitentiam, quæ ſunt duo Sacramenta mortuorum, proculdubio Baptiſmus, & Pœnitentia in tali caſu primam non conferunt ſanctificantem gratiam, ſed illius duntaxat incrementum, tametſi in eo caſu illa prima gratia non detur ſine voto, ſeu deſiderio reipſa ſuſcipiendi Sacramenta. Tournel.

C A P U T III.

§. I.

De virtute, & efficacia Sacramentorum, eorumque effectibus, ac modo quo cauſſantur.

IN duas circa hoc incurrimus difficultates: 1. eſt de ipſa Sacramentorum vi, & efficacia, ſeu efficientia inter Catholicos, & Hæreticos, & hæc reſpicit ipſum Dogma fidei, quod tradit, Sacramenta novæ legis ſigna eſſe efficacia, ideſt ex virtute a Chriſto Domino ipſis collata, per ſe eſſe productiva gratiæ. 2. de modo, quo Sacramenta gratiam producant; & hæc verſatur inter DD. Catholicos, cum non excedat limites ſcholaſticæ controverſiæ, quæ nihil lædit, ſed omnino integram ſervat fidei doctrinam.

Cum Sacramenta novæ legis intuitu meritorum paſſionis Chriſti, ex cuius latere in Cruce transfixo profluxerunt, ut tradit S. Auguſt. l. 14. de Civit. Dei cap. 26. & alibi, vim habeant cauſſandi in homine iuſtificationem, iuxta eorumdem Chriſti Domini inſtitutionem: hinc non ſunt ſigna vacua, ſicuti fuere Sacramenta veteris legis, ſed efficacia, ita ut veram habeant cauſalitatem, qua ut veræ cauſſæ inſtrumentales quidem, non ſecus principales (cum ſolus Deus ſit talis cauſſa) ex divina virtute a Chriſto Domino ipſis collata, gratiam, quam in ſe continent, cauſſant in ſuſcipientibus, atque efficiunt, ut docet cum catholica Eccleſia D. Thomas q. 62. Ac primum quidem hic oſtendit, Sacramenta novæ legis quadam ratione cauſſam eſſe gratiæ ſanctificantis, quod per Baptiſmum efficiamur membra Chriſti viventia iuxta illud Apoſtol. ad Gal 3. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Et in aliis Scripturæ locis inſinuatur, gratiam dari per baptiſmum, dum dicunt homines mundari lavacro aquæ per impoſitionem manuum, virtute Spiritus Sancti roborari in Confirmatione &c. Et Concil. Conſtantinopolitanum aperte declarat ut articulum fidei in Symbolo, renaſci, ſeu deleri peccata per baptiſmum; *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*, quæ omnia veram important cauſalitatem.

Nec officit cauſſalitati, quam Scholæ iuxta Eccleſiæ doctrinam nunc tribuunt Sacramentis, quod voces *cauſſæ*, *& effectus* novæ ſint, & ex Philoſophia depromptæ, cum res per tales voces ſignificatæ a Deo ſint, & ideo valde antiquæ, ac proinde non minus licuit Theologis aſſumere iſtas voces, quam Patribus voces *conſubſtantialis hypoſtaſis*, quæ æque a Philoſophis excerptæ ſunt.

§. II.

De primo Sacramentorum effectu, ſcilicet de Gratia.

Duo ſunt Sacramentorum effectus. Unus communis omnibus Sacramentis, & eſt gratia; alter tribus ſolis conveniens Baptiſmo ſcilicet, Confirmationi, & Ordini, & eſt character. Verum quia præter hominis iuſtificationem, ſeu ſanctificationem, quæ eſt effectus vi divinæ inſtitutionis communis omnibus Sacramentis, quodlibet Sacramentum ſuum proprium habet effectum ſecundum particularem finem ad quem fuit inſtitutum; hinc alius eſt effectus gratiæ communis omnibus Sacramentis, & eſt gratia habitualis, ſeu ſanctificans, quæ aut producitur, ut in Sacramentis mortuorum, aut producta augetur, ut in Sacramentis vivorum; alius eſt effectus proprius cuiuſque Sacramenti, & dicitur gratia Sacramentalis.

Gratia ſanctificans, quæ eſt primarius effectus, & communis omnibus Sacramentis, & infunditur per Sacramenta dum miniſtrantur in ſuſcipiente, ut ab actuali, ſeu ſacramentali, quæ ſingulis Sacramentis propria eſt, & particularis, diſtingueretur, ſæculo 12. cœpit appellari habitualis, quia hæc ad inſtar habitus eſt aliquid internum formale, inherens, diſtinctum ab actu fluente,

te, & tranſitorio, ad inſtar habitus, tamdiu fixa permanens in ſubiecto, quamdiu per aliquam mortalem culpam cum qua eſt incompoſſibilis, non deturbetur, ac eiiciatur. Et hoc eſt de Fide catholica, ut iuxta doctrinam, & ſenſum Scripturatum definivit Concil. Tridentinum ſeſs. 6. cap. 7. contra Novatores, qui volebant iuſtificationem fieri per ſolam externam iuſtitiæ Chriſti imputationem, cum revera per hanc gratiam renovemur, perficiamur, & per Spiritum Sanctum inhabitantem habeamus æternæ hæreditatis pignus & arrham.

Hæc autem gratia habitualis, ſeu ſanctificans, complectitur habitus ſupernaturales virtutum, tum Theologicarum, tum Moralium, tum dona Spiritus Sancti, quæ omnia in iuſtificatione, quæ per eam fit, cum ipſa infunduntur.

§. III.

De modo, quo Sacramenta ſua cauſſalitate gratiam producunt, nempe ex opere operato.

Oſtendimus iam antea efficaciam, ſeu cauſſalitatem Sacramentorum novæ legis, qua diximus veras eſſe cauſſas productivas effectuum, de quibus hic proxime egimus, Characteris ſcilicet, & Gratiæ: quia tamen incertum adhuc remanet, & obſcurum, qualiter agant in efficienda noſtra ſanctificatione, ut nunc modus aperiatur, quo Sacramenta novæ legis gratiam, ut inſtrumenta efficiunt, ſit.

Scholæ docent unanimes, ac ſuſtinet Ecclesia Catholica, Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato, ut inſtrumenta Dei, producere contra Novatores, qui licet ſimulent aliquando nobiſcum circa hoc convenire, reipſa tamen non aliam agnoſcunt in Sacramentis vim, & efficaciam, quam mere externam, & obiectivam ad movendam, excitandamque fidem, quæ per ipſos eſt forma, & cauſſa iuſtificans, ſeu ſanctificans.

Quamvis hæc phraſis *ex opere operato* nunc uſitatiſſima apud omnes Scholas, & DD. Catholicos, ad oſtendendam internam Sacramentorum vim, & efficaciam, neque in ſacris litteris, neque in Veterum ſcriptis reperiatur, cum primum uſurpata legatur circa tempora Innocentii III. ideſt 50. ferme annis ante D. Thomam, res tamen per illam ſignificata antiquitati eſt notiſſima, ut ex patet D. Auguſt. contra Creſcon. l. 4. cap. 10. qui ita ſcripſit; *Non eorum meritis a quibus miniſtratur, nec eorum quibus miniſtratur, conſtat Baptiſmus, ſed propria ſanctitate, atque veritate propter eum, a quo inſtitutus eſt.* Nonne hæc locutio quoad ſenſum eadem prorſus eſt ac hodierna *ex opere operato*. Ridiculum autem eſt, quod opponunt Adverſarii, haſce voces *ex opere operato* non eſſe latinas; quaſi Eccleſiæ voces barbaræ auctoritate, & uſu communi latina virtute donari nequeant, cum maxime Eccleſia, & Theologi inducere valent in uſum voces, quando ſint aliis aptiores ad rem aliquam ſignificandam. Et nunc eo liberius, & omnino hæc locutio recipienda eſt, poſtquam PP. Tridentini Concil. de Sacrament. eam ſibi adoptarunt definiendo, per Sacramenta novæ legis *ex opere operato* gratiam conferri. Cauſare autem gratiam *ex opere operato*, dicitur ad differentiam *ex opere operantis*, quod eſt quando effectus, ſeu gratia cauſſatur ex meritis Miniſtri, vel ſuſcipientis, qui aliquid operatur ſeu facit; hoc eſt ex opere iſto, quatenus eſt operantis. Ex oppoſito vero cauſſare gratiam ex opere operato eſt eam cauſſare non ex meritis Miniſtri, vel ſuſcipientis, ſed ex vi, & ratione operis, ſeu actionis Sacramentalis, quatenus in perſona Chriſti exercetur, eiuſque merita moraliter continet; paucis verbis eſt cauſſare gratiam ſupra dignitatem, & meritum tam Miniſtri, quam ſuſcipientis, iuxta id quo ex S. Auguſt. ad Creſcon. ſupra allatum eſt. Quare cum dicat Scriptura nos ſalvos fieri per Sacramenta, ut de Baptiſmo ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*; exuere veterem hominem, novum induere, ad Galat. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; innovari Spiritu, regenerari, renaſci, Ioann. 3. de Baptiſm. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, ſanctificari, mundari etc. nemo certe non videt, omnia ſignificare efficientiam, productionem ex intrinſeca divinitus accepta inſtrumentali virtute Sacramentorum, vi ipſius actionis Sacramentalis, cui adiuncta ſunt merita Chriſti, ideſt ex opere operato.

Porro quamvis Sacramenta habeant ex divina inſtitutione, ut gratiam conferant ex opere operato, ideſt ſupra meritum Miniſtri, & ſuſcipientis, non tamen putandum eſt, quod producant ſuum effectum in adultis independenter ab eorum diſpoſitione debita, ideſt nullam in ſuſcipiente præparationem, nullum bonum cordis motum requirant, ſicuti ſenſui huius phraſis *ex opere operato* falſo Catholicis affinxerunt Novatores. Nam manifeſtiſſima doctrina eſt, non ſolum impendenda non eſſe Sacramenta iis,

qui

qui a peccatis recedere, vel infidelitatem deſerere nolunt; verum requiri ulterius in ſuſcipiente ad hoc ut Sacramenta effectum ſuum producant, quamdam diſpoſitionem conſiſtentem in actibus quarumdam virtutum, fidei præcipue, & pœnitentiæ. Hæc interim diſpoſitio eſto per modum meriti ſaltem decongruo gratiam augeat, non eſt tamen effectiva ſeu productiva gratiæ propriæ Sacramento, in quam non plus influit, quam ſiccitas ligni in formam, ſeu in vim combuſtivam ignis; ac ideo tantum requiritur ad inſtar conditionis *ſine qua non*, reddens ſubjectum capax ad gratiam, non ſecus ac in ligno requiritur ſiccitas ad recipiendum ignem.

Item ex dicta locutione, ideſt *ex opere operato*, non ſignificatur in eſſe Sacramentis virtutem aliquam creatam, qua phyſicum effectum operentur, ſeu producant, cum ut iam diximus, Sacramenta gratiam producere ex opere operato non aliud importat apud Catholicos, niſi quod Sacramenta valida ſint eo ipſo quod tale opus ſit, non quidem, ut naturalis actio, ſed ex divina inſtitutione, & promiſſione, conditionata quidem quoad adultos, in quibus requiritur præparatio ad hoc, ut a Sacramento quod ſuſcipiunt, gratia in ipſis producatur. Et in hoc præcipue Sacramenta novæ legis, ut ſupra iam diximus, diſtinguuntur a Sacramentis veteris legis, quæ gratiam non efficiebant ex opere operato, ſed ex opere operantis, ſi excipias Circumciſionem, de qua controverſia eſt inter DD.

§. IV.

An qualitas cauſſalitatis Sacramentorum, qua gratiam efficiunt, phyſica ſit, vel moralis.

Gravis vertitur controverſia inter Scholas Catholicas circa rationem, qua Sacramenta novæ legis gratiam efficiant, prout inſtituta ſunt a Deo ut cauſſæ inſtrumentales ad ipſius gratiam in hominibus efficiendam, ſeu producendam; num ſcilicet hanc efficiant, producantque ut cauſſæ phyſicæ phiſica cauſſalitate, ſicuti ignis per phyſicam actionem, & influxum comburit lignum, & ita ſentiunt Thomiſtæ, vel ut cauſſæ morales, ſeu morali tantum cauſſalitate, & efficientia; eo ferme pacto quo contractus donationis transfert dominium rei datæ, & ſic, an merita Chriſti Domini ſalutem noſtram operentur morali cauſſalitate, & efficientia. Et ut res elucidetur, ne fiat ut forſan laboremus in falſo ſuppoſito, operæpretium eſt ut præmittatur, quid ſibi velit ratio cauſſæ & cauſſalitatis phyſicæ & moralis.

Cauſſa phyſica ea eſt, quæ reali influxu, ac motu & reali actione attingit effectum, ut ignis calorem, Sol lumen, ſemen plantas ſegeteſque producit. Unde cauſſalitas phyſica Sacramentorum, ſi detur, in eo conſiſtit, quod Sacramenta, tanquam divinæ omnipotentiæ inſtrumenta, ex vi & elevatione ipſius phyſice per realem ſuî præſentiam a parte rei concurrant ad productionem gratiæ independenter a quacunque æſtimatione. Cauſſa vero moralis ea eſt, quæ dumtaxat intentionaliter movendo præſtat, ut perficiatur effectus, ſive moveat imperio, ut Iudex, ac Princeps ſuo iuſſu hominem punit; ſive conſilio, & ſuaſione, ut Conſiliarius & Orator, ſive ſigno aliquo, puta ſicut chirographo ſolutio debiti exigitur. Idcirco cauſſalitas moralis Sacramentorum in ſententia eorum, qui hanc ſtatuunt in Sacramentorum actione, in eo ſtat, quod Sacramenta ſint non quædam nuda ſigna, imo ne mere quidem talia, quibus poſitis Deus gratiam infundat, ſed ſaltem veluti chirographa continentia pretium meritorum Chriſti, & authentica monumenta pacti, quo Deus ad applicationem Sacramentorum ſe ad infundendam gratiam quodammodo obſtrinxit. Quid cauſſalitas phys. ſica, quid moralis.

Cum hæc poſterior communior ſit apud Theologos, hinc cum videatur probabilior, hanc ſequendo per ſecuriorem viam incedere cenſuimus.

Non enim maior cauſſalitas, & efficacia adſcribenda eſt Sacramentis, quam meritis Chriſti, a quibus Sacramenta omnem vim ſuam effectivam utique derivant, & quæ in ipſis Sacramentis operantur. Unde cum merita Chriſti ſint cauſſæ tantum morales gratiæ, quatenus nempe eorum intuitu Deus tamquam cauſſa phyſica gratiam producit; ita dici debet etiam de Sacramentis.

Inſuper operari ſequitur eſſe; quocirca cum Sacramenta ſint compoſitum morale, non phyſicum; nam verba v. g. abſolutionis cum actionibus pœnitentis non faciunt aliquod totum phyſicum, ſed morale, ut iam patet: igitur ipſa eorum conditio non fert, ut agant niſi moraliter.

Præterea, qui oppoſitum ſentiunt, ſaltem fateri coguntur, quod Sacramentum, dum reviviſcere dicitur, ſolum cauſſet gratiam moraliter, cum ipſum tunc etiam phyſice non amplius extet. Et S. Auguſtinus inter Sacramentum dum confertur, & reviviſcit, continuam ponit paritatem.

Sa-

Sacramenta gratiam continere, definierunt Concilia Florentinum, & Tridentinum ſeſſ. 7. can. 6. & hoc docuit multo ante etiam Hugo Victorinus l. de Sacrament. p. 9. cap. 2. ubi dicit, Sacramenta novæ legis ex ſanctificatione continere inviſibilem aliquam, & ſupernaturalem gratiam. Et cap. 3. ubi in Sacramentis veluti quibuſdam vaſculis antidota ſpirituali homini porrigi teſtatur. Senſus autem huiuſce doctrinæ explicat D. Thomas 3. p. q. 62. art. 3. gratiam nempe continere Sacramenta, non quia gratia ſit in illis veluti in loco, aut in ſubiecto, neque ut in cauſſa principali; ſed partim ut in ſigno, partim ut in cauſſa inſtrumentali. Et certe probabilius iuxta Victorinum Sacramenta gratiam continent, & vaſa gratiæ dicuntur, quia Sacramenta, non iam ut vacua ſymbola nude ſignant gratiam, uti fiebat per Sacramenta veteris legis, ſed inſuper ut veræ cauſſæ eam producunt, ac præbent, quoties ad ea recurritur; non ſecus ac vas, aliquid depromptí liquoris, quem intra ſe continet, præbet, tanquam e vaſis gratiam, quandocumque volumus, nobis depromere liceat. Ita Eſtius.

§. V.

De Gratia actuali, ſeu Sacramentali.

Quodlibet Sacramentum præter gratiam ſanctificantem, ſeu habitualem, confert etiam gratias actuales, quæ Sacramentales dicuntur, & intuitu Sacramenti ſuſcepti ſuo tempore adultis conferuntur ad obtinendum finem proprium cuiuſque Sacramenti, niſi ſe illius indignos reddant. Unde merito dici poteſt cum Habert hic, gratiam Sacramentalem eſſe ius fundatum in gratia ſanctificante per quodlibet Sacramentum collatam ad accipienda opportuno tempore certa auxilia, ideſt actuales gratias, quibus homo finem poſſit obtinere Sacramenti. Supponamus v. g. quempiam cum debitis diſpoſitionibus Sacramentum ſuſcepiſſe Confirmationis, ac proinde augmentum gratiæ ſanctificantis conſecutum fuiſſe: gratia ſic accepta titulus eſt confirmato ad obtinendas a Deo actuales gratias, ut poſſit data occaſione fidem intrepide profiteri; ad hoc enim inſtitutum eſt hoc Sacramentum. Gratia igitur Sacramentalis non ſemper actu recipitur niſi in radice, dum adminiſtratur Sacramentum. Hoc maxime patet in infantibus, & in his, qui amiſſo uſu rationis abſolvuntur, vel unguntur. In illo enim ſtatu non ſunt capaces gratiarum actualium, utpotequæ ſint actus intellectus, & voluntatis divinitus excitati: ius tamen per Sacramentum aquiſierunt ad illas ſuo tempore accipiendas, ſic Habert. & alii.

Quare gratia Sacramentalis in hoc differt a gratia habituali, quod gratia ſanctificans mox in totum detur, ubi Sacramentum ſuſcipitur; gratia vero Sacramentalis non in totum, & ſemper confertur dum Sacramentum recipitur, ſed poſtea ſuo tempore, quando eſt neceſſaria ad Sacramenti finem conſequendum. Datur autem quodammodo gratia Sacramentalis dum Sacramentum debite ſuſcipitur, ideſt in *actu primo*, in quantum ſcilicet datur ius ad illam, quando ſuo tempore opus erit, ut habeatur. Differentia gratiæ actualis ſeu Sacramentalis ab habituali.

Et ut res melius elucidetur quoad differentiam gratiæ Sacramentalis a gratia habituali, ſeu ſanctificante, quæ in Sacramentorum collatione confertur, obſervandum, gratiam ſpectari poſſe & quantum ad ſuam, ut inquiunt, entitatem, & quantum ad effectum ſeu virtutem per gratiam homini collatam. Si gratia conſideretur priori modo, nulla occurrit diſtinctionis ratio, ſeu neceſſitas; ſed ſatis eſt dicere hanc gratiam exornare animam, illi inhærere, & pro diverſa hominum diſpoſitione augeri, vel minui, & hoc de fide tenendum eſt. Si vero ſpectemus gratiam quantum ad effectum, ſeu virtutem, quam confert, gratia Sacramentalis addit ad habitualem ſupremum auxilium ad conſequendum cuiuſcunque Sacramenti finem, qui finis, cum iuxta diverſitatem Sacramentorum diverſus ſit, ita cuiuſque Sacramenti eſt propria actualis gratia, ab illa alterius Sacramenti diverſa.

Unde cum Baptiſmus ordinetur ad vitam catholice peragendam, gratia Sacramentalis Baptiſmi eſt auxilium ad conſervandam animæ puritatem ſpirituali regeneratione acceptam, aliaque Sacramenta digne ſuſcipienda. Confirmatio, quæ ordinatur ad conſtantem fidei profeſſionem, habet pro ſua gratia actuali ſpeciale robur ad libere, & conſtanter profitendam fidem, contrariaſque tentationes ſuperandas. Euchariſtia, quæ data eſt ad fovendam, augendamque charitatem, ad victoriam tentationum, ad præſervationem culparum, tum mortalium, tum venialium, habet pro gratia actuali virtutem ad perſeverandum in charitate, & operibus pietatis &c. In Pœnitentia quia tendit ad maiorem peccatorum præcautionem, deteſtationem, ſatisfactionem, datur gratia ad ſatisfaciendum pro peccatis, & ad peccata in poſterum vitanda. Extrema Unctio,

ctio, quæ data eſt ad facilius reſiſtendum Dæmoni, tunc maxime inſidianti, læviuſque tolerandas morbi moleſtias, ſubſidium præbet, ut levius dolores, laboreſque morbi ferantur, & facilius obſiſtamus in illis anguſtiis Dæmonum conatibus. Gratia Ordinis, qui totus eſt ad ſancte, & religioſe obeunda munia, ad quæ quis per tale Sacramentum deſtinatur, eſt auxilium ad eadem divina Eccleſiæ officia, quæ ſunt propriæ S. Ordinis functiones, rite decenterque peragenda. In Matrimonio tandem quod deſignatum eſt ad debitam prolis procreationem educationemque, ad mutuum fovendum amorem, fidemque ſervandam, & onera coniugii conſtantius perferenda, confertur in actuali ſua gratia ſpeciale iuvamen ad carnis libidinem coercendam, fidelitatem thori ſervandam, pie prolem educandam, omniaque alia gravamina, & incommoda Matrimonii æquo animo ſuſtinenda. Si igitur ad fines tam diverſos nos conducere debebant Sacramenta, neceſſe erat, ut diverſos gratiæ haberent effectus, ita ut ultra gratiam ſanctificantem, quæ eſt communis in omnibus, alia etiam auxilia ab iiſdem ſuo tempore haberentur.

Hic vero, notandum eſt, quod lapſus in lethalem culpam poſt acceptum Sacramentum amiſit ius ad ſupernaturalia auxilia, quæ pertinent ad gratiam Sacramentalem, quando ob ingruentem tentationem eis indigeret: quia illa auxilia fundantur in gratia ſanctificante, quæ per mortale peccatum amittitur, idcirco ius pariter ad eadem auxilia amittitur; imo ex Apoſtolo talem peccatorem manet *expectatio iudicii*, utpote qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt. Hebr. 10.

§. VI.

De neceſſitate ſerii propoſiti vivendi congruenter ad finem recepti Sacramenti, ut fructuoſe Sacramentum recipiatur.

In Sacramentis vivorum ut fructuoſe recipiantur, requiritur in ſuſcipiente adulto actuale, vel ſaltem virtuale ſerium propoſitum vivendi conguenter ad finem Sacramenti quod recipitur. Hinc in Sacramento Euchariſtiæ nullam prorſus aquirunt gratiam Sacramentalem, qui illam ſumunt ſine congrua devotione ad fines Sacramenti. Igitur idem dicendum in aliis Sacramentis vivorum; indecens enim eſt a Deo conferri ſanctificantem gratiam relate ad determinatos fines homini adulto, quin habeat intentionem congruenter cooperandi gratiæ. Igitur Deus Sacramentalem gratiam non confert ſine tali ſerio propoſito, ſaltem virtuali, vivendi congruenter ad finem Sacramenti.

Inſuper ſi ad fructuoſe ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt Sacramentum mortuorum, requiritur ſerium propoſitum perſeverandi in vita ſpirituali gratiæ per fugam peccatorum; cum Sacramenta vivorum dentur potius pro effectu, & pro ſanctificatione vitæ, & morum, quod præſtatur per auxilia gratiæ Sacramentalis, quam pro ſanctificatione animæ, quæ iam ſanctificata ſupponitur per alterum ex Sacramentis mortuorum, ut requiritur ad digne, ac fructuoſe Sacramenta vivorum ſuſcipienda, quæ ut vidimus, ideo talia vocantur, quia ſupponunt ſuſcipientem iam vivere per gratiam; fructuoſe hæc recipi non poſſunt, quando non habeatur ſaltem virtualiter ſeria voluntas, ſeu propoſitum vivendi congruenter ad finem Sacramenti ſuſcepti, nempe ſecundum eam vitæ ſanctitatem, ad quam Sacramentum inſtitutum eſt, & confertur.

§. VII.

De menſura collationis gratiæ per Sacramenta, ideſt num Sacramenta ſemper conferant æqualem gratiam.

Cum menſura gratiæ, quæ confertur in Sacramentis, pendeat & a virtute ipſa Sacramenti, & a diſpoſitione ſuſcipientis, qua fit, ut maior, vel minor gratia conferatur; hinc duplex hic exurgit difficultas 1. ſcilicet, an quodlibet Sacramentum quantum eſt de ſe, æqualem conferat gratiam. 2. an æqualem conferat, attenta diſpoſitione maiori, vel minori ſuſcipientis.

Et quoad primam, certum eſt de lege ordinaria, Sacramenta ſolo numero diſtincta, ut duo Baptiſmata, æqualem ex ſe conferre gratiam. Sacramenta vero ſpecie diſtincta, puta Baptiſmus, & Euchariſtia, inæqualem conferunt gratiam.

Et quoad primum patet tum ex Concil. Tridentino ſeſſ. 7. can. 6. ubi definit, Sacramenta ſecluſo obice conferre gratiam quam ſignificant. Cum igitur duo baptiſmata eandem omnino gratiam ſignificent, ideo eandem quoque conferunt: tum ex ratione, quia Sacramenta operantur non ſecus ac cauſſæ naturales; unde ſicuti duo ignes ſolo numero diſtincti æqualem producunt calo-

calorem; ſic & duo Baptiſmata æqualem gratiam.

Dixi *lege ordinaria*; quia poſſet Deus *conferre maiorem gratiam illi, quem prædeſtinavit ad maiorem gloriam* (ait Scotus), verum ille uberior gradus non conferretur virtute Baptiſmi, ſed de ſpeciali benevolentia divina.

Quoad 2. vero, hoc quoque conſtat ex cit. Tridentino, a quo circa aliquam Sacramentorum inæqualitatem ſeſſ. 7. can. 3. ita definitum fuit; *Si quis dixerit hæc ſeptem Sacramenta inter ſe ita eſſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius; anathema ſit*. Unde ſi ex Tridentino datur inæqualitas dignitatis inter Sacramenta, cum nobilitas cauſſæ oriatur ex eius perfectione, & perfectio ab amplitudine & elevatione eius virtutis in agendo, ita ut quo maiori & ſublimiori pollet cauſſa agendi virtute, eo cauſſa ſit perfectior, & quo perfectior, eo nobilior; non immerito inferri poteſt, quod cum inter Sacramenta unum ſit alio nobilius, unum etiam ſit altero abundantius in ſua gratiæ efficientia, ac inde Sacramenta ſpecie diſtincta, ſaltem aliqua, inæqualem gratiam conferre.

Dixi *ſaltem aliqua* v. g. Euchariſtia, & probabiliter Baptiſmus; nam cum de aliis nihil revelatum ſit, nihil poteſt determinari: poſſent enim & alia ſpecie differre, & tamen æqualem omnino gratiam habitualem cauſſare, cum hoc dependeat a mera Dei voluntate.

Sacramenta ſolo numero diſtincta in ſubiectis, ideſt in ſuſcipientibus æqualiter diſpoſitis, ut in parvulis, æqualem conferunt gratiam, & inæqualem ſi recipientes inæqualiter ſint diſpoſiti, ita ut maiorem gratiam conferant iis, qui ſunt melius diſpoſiti. Et ratio eſt; quia Sacramenta ſunt cauſſæ neceſſariæ. Quare ſicuti ignis eodem modo applicatus duabus lampadibus, vel lignis ſimiliter diſpoſitis, utrumque ſimiliter accendit; ſecus vero ſi inæqualiter ſint diſpoſita, puta ſi applicetur uno ligno humido, & alteri ſicco, maiorem certe producet calorem in ſicco, quam in humido, cum agentia præcipue naturalia operentur iuxta ſubiecti diſpoſitionem; ſic dici debet de Sacramentis, quæ voluit Deus ſecundum regulas naturalium agentium operari, ut proportionem, convenientiamque haberent cum ſubiectis naturalibus ut ſunt homines, in quibus agere debebant.

Et hoc confirmat Concil. Trident. ubi docet a baptizatis recipi iuſtitiam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur prout vult, *& ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem*.

Nota, maiorem gratiam melius diſpoſito collatam eſſe ex opere operato, non ex opere operantis. Nam ſicuti inflammatio ligni ſicctoris, & calidioris non eſt a ligno, ſed ab igne ſolo, ſic maior gratia in ſuſcipiente melius diſpoſito eſt a Sacramento, non a diſpoſitionibus quæ non ſunt productivæ gratiæ. Ex his,

Collige 1. Ordinarie loquendo peccatorem recipientem Sacramentum mortuorum non recipere tantam gratiam, quantam recipit iuſtus recipiendo Sacramentum vivorum; quia raro tantam habet diſpoſitionem inimicus, quantam amicus.

Collige 2. quod ſi adultus accederet ad baptiſmum cum affectu ad peccatum veniale, adhuc maiorem reciperet gratiam quam parvulus; quia cum ille ſupponatur habere actum fidei, doloremque formalem de peccato mortali, habet diſpoſitionem, quam non habet parvulus: habet quidem peccatum veniale, quo caret parvulus; verum cum peccatum veniale non impediat gratiæ infuſionem, non impedit eius intenſionem. Quare fit, quod cum parvuli omnes nullam habeant diſpoſitionem, gratiam omnes ex Baptiſmate conſequantur æqualem.

Collige 3. Fieri poſſe, ut Sacramentum nobilius minorem producat effectum, quam aliud minus nobile, ſi nempe hoc recipiatur cum longe maiori diſpoſitione, quam illud. Verum quidem eſt cauſſam imperfectiorem nunquam attingere effectum cauſſæ perfectioris ſpecie diverſæ, quando hæ cauſſæ ordinantur ad effectus ſpecie diverſos; ſecus vero quando ordinantur ad eundem effectum; & hoc patet in Sole, qui licet perfectior, tamen minorem calorem producit in mea manu, quam ignis vicinus, eo quod maior ſit huius, quam illius approximatio.

Collige 4. quod cum fructus Sacramentorum augeatur proportionate ad diſpoſitionem recipientium, quiſque ſatagere debet, & conari, ut meliori qua poſſit diſpoſitione ſe præparet, & ubi adhuc ſe tepidum viderit poſt tot Sacramentorum ſuſceptiones, hoc ſuis indiſpoſitionibus eſt tribuendum.

Digitized by Google

§. VIII.

De cauſſalitate Sacramenti in voto quoad gratias Sacramentales, ideſt num illas conferat.

Sacramentum in voto eſt deſiderium Sacramenti realiter ſuſcipiendi; & hoc Sacramenti votum, ſeu deſiderium duplex eſt, unum explicitum & formale, aliud implicitum, & virtuale. Votum explicitum Sacramenti illud eſt, quo quis expreſſe & formaliter intendit Sacramentum; ſive interim alias diſpoſitiones habeat, ſive non, & ideo compatibile eſt cum peccato mortali. Votum vero implicitum, ſeu virtuale Sacramenti eſt illud, quo peccator antequam Sacramentum realiter ſuſcipiat, id intendit, & efficit, per quod cenſetur velle realiter ſuſcipere Sacramentum, licet de illo hic, & nunc non cogitet, ut ſi perfecte conteratur, aut Deum ſuper omnia diligat. Nam cum contritio, & actus amoris Dei ſuper omnia ultima ſit diſpoſitio ad iuſtificationem, qui huiuſcemodi actus elicit, cenſetur ea omnia velle, adeoque, & Sacramenta, quæ ſaluti obtinendæ ſunt neceſſaria. De tali voto habentur in Concil. Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. hæc verba; *Et ſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.*

Quamvis votum Sacramenti cum actu perfectæ contritionis, ſive charitatis, quæ iam in eo actu includitur, iuſtificet ex opere operantis; non confert tamen gratiam Sacramentalem, ſeu non confert gratiam ſive habitualem, ſive actualem ex opere operato, ut conferret ſi de facto ſuſceptum eſſet Sacramentum. Nam Scriptura non attribuit gratiam Sacramentalem voto Sacramenti, ſed Sacramento reipſa, ideſt realiter ſuſcepto, ut Ioann. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; & Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Non dicit enim Evangelium, qui voluerit manducare, & baptizari, ſed qui *manducaverit*, & qui *baptizatus fuerit*, quod procul dubio idem importat & ſonat opus operatum, quod non dicit Sacramentum in voto, ſed dicit ad ſummum opus operandum: dico notater *ad ſummum:* quia non pauci, qui ſuſcipiendi deſiderium oſtenderant, nunquam tamen ſuſcepere.

Inſuper unum idemque numero Sacramentum ſemel tantum, non bis ſuum confert effectum. Nam regeneratio ad ſpiritualem vitam gratiæ quæ efficitur per Baptiſmum, non eſt niſi una, ſicuti generatio vitæ naturalis, ad cuius ſimilitudinem illa fit, ſemel tantum contingit. Si autem Sacramentum in voto gratiam Sacramentalem conferret, bis ſuum produceret, ac conferret effectum, & quando eſſet illius deſiderium, & quando realiter illud ſuſciperetur, cum propter præcedens deſiderium nihil amitteret de ſua virtute, & efficacia.

Tandem non eſt maior ratio, cur Sacramenta in voto gratiam conferrent, quam characterem imprimerent: unde cum hunc certe non imprimant, nec illam pariter fieri poteſt, ut conferant. Nec officit, quod Concilium Trident. dicat, reconciliationem non eſſe adſcribendam contritioni ſine Sacramento in voto: & D. Thomas doceat pluribus in locis per Sacramenti votum recipi rem, & effectum Sacramenti, quaſi Concilium, & D. Thomas attribuant Sacramento in voto vim eamdem, ac Sacramento in re ſuſcepto: cum Concilium ſignificare voluerit, contritionem non iuſtificare ſine propoſito adimplendi præcepta, ac ideo ſuſcipiendi baptiſmum, quem recipere iubemur, non quod votum ſeu deſiderium Sacramenti eodem modo iuſtificet, ac Sacramentum realiter ſuſceptum. Et D. Thomas ibi docet, per votum Sacramenti ſuſcipi rem, effectumque Sacramenti quoad æquivalentiam, eo quia gratia habitualis ſit eadem ſpecie, & extra Sacramentum, & in Sacramento: non vero quoad modum ſuſceptionis: quia Sacramentum realiter ſuſceptum ſe habet ad gratiam ut cauſſa inſtrumentalis, Sacramentum vero deſideratum eſt pura diſpoſitio, cui non poteſt attribui tanta virtus, quanta ineſt formæ ad quam diſponit, & præparat.

§. IX.

De Sacramentorum reviviſcentia.

Sicuti Fides deficiente charitate, quæ eſt anima qua operatur, mortua dicitur, & informis iuxta illud Iacobi; *Fides ſine operibus mortua eſt;* ita Sacramenta ſi in ſubiecto, ideſt in ſuſcipiente deſit neceſſaria diſpoſitio ad gratiam, vel ſuſcipiantur cum diſpoſitione gratiæ contraria, veluti mortua remanent & informia, dum carent ſuo effectu, ideſt hominis ſanctificatione, ad quam divinitus inſtituta fuerunt, & ordinata. Quare non controvertitur inter Theologos

logos de Sacramento, an reviviſcat quando invalidum ſit, quod fieret illud ſuſcipiendo ſine intentione, cum certum ſit non poſſe reviviſcere quod nunquam vixit; ſed de Sacramento ficte, ideſt cum obice, ſeu impedimento ipſius tantum effectui, ſcilicet gratiæ, idcirco valide ſuſcepto (cum fictio in hoc ſenſu non impediat valorem) utrum recedente fictione, ſeu poſita requiſita diſpoſitione recipiat ſuum effectum, ac reviviſcat.

Hinc patet, quod nomine Sacramenti informis non aliud intelligitur, niſi Sacramentum cæteroquin validum, ſeu eſſentialiter integrum, quod propter obicem ſuſcipientis non confert effectum. Talis eſt v. g. Baptiſmus quem aliquis adultus ſuſcipit cum affectu peccati mortalis; iſte enim Baptiſmus eſt validus, irreiterabilis, characterem imprimens &c. gratiam tamen, quæ alias per ipſum data fuiſſet, non confert, quia cum peccato mortali illa conſiſtere nequit.

Porro obex ad effectum Sacramenti duplex eſt. Poſitivus unus, & eſt dum quis accedit ad Sacramentum cum conſcientia peccati mortalis, quod per contritionem non retractavit, ac proinde in ipſa Sacramenti indigna ſuſceptione voluntarie in novam gravemque labitur culpam; alius negativus, ſeu privativus, quando quis bona fide, ſeu invincibiliter putans eſſe diſpoſitum, vel ſaltem non indiſpoſitum, ſicuti revera eſt, non cogitat ſe aptum reddere ad digne Sacramentum ſuſcipiendum, & auferendo culpam ſi in ipſa ſit, qua eſt indiſpoſitus, vel requiſitas ponendo diſpoſitiones.

Reviviſcentia autem Sacramenti, qua Sacramentum informe, & infructuoſum, vivum redditur, & fructuoſum, in eo conſiſtit, quod Sacramentum valide, ſed ſine fructu propter impedimentum obicis ſuſceptum, remoto poſtea per contritionem, aut confeſſionem obice, tunc eumdem ſuum fructum ſeu effectum producat, quod propter obicem producere non potuit, dum actu ſuſcipi contigit.

Quænam vero ſint Sacramenta, quæ reviviſcere valeant, non conveniunt Theologi; alii enim volunt nullum reviviſcere, & ita ſentit Ales; alii omnia excepta Euchariſtia, & ita Caietanus cum aliis non paucis; alii ſola Sacramenta imprimentia Characterem, Baptiſmum videlicet, Confirmationem, & Ordinem, & hæc videtur ſententia SS. Bonaventuræ, & Angelici, aliorumve quamplurimorum; alii Baptiſmum tantum, & Pœnitentiam, ut Durandus; alii tandem ſolum Baptiſmum, ut infra.

De Baptiſmi reviviſcentia.

Baptiſmum ſublato obice ipſius effectum gratiæ impediente reviviſcere, non ſolum eſt ſententia S. Auguſt. contra Donatiſtas l. 1. *de Baptiſm.* cap. 12. & S. Thom. q. 69. art. 10. & aliorum communius, ſed etiam communi Eccleſiæ ſenſu id certum eſt; alias neceſſe foret in æternum perire, qui cum obice baptizatus eſt, quando eſt communis omnium ſententia, Baptiſmum in re, vel in voto (ſaltem extra caſum Martyrii) ut docet Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. ad ſalutem neceſſarium eſſe neceſſitate medii, iuxta illud Evangelii: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Dixi *in æternum periret, qui cum obice baptizatus eſt, ſi baptiſmus per remotionem obicis non poſſet reviviſcere*; quia ſemel baptizatus, licet ficte, non poteſt amplius Baptiſmum in re ſuſcipere, quia baptiſmus eſt irreiterabilis, neque poteſt illum amplius habere in voto, quia cum illum iam antea in re ſuſceperit, contingere nequit regulariter loquendo quod recipere deſideret quod iam credit, certeque ſupponit ſe recepiſſe. Igitur neceſſe eſt ut ſalvetur per reviviſcentiam Baptiſmi ficte ſuſcepti, quatenus remoto obice per veram pœnitentiam Baptiſmus habet ſuum effectum gratiæ, & iuſtificationis in ſuſcipiente.

Baptiſmus in ſua reviviſcentia quos conferat Effectus.

Collige 1. ex dictis, in Baptiſmi reviviſcentia omnem conferri effectum, qui confertur per realem Baptiſmi ſuſceptionem, adeoque ultra gratiam ſanctificantem, remiſſionemque peccati originalis, omniumque actualium Baptiſmo priorum, & omnem tolli pœnam tantummodo dictis peccatis debitam; quia ſicuti non remittit Baptiſmus reviviſcens peccata commiſſa in ficta eius ſuſceptione, & alia poſtea uſque ad ipſius reviviſcentiam commiſſa, ita nec aufert pœnam temporalem ipſis debitam. Confert Baptiſmus reviviſcens ius ad gratias actuales ſuo tempore conferendas, cum nulla ſit ratio, cur dicatur potius ad unum effectum reviviſcere quam ad alium.

Collige 2. quod cum gratia Sacramentalis conferatur proportionate ad diſpoſitionem Baptiſmum ſuſcipientis, in ipſius quoque reviviſcentia maiorem, vel minorem eamdem gratiam conferet, iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem quam habuerit, qui baptiſmo obicem tollit.

Eſt valde veriſimilis, & videtur etiam probabilior ſententia quamplurium, qui exiſtimant reviviſcere etiam alia duo Sacra-

menta, quæ characterem imprimunt, Confirmationem videlicet, & Ordinem, utpotequæ ob talem rationem, non ſecus ac Baptiſmus, ſint irreiterabilia, & gratia propria illis Sacramentis eſt ſaltem valde utilis, imo dicerem etiam maxime neceſſaria; confirmato quidem ad hoc ut fidem, ſine qua ſalvari non poteſt, conſervet & profiteatur etiam cum propriæ vitæ periculo; Ordinato vero, ut digne ſancteque ſacri Ordinis ſui miniſteria in Eccleſia peragat. Ita enim cum multis ſentit D. Thomas, ut expreſſe habet in 4. diſt. 49. art. 2. & cum ipſo etiam S. Bonavent. diſt. 1. part. 1. art. 13. Et equidem cum Sacramenta omnia legis novæ ex ſe, & ex vi propriæ ſuæ inſtitutionis ſint productiva gratiæ, niſi ei apponatur obex, illam ſtatim producunt, ſi Sacramenta perſeverent ad exiſtendum in aliquo ſuo effectu, certe remoto obice, ideſt impedimento, gratiam illam efficient. Quare cum Sacramenta Characterem imprimentia licet tranſeuntia remaneant tamen virtualiter in effectu a ſe producto, ideſt in Charactere, qui ut indelebilis perſeverat in ſuſcipiente, remoto impedimento, ideſt obice, alterum ſuum effectum gratiam videlicet efficient. Etenim ſicut ubi cauſſa non amplius extat vel in ſe, vel in ſuo effectu, non valet amplius operari; ita ex oppoſito dum hæc permanenter in aliquo ſaltem virtualiter habetur, dummodo non impediatur, concurrentibus ſuis requiſitis diſpoſitionibus proprios effectus producet.

Alia igitur Sacramenta quæ non imprimunt Characterem, & quæ præcipue ſunt facile iterabilia, ut Euchariſtia, & Pœnitentia, cum neque exiſtant in ſe, quia tranſeunt cum ipſa actione Sacramentali, neque in aliquo ſuo effectu, utpotequæ nihil relinquant permanenter in anima, quamvis poſtea obex removeatur, neutiquam ſuum gratiæ effectum producent; cauſſa enim quæ non exiſtit in ſe, neque in alio, prorſus inhabilis eſt ad aliquod efficiendum; & hoc expreſſe habet D. Angelic. in 4. diſt. 4. q. 3. art. 2. in reſponſ. obiectionis, quam paritate Euchariſtiæ contra Baptiſmi reviviſcentiam ita ſibi proponit, videlicet quod ſicuti recedente fictione non reviviſcit Euchariſtia, ſic recedente fictione reviviſcere nequeat Baptiſmus: cui obiectioni ita reſpondet; *Ad tertium dicendum, quod in Euchariſtia non imprimitur Character cuius virtute poſſit aliquis effectum Sacramenti percipere fictione recedente, & ideo non eſt ſimile*. Et iam de Euchariſtia ſaltem cum obice poſitivo ſuſcepta, ſicuti etiam de Pœnitentia communis eſt non reviviſcere, & quia facile hæc iterari poſſunt, & quia ut notat P. Boſſuyt, qui alias ſentiret, fateri cogeretur illum qui ad venerabile Euchariſtiæ Sacramentum ſacrilege acceſſit, remoto obice tanto cumulatiorem gratiam recepturum, quanto plura ſacrilegia perpetravit, atque adeo improbiſſimum peccatorem unica confeſſione in fine vitæ debite facta evaſurum maximum ſanctum. Quid hoc magis ſi non horrendum, abſurdiſſimum ſaltem excogitare poſſet?

Dixi *de Euchariſtia ſaltem cum obice poſitivo accepta*; quia ſi quis cum obice tantum negativo ſuſcipiat (exiſtimans bona fide ſe eſſe in gratia) probabile putant aliqui, illam ſublato obice reviviſcere. De Pœnitentia vero ut ſatis certum putatur, non reviviſcere, cum ſaltem ſit veriſimile, nullam dari Pœnitentiam informem, quæ valida ſit.

§ X.

De Diſpoſitione requiſita ad reviviſcentiam Sacramenti.

Si Baptiſmus ſuſcipiatur cum obice negativo tantum, nec aliud peccatum lethale poſt baptiſmum commiſſum ſit, requiritur, & ſatis eſt ad reviviſcentiam Sacramenti attritio ſupernaturalis; quia non maior diſpoſitio requiritur ad Baptiſmi reviviſcentiam, quam ad eius ſuſceptionem. Idcirco cum ad hanc ſola ſupernaturalis attritio requiratur, hæc igitur ſufficere debet ad eius reviviſcentiam, ita D. Thomas. Dixi *nec aliud peccatum læthale commiſit poſt baptiſmum*; quia in tali caſu requireretur aut contritio perfecta, aut attritio cum Sacramento Pœnitentiæ. Si vero Baptiſmus ſuſcipiatur cum obice poſitivo, tunc requiritur vel contritio imperfecta, ideſt attritio cum pœnitentia, vel contritio perfecta; quia peccatum fictionis poſitivæ eſt peccatum actuale poſterius natura ſuſceptione Baptiſmi; tale autem peccatum non remittitur ſola contritione imperfecta, ut cum Concil. Tridentino docent omnes Theologi, nec etiam Baptiſmo, cum eius obiectum ſit peccatum prius ipſo Baptiſmo. Igitur requiritur vel contritio perfecta, vel imperfecta, ideſt attritio cum Sacramento Pœnitentiæ, cum non detur aliud medium. Unde ſit tamquam pro regula generali, quod omne peccatum quod baptiſmum antecedit, per baptiſmum dimittitur, & omne quod Baptiſmum ſuo modo conſequitur, ad tribunal Pœnitentiæ pertinet.

Ut

Digitized by Google

Ut vero reviviſcant alia Sacramenta re-quiritur ſtatus gratiæ ; quia non minorem requirunt diſpoſitionem ut reviviſcant , quam ut in eorum ſuſceptione ſuum effe-ctum conferant ; non conferunt autem ex primaria ſua inſtitutione , niſi in ſubiecto id-eſt in ſuſcipiente ſit prima gratia , utpote-quæ ſint Sacramenta vivorum , quorum ef-fectus eſt ſecunda gratia.

Nota , Baptiſmum in ſua reviviſcentia concurrere ſimul natura cum Pœnitentia ad unam eamdemque gratiam , quæ quatenus ba-ptiſmalis, eſt regenerativa , quatenus pœni-tentialis, eſt iuſtificativa : quia ut ait D. Auguſtinus , tunc incipit valere Baptiſmus , ubi fictio veraci confeſſione recedit . Igi-tur ubi operatur vera confeſſio , operatur & baptiſmus. Inſuper baptiſmus eodem in-ſtanti producit gratiam quo pœnitentia tol-lit peccatum fictionis , & eodem inſtanti quo Pœnitentia tollit peccatum fictionis , producit gratiam pœnitentialem ; igitur ſi-mul , & ſemel Baptiſmus , & Pœnitentia o-perantur gratiam ſibi proportionatam. Et hæc gratia collata a Baptiſmo ſimul & Pœ-nitentia eſt maior , ac ſi collata eſſet a ſolo Baptiſmo , aut ſola Pœnitentia , eo quia unum cauſſalitatem alterius non im-pediat , & aliunde gratia Baptiſmi non oppo-natur gratiæ pœnitentiali , vel e contra , cum ambæ ſint eiuſdem rationis , ac proinde ubi ſimul operentur , neceſſe eſt , ut perfe-ctiorem effectum operentur.

§. XI.

De Secundo Sacramentorum effectu , ideſt de Charactere.

Character eſt alter minus principalis Sa-cramentorum effectus ; & hic quantum ad propoſitum , eſt ſignaculum quoddam ſpiri-tuale , & indelebile in anima impreſſum , quo diſtinguitur homo ab aliis , & effici-tur idoneus ad nonnulla , ideſt ad ſuſci-piendum, vel aliis miniſtrandum , quæ ſunt divini cultus , ut in Baptiſmo ad recipien-da alia Sacramenta , in Confirmatione ad profeſſionem fidei , & in Ordine ad fun-ctiones eccleſiaſticas obeundas. Huius fre-quens eſt mentio tum in divinis Scriptu-ris , tum apud SS. PP. ut 2. Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus , qui & ſignavit nos , & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Et E-pheſ. 4. *In quo ſignati eſtis in diem redem-ptionis.*

Duo ſunt , ut patet ex allata definitione , effectus Characteris. 1. diſtinguit hominem baptizatum a non baptizato , Sacerdotem a laicis , ideſt ab aliis Charactere non inſigni-tis. 2. conſecrat , & deputat ad nonnulla officia Religionis . Nam per Characterem homo ſpecialius ad divina conſecratus ac-cipit quodammodo aliquam poteſtatem ſeu capacitatem tum paſſivam ſuſcipiendi , ut ſit in Baptiſmo , tum activam conficiendi & adminiſtrandi Sacramenta , ut ſit in Or-dine.

Character autem ut poſt S. Auguſt. do-cet D. Thom. 3. p. q. 63. art. 3. *eſt ſignum participationis Chriſti Domini , cuius Sacer-dotii configurantur fideles ſecundum Sacra-mentales Characteres , qui nihil aliud ſunt , quam quædam participationes a Chriſto deri-vatæ .* Et art. 5. ita habet ; *Character Sa-cramentalis eſt quædam participatio Sacer-dotii Chriſti in fidelibus eius . . . . . Sacer-dotium autem Chriſti eſt æternum , & inde eſt quod omnis ſanctificatio , quæ fit per Sa-cerdotium eius , eſt perpetua re conſecratâ manente* ; & proſequitur ad 2. Divinus cul-tus conſiſtit , vel in recipiendo aliqua di-vina, vel in tradendo aliis ; ad utrumque autem horum requiritur quædam potentia activa ; ad recipiendum autem requiritur potentia paſſiva. Altera Characteris definitio.

Character dicitur *ſignum impreſſum in ani-ma* , ut diſtinguatur tum a Charactere Cir-cumciſionis , quo Iudæi , inquit S. Ioann. Chriſoſtomus , in corpore veluti pecora ſe-cernebantur ab aliis nationibus , tum a no-tis , & inſignibus , quæ Principum Miniſtri exterius in veſtibus circumferunt , tandem-que a Charactere Dæmonis , qui veluti ſi-mia Dei , ut loquuntur SS. PP. notat ſa-crilegos , qui ei ſe mancipant , ut habetur Apocalyp. 13.

Dicitur *indelebile* ; tum quia nihil habet contrarium per quod deſtruatur ; nam pec-catum opponitur gratiæ , non Characteri ; tum quia poteſt etiam impius ferre Chriſti ſignaculum , ſicuti deſertor baltheum militis ; unde neque in hac , neque in futura vita deletur , ſed permanet in bonis , ut in Bea-tis in Cælum ad decorem , ornatum , ac præ-mium , ideſt ad maiorem eorumdem glo-riam ſaltem accidentalem ; remanet in ma-lis , ideſt in damnatis in gehenna inferorum ad increpationis notam , & dedecus , ac pro-inde ad maiorem ipſorum confuſionem ; ita ut ſi quis rite baptizatus , confirmatus , ordinatus poſt mortem miraculoſe a mor-tuis ſuſcitaretur , non poſſet amplius , nec licite, nec valide baptizari, confirmari, or-dinari, alias hæc Sacramenta per ſe irreite-

Digitized by Google

rabilia, quando valide ſemel ſunt collata, denuo reiterarentur.

Character imprimitur in his etiam, qui ficte, ideſt ſine requiſitis diſpoſitionibus, vel cum diſpoſitione contraria ſuſciperent, cum iam probatum ſit, valida eſſe hæc Sacramenta in hæreſi collata vel ſuſcepta, licet non conferant Spiritum Sanctum, ideſt eius gratiam.

Tria ſunt Sacramenta characterem imprimentia, nempe Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, ut definitum fuit a Concil. Tridentino ſeſſ. 7. can. 9. Quare autem in his tribus Sacramentis tantum, non in aliis quatuor imprimatur Character; cauſſa primaria eſt voluntas Dei, ac Chriſti inſtituentis, quæ ſufficienter nobis conſtat ex Traditione, atque Eccleſiæ auctoritate, & eſt quædam congruentia deſumpta (ait Scotus 4. diſt. 6. q. 10.) a Politia humana, in qua diverſi miniſtri in domicilium cuiuſpiam magni Principis conſtituti, diverſis, certiſque inſignis notantur, quibus eorum manus dignoſcatur, atque ipſi inter ſe aſſimilentur, & ab aliis diſtinguantur: ita in Chriſti familia ſunt, qui per baptiſmum coaptantur in domum, & ulterius per chriſma ad fidem propugnandam redduntur idonei, & qui ſacris initiationibus conſtituuntur divinorum myſteriorum diſpenſatores, ſuis quique ſignaculis condecorati. Quia vero per cætera Sacramenta non deputatur homo ad ſpeciale munus in Eccleſia peragendum, cum potius inſtituta videantur ad ſolam ſuſcipientium ſanctificationem; hinc licet hæc conferant uberrima gratiarum munera, congruentet divina diſpoſuit providentia, ut Characteris ſignaculum non imprimerent.

Hunc vero Characterem Sacramentalem ſunt qui exiſtimant eſſe qualitatem aliquam ab anima realiter diſtinctam, eique realiter ſuperadditam; putant alii nihil ſuper hoc a Tridentino Concilio, vel alibi definitum fuiſſe, idcirco negant Characterem eſſe huiuſcemodi qualitatem, dum volunt quidem illum eſſe ſignum aliquod ſpirituale re ipſa animæ impreſſum abſque eo quod ab anima realiter diſtinguatur, non ſecus ac ſigillum ceræ imprimitur ſine productione novæ & diſtinctæ entitatis.

Quidquid tamen ſit, quæſtio iſta parum ſpectat ad praxim vitæ chriſtianæ, modo admittatur ut de fide credendum eſſe, dari hunc Characterem, ne incurramus errorem Novatorum, qui pertinaciter dogmatizant, Characterem nihil aliud eſſe quam ſcholaſticum commentum excogitatum, ut ait inter alios Kemnitius 2. part. examinis Concil. Tridentini, ſicut ante Kemnitium Lutherus, Calvinus, aliive huiuſcemodi furfuris ſectarii conati ſunt oſtendere. Hanc veritatem de exiſtentia Characteris, qui imprimatur per tria antea citata Sacramenta, docuit definiendo Concil. Trident. ut antea diximus cit. can. 9 & ante Tridentinum Eugenius IV. in ſuo Decret. pro Armenis. Et ſi evidenter deduci nequit probatio ex Scripturis ex cit. teſtibus Corinth. & Epheſiorum, id habetur tamen manifeſtiſſime ex Traditione, & præcipue ex S. Auguſt. l. 2. cap. 13. contra Parmenianum, ubi tam de Baptiſmo, quam de Ordine dicens, quod uterque dat homini quamdam conſecrationem, concludit; *in Catholica Eccleſia utrumque non licet iterare*; & ſimilia Epiſt. 74. ad Ianuarium habet de Confirmatione, & alibi inſuper tum de Baptiſmo, quam de Ordine.

Character vero ſi particulariter conſideretur in ſingulis Sacramentis, in quibus imprimitur, veroſimiliter dici poteſt Characterem Baptiſmi non aliud eſſe, quam ſignum, ſeu notam quamdam animæ impreſſam, per quam dignoſci poteſt, quod homo ſit baptizatus, & aptus ſit, vel fuerit ad alia Sacramenta recipienda. Character Confirmationis videtur eſſe ſignum, ſeu tenera militis chriſtiani parati ad alia Sacramenta meliori diſpoſitione, ac pietate ſuſcipienda, & fidem firmiori conſtantia profitendam. Character Ordinis tandem videtur eſſe nota aliqua, quo quis deſignatus, ſeu deputatus eſt, vel fuiſſe agnoſcitur, ad Sacramenta, aliave Sacramentalia conficienda, ac miniſtranda.

§. XII.

De numero Sacramentorum novæ Legis.

Tametſi cum Catholicis circa Sacramentorum exiſtentiam in lege evangelica conveniant etiam Heterodoxi, non conveniunt tamen in numero, imo ita diſſonant, ut non minus ſint inter ſe, quam cum catholico dogmate diſcordes. Modo enim unicum tantum admittunt, ut Lutherus l. *de Captivit. Babil.* ubi dicit non damnare ſeptem Sacramenta, unum tamen eſſe proprie dictum, ſed duo admittenda ſcilicet Baptiſmum, & Euchariſtiam; & in alio loco eiuſdem libri addit Pœnitentiam: alii duo proprie eſſe concedunt, ut Calvinus, & Philippus Melancthon, qui poſtea modo tria, ut *in Apologia Auguſtana*, & in poſterioribus, modo qua-

quatuor, modo quinque agnoſcit. Plerique Lutherani in ſuis Catechiſmis tria numerant Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet, Euchariſtiam, & Pœnitentiam. Zwinglius fatetur Baptiſmum, Cœnam, & Matrimonium. Verum communis, & magis apud ipſos recepta ſententia eſt, Sacramenta eſſe duo tantum, ideſt Baptiſmum, & Cœnam, ut aiunt Lutherus ſub finem libri *de Captivit. Babilonic.* & Calvinus *in Antidoto* adverſus ſeſſionem 7. Concil. Trident. Quidquid autem ſit de hæreticorum deliramentis, certum eſt Catholicos omnes propugnare unanimes numerum Sacramentorum eſſe ſeptem, ſi excipias ſolum Durandum, qui licet dicat Matrimonium eſſe Sacramentum, negat tamen in producenda gratia convenire cum cæteris Sacramentis.

Septem eſſe novæ legis Sacramenta, Baptiſmum videlicet, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium conſtat ex ipſa Traditione, & communi pene omnium Eccleſiarum conſenſione. Eccleſiæ Orientales enim & Occidentales in multis cæteroquin diſcrepantes, & exinde a ſe invicem etiam communione diviſæ, ſemper in hac ſententia convenere, & conveniunt, (quod eſt valde grave argumentum) numerum illum ſeptenarium confiſtum non eſſe a Romanis Pontificibus, ut calumniantur Novatores. Et hunc ſeptenarium numerum Sacramentorum non ſolum agnovit Eccleſia temporibus Concilii Conſtantienſ. in quo damnatus fuit articulus Ioannis Hus, quo aſſerebat Sacerdotes catholicos infideliter ſentire de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis; & Concilii Florent. quod de hoc numero ſeptenario docuit Armenos in Decreto pro ipſis edito; ſed etiam multo ante, ſcilicet 400. circiter annis, in quadam Lucii III. Decretali, ut habetur extra de Hæreticis cap. *ad Abolendam*, in qua ſtatuitur talis numerus credendus ſub pœna anathematis, quem numerum licet aperte non explicet, ex eo tamen ſatis intelligi debet, quod remittit ad doctrinam & obſervationem Romanæ Eccleſiæ, quæ certe hac in re minime eſt obſcura, ut notat hic Eſtius. Ita pariter ſenſere celebriores ex veteribus Theologis, Hugo nempe Victorinus, Petrus Lombardus, Magiſter ſententiarum, qui tamquam certum ac definitum hunc ſeptenarium Sacramentorum numerum ſuis ſcriptis tradidere. Et tandem contra Novatores definitum fuit a Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. Eccleſiæ Sacramenta ſeptem eſſe numero, nec plura nec pauciora; ita enim in cit. can. hoc expreſſis verbis habetur; *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Chriſto Domino inſtituta, & eſſe plura, vel pauciora quam ſeptem .... anathema ſit.*

Non deſunt tamen teſtimonia divinarum Scripturarum, quæ non obſcure hanc comprobant veritatem; nam licet nullibi expreſſe meminerit Scriptura huiuſce ſeptenarii numeri Sacramentorum, ſicuti nec meminit binarii, ternarii, aut quaternarii, quem admittunt hæretici, implicite tamen hunc tradit, cum ex ea de ſingulis illorum, non tamen de ullo alio probari queat eſſe Sacramentum. Habetur enim de Baptiſmo Matthæi ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* item Marci 16. & alibi. De Confirmatione habetur Act. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* De Euchariſtia Matth. 26. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit &c.* & Ioann. 6. *Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi.* De Pœnitentiæ inſtitutione, & ipſius vi gratiam conferendi legitur Ioann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* De Extrema Unctione habetur Epiſt. Cathol. Iacobi cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbiteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum in nomine Domini.* Ordinis meminit D. Paulus 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum.* De Matrimonio denique Matth. 19. ſcriptum eſt; *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

Nec deſunt rationes, & congruentiæ, quibus præter Chriſti Domini inſtituentis voluntatem, (quæ dum agitur de contingentibus liberis eſt præcipua ratio, & a priori) quibus ſuaderi poteſt novæ legis Sacramenta ſeptem debuiſſe eſſe numero nec plura, nec pauciora. Nam ſicuti in vita naturali corporis requiritur primo ut homo naſcatur, ſecundo ut creſcat, tertio ut nutriatur, quarto ut ſi ægrotet medicinam accipiat, quinto ut muniatur contra hoſtes, ſexto ut ab aliquo Superiore regatur, ſeptimo ut per generationem ſpeciem humanam ſervet; ita in vita ſupernaturali ſpiritus primum occurrit generatio, quæ fit per Baptiſmum; robur tribuit Confirmatio; alimoniam, & nutritionem Euchariſtia; ſi forte morbus acciderit Pœnitentia eſt remedium; quæ ex morbo manent, reliquiæ, & infirmitates Extrema Unctione purgantur; regimen Reipublicæ Chriſtianæ habemus ab Or-

Digitized by Google

dine; per Matrimonium tandem homines ad Dei cultum deſtinati propagantur.

Opponunt tamen Adverſarii: numerus ſeptenarius Sacramentorum non reperitur in Sacra Scriptura, nec apud ullum ex SS. Patribus, imo SS. Ambroſius & Cyrillus Hieroſolymitanus, & alii, qui fidei rudimenta in ſuis catecheſibus exponunt, non meminerunt niſi duorum, aut trium Sacramentorum, nempe Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ; unde talis numerus eſt novitas, quam Scholaſtica Theologia orta 12. Sæculo induxit.

Reſp. 1. cum Haberto. Neque Scriptura, neque ulla Synodus ante Laodicænum tradidit contextum catalogum librorum Canonicorum; igitur non admittendus eſt. 2. Igitur ſatis eſt, ut ſicuti iam hic factum fuit, quodlibet ex ſeptem Sacramentis colligi poſſit ex variis Scripturæ locis.

Reſp. 2. cum cit. Haberto, Sanctos PP. aliquando unius Sacramenti, aliquando duorum, vel trium mentionem feciſſe, quia illorum inſtituti ratio aliud non exigebat; & ſic dum his rationem tribuunt Sacramenti, alia, quorum illis tunc non erat occaſio loquendi, ab eadem ratione non excludunt. Hinc SS. Ambroſius, & Cyrillus, qui Cathecumenos inſtruendos ſuſceperant, de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia tractant, quia ſolebant illis hæc tria ſtatim miniſtrari. Sic Rabanus nono ſæculo in opere *de inſtitutione Clericorum* non meminit Sacramenti Matrimonii, quia ad Clericos non pertinet. Durandus quidem minus recte ſcripſit de Matrimonio; ſed in hoc omnes ab ipſo recedunt Theologi.

Opponunt 2. varia SS. Patrum teſtimonia, & præcipue S. Auguſtini, ex quibus colligitur, plura quam ſeptem eſſe Sacramenta, aut certe alia a noſtris Sacramenta recenſentur. Sic enim Auguſt. l. 19. cap. 14. *contra Fauſtum* annumerat Sacramentum cum Baptiſmo, & Euchariſtia etiam ſignum Crucis, & alibi adſcribit inter Sacramenta exorciſmos, inſufflationes, alioſve ritus, qui fieri ſolent circa catechumenos; & inſuper l. 2. *de Peccator. merit. & remiſſ.* cibum ſanctificatum, qui tunc dari ſolebat Catechumenis, vocat Sacramentum. Item Alexand. II. epiſt. 1. Aquam benedictam, lotionem pedum, quam proprio exemplo Chriſtus nos docuit, una cum S. Ambroſ. l. 3. *de Sacrament.* cap. 1. & Bernard. in ſermon. *de cæna Domini*, ut alii prætermittantur, vocat Sacramenta.

Reſp. omnia illa quæ proferuntur ex SS. Patribus, nihil officere ſententiæ catholicæ de numero Sacramentorum reſtricto ad ſeptem tantum ſupra relato, cum SS. PP. loquantur in allatis textibus non de Sacramentis, ſed de his, quæ ſunt ſimpliciter Sacramentalia, quæ non agunt ex opere operato, quin etiam pleraque ante baptiſmum conferuntur, neque ſibi adiunctam habent gratiæ ſanctificantis promiſſionem, nec conſtat inſtituta eſſe a Chriſto Domino, vel ab Apoſtolis. Dicuntur igitur Sacramenta ſecundum latiorem ſignificationem, quod ſub iis lateant res divinæ. Unde ſignum Crucis, tunſio pectoris (ait Eſtius) benedictio Sacerdotalis, Epiſcopalis, exorciſmi Dæmonum, variarumque rerum conſecrationes, ſeu benedictiones, non ſunt niſi Sacramentalia. Nullum enim horum ex divina inſtitutione vim habet gratiam conferendi ex opere operato. Circa vero aquam benedictam, & lotionem pedum, dico quoad primam cum D. Thom. hic art. 3. q. 65. art. 1. ad 6. nec eſſe, nec dici poſſe Sacramentum, utpote quæ non perducat ad ſanctitatem, ſed ſolummodo ad illam diſponat, cum non ſit inſtituta ad ſignificandam perfectionem ſanctitatis humanæ, ideſt gratiam, ſed ſolum ut ſignificaret diſpoſitionem ad illam, ac proinde citatos PP. nonniſi in lato ſenſu hanc vocaſſe Sacramentum. Quoad alteram vero, ideſt lotionem pedum, licet Sacramentum, & Myſterium appelletur, ut a SS. Ambroſio, & Bernardo, non appellatur tamen tale niſi late, ideſt extenſo nomine Sacramenti ad quodcumque ſignum ſacrum; non quod contulerit munditiam ſpiritualem, vel peccatorum venialium remiſſionem, ſed quia ſignificabat, quod Apoſtolis, quantumvis mundi eſſent, remanebant nonnullæ maculæ purgandæ; ideoque nihil fovet Adverſariis quod D. Ambroſ. eamdem lotionem vocet myſterium, & ſubſidium ſanctificationis, quæ fit poſt baptiſmum; non ita enim eam vocat, quia putaret eam eſſe proprii nominis Sacramentum, ſed quia ſervabatur in Eccleſia Romana ut cæremonia ſacra, & habuit ab initio illam ſignificationem, de qua hic antea loquebamur.

§. XIII.

De proprietatibus Sacramentorum, ideſt de eorum ordine, dignitate, & neceſſitate.

Duplex ordo, ut notat P. Iuvenin. diſtingui poteſt in Sacramentis, *Dignitatis videlicet, & Receptionis*. Prior deſumi poteſt ab eſſentia, ſeu ab ipſa ſubſtantia, ex qua Sa- **Duplex Ordo in Sacramentis.**

cra-

ramentum intrinſece conſtat, vel ab effe-ctibus quos producit, vel a Myſterio quod repræſentat, vel denique a Miniſtro, qui Sacramentum confert. Alter Sacramentorum ordo peti poteſt, vel ab antiqua diſciplina, quæ olim obtinuit, vel a recenti, quæ nunc viget.

Quoad ordinem dignitatis in Sacramentis ſancitum eſt a Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 3. Sacramenta non eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione unum aliud dignitate non excedat, contra Hæreticorum placitum, præ-ſertim Calviniſtarum, & Lutheranorum, qui volunt Sacramenta eſſe inter ſe paria, ut ea excipiant, ſeu detrudant e numero Sa-cramentorum, quæ ſicuti Baptiſmus, & Eu-chariſtia in ſacris libris non comendantur, ut docent in Antidot. Concil. Trident. Cal-vinus, & in Epiſtol. ad Senatum Pragenſem Lutherus; & credibile eſt, paria eos feciſſe Sacramenta, ut æquiparando Calvinus Eu-chariſtiam Baptiſmo, facilius negare poſſet realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, & utraque paria ſtatuiſſe in ſuo dogmate Sa-cramenta, quoniam eodem Dei verbo, Dei ſidem excitando, ſimili prorſus ratione, id-eſt indifferenter omnia pari virtute proficiant ad hominum ſalutem, ita ut nullum Sacra-mentum operetur intrinſecus in anima ſan-ctitatem. Quantum in hoc a veritate rece-dant Novatores patet a Sacramentorum na-tura, & effectibus. Et revera cum Sacra-mentum Euchariſtiæ contineat Chriſtum, ideſt ipſummet gratiæ auctorem, & fontem, procul dubio quoad ſubſtantiam, ex qua conſtat, excellit cætera, utpote quæ gratiam tantum in ſe contineant. Ratione vero effe-ctus, quem proprium peculiaremque habent omnia alia Sacramenta, Baptiſmus dignior eſt cæteris, cum hic non ſolum culpam, ve-rum etiam pœnam totam ſimul, ac ſemel de-leat. Unde poſt Baptiſmum præſtat aliis Pœ-nitentia in reconciliatione lapſorum, quibus remittit peccata omnia poſt baptiſmum com-miſſa. Confirmatio excedit aliis quantum ad gratiam, ſeu quantum ad ius, quod dat ad au-xilia actualia neceſſaria ad fidem coram ty-rannis confitendam. Extrema unctio ſuperat omnia alia Sacramenta quantum ad pec-catorum reliquias, quas ex Chriſti Domi-ni inſtitutione delet, ac diluit. Ratione tandem Miniſtri Sacramentum Ordinis aliis Sacramentis eſt præſtantius, cum a ſolo Epi-ſcopo conferri poſſit, ut ſuo loco dicetur, cætera vero Sacramenta a Sacerdotibus, ipſaque Confirmatio ex Summi Pontificis diſ-penſatione. Matrimonium denique alia ex-cellit ratione myſterii, quod eo ſignifica-tur, quod eſt unio Chriſti cum Eccleſia, iuxta illud Apoſtoli; *Sacramentum hoc ma-gnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*.

Circa ordinem vero recipiendi Sacramen-ta, puta unum prius, vel poſterius altero, certum eſt, ut conſtat ex Eccleſiaſticis monu-mentis, non ſemper viguiſſe eamdem diſci-plinam quoad ordinem ea miniſtrandi. Primo enim erat in uſu baptizandis omnibus, ſive Catechumenis, & adultis, ſive infantibus conferre ſimul ſucceſſive Baptiſmum, Confir-mationem, & Euchariſtiam. Et hoc perdu-ravit in Eccleſia occidentali, ſive latina per duodecim priora ſæcula; & talis mos adhuc viget in Eccleſia Græca: ſed non ſolum di-verſus fuit a præſenti diſciplina ordo mini-ſtrandi Sacramenta, ſed etiam in eis recen-ſendis, ac in tabulis ſcriptura exponendo. Nam Londinenſe Concil. recenſet Pœniten-tiam ante Euchariſtiam, & Matrimonium ante Ordinem. Ioannes Paleologus *in Con-feſſ. Fidei*, Pœnitentiam, & Unctionem Ex-tremam ſtatuit poſtremo loco; ordinem ve-ro, ſeriemque, quæ nunc ſervatur in eis re-cenſendis, ſtatuerunt Magiſter ſententiar. S. Thom. aliique Scholaſtici, Eugenius IV. & Concil. Trident.

§. XIV.

De Sacramentorum neceſſitate, & fine eorum inſtitutionis.

Sacramentorum neceſſitatem clariſſime de-finivit ut dogma fidei Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 4. contra Novatores, aſſerentes, ho-minem iuſtificari per ſolam fidem in divinis Chriſti promiſſionibus, ideoque Sacramentis gratiam iuſtificationis non conferri, ſed fidem dumtaxat excitari. Ita enim habetur in cit. can. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto, per ſolam fidem homines gratiam iuſtificationis adipiſci, licet omnia ſingula neceſſaria non ſint; anathema ſit*. De fide igitur tenendum eſt, quod li-cet fides diſponat ad iuſtificationem, aliæ tamen cauſſæ ad eamdem concurrunt; at præcipue ut cauſſæ inſtrumentales Sacra-menta, quæ virtute ſibi a Deo indita ſan-ctitatem efficiunt, qua vi ſi carerent, neu-tiquam neceſſaria eſſent ad ſalutem, cum etiam verbum Dei, & librorum ſacrorum lectio fidem excitare poſſint, & nutrire.

Neceſſitas porro Sacramentorum duplici-ter generatim diſtingui poteſt; una ſcilicet inſti- **Duplex Sacra mento.**

Digitized by Google

rum ne- ceſſitas, & uſus. *inſtitutionis*, & *exiſtentiæ*; altera *uſus*, & hæc ideſt neceſſitas uſus pariter duplex eſt; altera quæ dicitur *neceſſitas medii*, altera quæ dicitur *præcepti*. Neceſſitas medii, ideſt finis ea dicitur, qua res ita neceſſaria eſt ad finem aſſequendum, ut ſine ipſa obtineri nequear; talis eſt cibus, ac potus neceſſarius ad naturalis vitæ conſervationem, & huiuſcemodi neceſſitate neceſſarii ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia ad æternam vitam conſequendam.

Neceſſitas autem præcepti ea dicitur, qua res eſt neceſſaria non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ideſt ut facilius, & ſecurius finis conſequatur. Huiuſcemodi eſt ſobrietas in cibo, & potu ad ſanitatem conſervandam; & in ſpiritualibus ita neceſſaria ſunt alia Sacramenta ad animæ ſalutem, vel ſanitatem fovendam. Prior neceſſitas dici poteſt interna, quæ videlicet oritur ex natura ipſius rei neceſſariæ: altera vero externa, quæ oritur dumtaxat ex præcepto. Quare ſicuti non omnia Sacramenta, ut ex Trid. cit. can. ſingulis neceſſaria ſunt ad æternam ſalutem; ita non omnia neceſſaria ſunt eodem modo. Baptiſmus enim, & Pœnitentia, quæ duo inſtituta ſunr pro his, qui lethali culpa inquinati nequeunt, niſi ſanctificentur, æternæ vitæ fieri participes, hæc duo, inquam, Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ideſt ſunt medium neceſſarium, ſine quo neque gratiam Sacramentalem, neque cœleſtis regni hæreditatem conſequi valemus. Baptiſmus quidem parvulis, aliiſve originali labe inquinatis, quia hic continet gratiam regenerantem; & Pœnitentia quæ continet gratiam reparantem, pro iis iis qui receptam in baptiſmate ſanctificationem actualibus criminibus amiſerunt; ac ideo vocatur Pœnitentiæ Sacramentum ſecunda tabula poſt naufragium. Cætera Sacramenta ſunt ad augendam gratiam inſtituta, neceſſaria tantummodo neceſſitate præcepti, ideſt ſuſcipienda eo tempore, quo urget præceptum divinum, vel eccleſiaſticum, ut Confirmatio quoad Neophitos ingruente perſecutione, Extrema Unctio & Euchariſtia imminente vitæ periculo, ſi tamen in ſingulis hiſce caſibus facultas ſuppetat ſuſcipientibus illa recipiendi. Verum ſi univerſim Eccleſia ſpectetur, Ordo quoque habet abſolutam neceſſitatem, ideſt medii, cum ſine Sacrorum Miniſtrorum ordinatione neque conſecrari poſſit corpus Dominicum, neque in hac rerum divinarum conſtitutione lapſis abſolutionis beneficium impendi. Nihilominus tamen nec Ordo, nec Matrimonium ſingulis ſunt neceſſaria, cum homo libertate præditus nequeat niſi iuſta cauſſa impellente, neque ſacro Ordine, neque Matrimonii vinculo conſtringi. Matrimonium eatenus neceſſarium eſt, quatenus Eccleſiæ filii debent cum ſanctitate nuptiarum dare operam filiis procreandis.

Verum licet in propoſito neceſſitatis Sacramentorum attigerimus eorum neceſſitatem internam, ideſt abſolutam ſive medii, & externam ſcilicet præcepti; non eſt tamen hic noſtrum inſtitutum de illa agere, ſed potius cum Tourneleio agemus de neceſſitate inſtitutionis, & exiſtentiæ, non quidem ſimplici, & abſoluta, quæ ſoli Deo covenit, ſed hypothetica, & relativa ad finem ſupernaturalem. Imo nec hoc inquiritur, num ex hypotheſi quod Deo placuerit gratiam homini conferre, fuerit omnino neceſſarium inſtitui Sacramenta, cum certiſſimum ſit, virtutem Dei non eſſe ita alligatam, ut abſolute nequeat Deus per ſemetipſum ſine ullo Sacramentorum inſtrumento gratiam conferre. Unde inquiritur dumtaxat de neceſſitate congruentiæ, ac cuiuſdam ſapientis æconomiæ, videlicet an conſentaneum fuerit, & divinæ providentiæ, & naturæ hominis, ut per quædam externa ſigna ſupernaturale beneficium gratiæ ſuæ hominibus Deus elargiretur.

§. XV.

De fine, ſeu cauſſis, unde conſentaneum fuit Sacramenta inſtitui.

Variæ ſunt rationes, quibus inſinuatur convenientia inſtitutionis Sacramentorum, & 1. eſt, ut erudiremur iuxta conditionem, & exigentiam imbecillitatis ingenii noſtri; quia cum nonniſi per res ſenſu perceptas ad intelligenda ſpiritualia deducamur, ſapienter inſtituta ſunt ſigna ſenſibilia, ſeu Sacramenta, veluti quædam externa documenta, quibus ad cœleſtia erigeremur, ac divinam in noſtras animas virtutem aliquo modo comprehenderemus. 2. ut firmior redderetur fides noſtra; ita ut ſicuti in veteri lege Deus multis, variiſque ſignis promiſſiones ſuas confirmavit, ut firmius eis populus fidem haberet, ſic in lege nova opus fuir, ut Chriſtus Dominus ſigna quædam ſenſibus ſubiecta inſtituendo, quaſi quibuſdam pignoribus, ſe veluti nobis obligatum ſtatueret, atque ita confirmaret ſuas promiſſiones de venia peccatorum danda pœnitentibus, iuſtitia infuſione Spiritus Sancti, & æterna vita iuſtis reddenda. 3. ut per hæc ſacra ſigna, ac eorum uſum,

Digitized by Google

ıſum, veluti per quaſdam viſibiles voces fidem noſtram publice, ideſt in hominum conſpectu profiteremur. 4. ut his tamquam inſtrumentis ad humilitatis exercitia ſanaretur, ac edomaretur mentis noſtræ ſuperbia, lum ſenſibilibus ſignis ſe ſubiicere cogitur, itque ab illis dependeret tamquam neceſſariis mediis, & inſtrumentis ad ſalutem æternam conſequendam. 5. quia ita exigebat externa diſtinctio fidelium, & Eccleſiæ coadunatio, ac ſocietas; nam hiſce ſenſibilibus Religionis ſymbolis fideles ab infidelibus differunt, acſecernuntur, & quibuſdam ſocietatis vinculis inter ſe ipſos coadunantur, ac connectuntur in unum Religionis Chriſtianæ nomen, ut notat S. Auguſt. l. 19. *cont. Fauſt.* cap. 11. *In nullum quippe*, ait S. D. *religionis nomen ſeu verum, ſeu falſum coagulari poſſunt homines, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur*. Tandem eo fine Chriſtus Dominus Sacramenta inſtituit, ut per hæc ſacra Symbola veluti per canales ſanguis illius e cœlo ad nos deflueret, ad producendam in animabus noſtris ſanctificationem, *per quæ* (ut alias notavimus,) dicunt PP. Tridentini ſeſs. 7. *omnis vera iuſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur*. Et hæc fuit præcipua ratio, ſeu cauſſa, & finis inſtitutionis Sacramentorum, quæ idcirco ſic definiuntur: *Sacramentum eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & iuſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet*.

APPENDIX.

De Cœremoniis Sacramentorum, aliiſque Eccleſiæ Ritibus, ſeu de Sacramentalibus.

§. I.

De Cœremoniis Sacramentorum.

Circa vocabuli *cæremoniæ* ſignificationem, profani Scriptores qui de illis agunt, Strabo ſcilicet, Valerius Maximus, Livius apud Voſſium in Etymologico Cæremoniarum, ut habetur in P. Berti, putant derivatum a Cære Thuriſæ oppido, ubi, dum Galli Romam tenuere, aſſervatum putant æternum ignem, commorataſque Veſtales. Hinc Livius l. 7. diſt. appellat Cœrem. *Receptaculum Romanorum ſacrorum*. Scaliger vere deducit Cœremoniam ab antiqua dictione *cœrus*, ideſt *iuſtus*, *bonus*, non ſecus ac ſanctus dicitur a ſanctitate, prudens a prudentia. Hinc non pauci ſcribunt, cœremoniam ſine diphtongo, ſicuti hi etiam, qui hoc nomen a Cerere derivant, ut Philoxenus. S. vero Auguſtinus l. 2. *Retractat.* cap. 37. ac S. Iſidorus l. 6. etymolog. cap. ultim. trahunt hoc vocabulum *cœremonias* a carendo, eo quod obſervantes carent his rebus a quibus abſtinent. Hinc cœremonia erat apud Iudæos carere carne ſuina, vota Nazaræorum aliorumve, qui vino aliarumque rerum ex voto carebant. Repetunt nonnulli e Cœlo l in r commutato, ut in *cæruleus*; ſed Vicecomiti, aliiſve, qui de re hac pertractant, magis arridet etymologia tradita a S. Auguſtino. Verum Cœremoniæ ſunt omnia ſacra; quæ apud Græcos *orgia* vocantur, ut ait laudato loco S. Iſidorus, tametſi *orgia* proprie eſſent ſacra Patris, ideſt Bacchi.

Cœremonia recte definitur: *Actus externus religionis, quid ad honorem Dei, ornatum, & pompam cultus divini, Sacramentorum dignitatem, ac reverentiam ad hominum utilitatem refertur*. Definitio Cœremoniæ. Unde quidquid ad cultum Dei pertinet, generali appellatione dici poteſt cœremonia. Bellarminus l. 2. *de Sacram. in gen.* cap. 29. partitur cœremonias iuxta quatuor genera cauſſarum; Diviſio Cœremoniarum. nam in ſacris actionibus quædam inſtituta ſunt a Chriſto, quædam ab Apoſtolis, quædam ab Eccleſia, quædam etiam a natura indita, ut Cœlum reſpicere, manus tollere, tundere pectus; & hæc diſtinguuntur a cauſſa efficiente, ſeu ab inſtitutore; ea quoque ſi rem vel cauſſam materialem inſpiciamus, aut perſonam ſpectant, aut tempus, aut modum, aut rem ipſam v. g. oleum, panem, aquam, veſtes &c. ... A cauſſa formali dividit laudatus Bellarm. cœremonias in eas quæ vel immediate ſunt Dei cultus, ut Sacrificium, oratio, adoratio, vel ad Dei cultum diſponunt, ut ieiunium, vel cœlibatus; vel divini cultus ſunt inſtrumenta, ut templa, calices, aræ. Sumitur ulterius cœremoniarum partitio ab effectu, vel fine. Nam aliquæ inſtitutæ ſunt ad ſanctificandum hominem, ut Sacramenta, aliquæ ad quoſdam ſpirituales effectus, ut exorciſmus, aquæ luſtralis aſperſio; aliquæ ad ornatum, & myſticam ſignificationem, ut cereorum lumina. Neophitorum veſtis, Sacerdotum, Clericorumque indumenta.

Hic tamen nomine cœremoniarum intelliguntur ritus Eccleſiaſtici inſtituti a Chriſto, vel ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia, ut ſacra decentius, & maiori cum ſolemnitate perſgantur, ita ut cæremonias non Sacramenta, aliaſve res dicamus, ſed modum, ordi-

ordinemque res ſacras decenter, accurate, magnifice, certis ſervatis regulis, rebuſque adhibitis tractandi, atque perficiendi: & quoniam hic agimus de Sacramentis, res poſtulat, ut cœremoniæ quæ ad Sacramenta tum in ſpecie, tum in individuo pertinent, exponantur.

Nota, cæremonias alias præcedere, alias comitari, alias ſubſequi eorumdem Sacramentorum adminiſtrationem; & unaquæque laudem ſuam habet, & utilitatem. Nam quæ præcedunt præparant ad gratiam, quæ comitantur eam clarius exprimunt, ac quaſi oculis ſubiiciunt; quæ vero ſubſequuntur, in ea iam percepta hominem firmius confirmant. Communiori tamen vocabulo cœremoniæ Sacramentorum dicuntur Sacramentalia, quia pertinent ad ritum, ſeu modum miniſtrandi Sacramenta. Quæ autem cœremoniæ ſerventur in unoquoque Sacramento, ſuis in locis tradetur; nunc enim univerſim expendenda ſunt rectitudo inſtitutionis cœremoniarum, utilitas in earumdem uſu, & culpa in ipſarum omiſſione. His adduntur quædam annotationes circa ea, quæ in pluribus, ac fere omnibus functionibus Eccleſiaſticis adhibentur, ut ſunt ſacræ veſtes, clericorum cantus, accenſio cereorum, thurificatio, cum hæc omnia calumnientur, & improbent hæretici, ut ritus ſuperſtitioſos, quibus ſolutis breviter aliqua addentur de Sacramentalibus.

De Eccleſiæ poteſtate inſtituendi cœremonias. Eccleſiam habere poteſtatem inſtituendi cœremonias ſentiunt Catholici omnes, ac probant contra Novatores ex continua perpetua univerſalis Eccleſiæ praxi, & ex aliis monumentis, quæ ſuadent poteſtatem a Deo accepiſſe promovendi exteriorem ipſius cultum, ornandi Sacramenta, inſtruendi fideles, ac eos ad pietatem informandi; ad quæ omnia maxime conferunt cœremoniæ; & eo vel maxime quod alias Eccleſia minorem haberet poteſtatem, quam Sinagoga, quæ novos ritus, ac feſtivitates inſtituere potuit, ut factum fuit in inſtitutione novi diei feſti a Mardocheo Eſth. 9. & alterius tempore Iudith. ut habetur in cap. ultimo Iudith. Evincunt DD. hanc Eccleſiæ poteſtatem ex ipſo Apoſtolo in ſua 1. ad Corinth. 11. ubi pollicetur, ſe ordinaturum in ſuo adventu quæ ad celebrandam Euchariſtiam ſpectant; *Cætera autem cum venero diſponam*, quem in locum S. Auguſt. Epiſt. 54. alias 118. *ad Ianuar.* refert morem miniſtrandi Euchariſtiam ſolis ieiunis, addens inſtitutos eſſe ab Apoſtolis ritus quoſdam toto terrarum orbe ſervandos, cuiuſmodi ſunt annua ſolemnitas Dominicæ paſſionis, reſurrectionis, & ad Cœlum aſcenſionis, & quidquid cuſtoditur ab univerſa, quacumque ſe diffundit, Eccleſia; deinde inquit cit. Pater, etiam poſt Apoſtolorum ætatem quædam inſtituta, quæ *per loca terrarum, regioneſque variantur*, ut Sabbati ieiunium, Euchariſtiæ certis diebus frequentatio. Unde ex S. Auguſt. tria inferuntur contra Sectarios, ſcilicet præter Sacramentorum inſtitutionem quam tradit Scriptura, plura ſaluberime retineri, quæ ad uſum, ac dignitatem pertinent ipſorum Sacramentorum, & ex his quædam eſſe, quæ ubique terrarum ſervat Eccleſia, nec ulla morum diverſitate variantur, & hæc tradita eſſe ab Apoſtolis, idcirco a nemine prorſus violanda; quædam & quamplurima vigere in particularibus tantum Eccleſiis, quæ etſi relate ad univerſam fidelium multitudinem liberas habeant obſervationes, tamen ſervanda ſunt *pro eorum inter quos vivitur, ſocietate*. Hæc autem ſacrarum cœremoniarum inſtitutio comprobatur a Patrum traditione. S. Iuſtinus Martyr proximus temporibus Apoſtolorum meminit in ſua Apolog. 2. multarum cœremoniarum pertinentium ad confectionem, & adminiſtrationem Euchariſtiæ. Tertull. 3. ſæculo ſcribit l. *de Baptiſm.* ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem dari baptizatis lac, & mel ad deguſtandum conſueviſſe. Sic S. Cyrillus Hieroſolymit. Sacramentale S. Gregorii, S. Iſidor. Alcuinus, Rabanus, Amalarius, & alii mentionem faciunt rituum, qui nunc etiam in Eccleſia ſervantur. Ex his omnibus manifeſtiſſime patet, quod ſi uſus cœremoniarum opponitur verbo Dei, ſicuti garriunt Novatores, Religio Chriſtiana defecit in ipſis incunabulis, Eccleſia Catholica nunquam extitit niſi adultera, 55. quoque Patres perierunt in eius ſinu; quod quam abſurdum ſit, nemo non videt.

Tantum enim abeſt, ut cœremoniæ, ſeu ritus, quibus in divinis officiis, & Sacramentorum adminiſtratione utitur Eccleſia, opponantur verbo Dei, quin etiam minime probat Eccleſia cœremonias, quæ verbo Dei opponuntur, nec in eis quibus utitur, agnoſcit præcipuum cultum, qui Deo impendi debeat; item fatetur ab his non pendere efficaciam Sacramentorum, ac eas vim non habere ſanctificandi, ſicuti Sacramenta.

Eccleſiam vero in cœremoniarum inſtitutione provide, ac prudenter ſe geſſiſſe, conſtat ex Trident. Concil. ſeſs. 22. cap. 5. ex quo docemur, exterioribus ritibus commendari divinorum myſteriorum maieſtatem, menteſque fidelium per viſibilia Religionis

&

& pietatis ſigna excitari ad altiſſimarum rerum contemplationem. Hic enim finis eſt, quare Eccleſia cœremonias inſtituit. Hinc clare ſequitur, ſacras cæremonias inſtitutas fuiſſe ob myſticam & ſymbolicam ſignificationem, non ut excogitavit Claudius de Vert Monachus Cluniacenſis, ob miniſtrorum commodum, regionumque conſuetudinem.

Et equidem In Eccleſiaſticis cœremoniis attendendam eſſe ſpiritualem ſignificationem, patet ex divinæ conſilio providentiæ, quo inſpirat Deus ſuæ Eccleſiæ quomodo colendus ſit non ſolum ad ſui gloriam, ſed ad noſtram quoque maximam utilitatem. Hinc in veteri Teſtamento non ſine occultæ rei ſignificatione inſpiravit Abeli, ut ei offerret primogenita gregis, horumque adipes, ut docet S. Auguſt. Epiſt. 49. alias 102. Sic præſcripſit Abrahamo Gen. 15. victimarum conditionem eaſque immolandi ritus, iubens ſcilicet vacam triennem, capram trimam &c. Sic Iacob ut erigeret lapidem in titulum, ac ſuper hunc oleum funderet quod ait S. Auguſt. l. 16. *de Civit. Dei* cap. 32. non fuit dumtaxat monumentum viſionis, ſed propheticum ſignum, *pietatiſque ac ſpiritualis pinguedinis argumentum*. Inſuper in lege ſcripta cœremoniarum omnium Auctor fuit, ut demonſtratur in lib. Levitici. Nec ſine myſterio Chriſtus dedit Apoſtolis Spiritum ſanctum inſufflando, demonſtrans tali ſigno, quod ille a ſe quoque procedat, ut docent S. Auguſt. tract. 121. in Ioann. & Cyrillus Alexandr. l. 12. cap. 5. Incenſum ſymbolum eſſe orationis, altare throni Dei, candidum byſſinum iuſtificationis, & gratiæ habemus in Apocalypſi. Ex his igitur conſtat ſacrarum cœremoniarum inſtitutionem ſymbolicam eſſe, myſticam & ſpiritualem, ac proinde nobis utilem, dum nobis inſerviunt ad conciliandam maieſtatem, & reverentiam myſteriis noſtræ Religionis, ad promovendam in nobis pietatem, ac excitandam nutriendamque fidem noſtram, utpote quæ notitiam myſteriorum veluti ſub oculis nobis ponunt, ſubiiciuntque, denique ad excitandum in corde tenerum quemdam Religionis & amoris Dei affectum. Iam enim a noſtro captu ſemota ſunt fidei myſteria, ut niſi indumentis quibuſdam veluti circumveſtita ob oculos ponantur, mentis attentionem facile fugiant.

Sacras cæremonias ab Eccleſia præſcriptas ſedulo obſervandas eſſe, nec ſine culpa omitti poſſe definivit Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 13. *Si quis dixerit receptos, & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe; anathema ſit*. Et equidem in veteri lege cæremoniarum tranſgreſſio crimen erat adeo grave, ut Nadab, & Abiud, qui adhibuere ignem non ſacrum in oblationibus Levit. 10. a cæleſti igne extincti fuerint, & ſic de aliis alibi habetur. Cum igitur non minori ſanctitate polleant legis novæ myſteria, ritus eorum contemnere, ac omittere eſt iniuria gravis Altiſſimo, quæ vindicem eius indignationem valde irritat.

Advertendum tamen Tridentinum Concil. conſulto inſtitiſſe obſervantiam ſacrorum rituum in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione, quia urgente neceſſitate ſufficit, ſi materia, & forma Sacramentorum adhibeantur. Quocirca ſoluta remanet calumnia hæreticorum, qui eo nomine cæremonias aſpernantur, quod ita a nobis ſerventur, quaſi exiſtimemus gratiam illis promoveri, & iuſtificationem; hunc enim effectum tribuimus Sacramentis, non autem ritibus, quibus ea conficiuntur, & adminiſtrantur. Imo aſſerimus inſuper, non omnem rituum tranſgreſſionem eſſe lethalem culpam, ſed ſecundum cæremoniarum conditionem. Nam ſi ſint magni momenti, ut eſſent in celebratione Miſſæ ſacræ veſtes, lumina, oblatio hoſtiæ, aut calicis elevatio, & adoratio aliaque id genus, certe dicimus abſque gravi peccato prætermitti hæc non poſſe, niſi excuſaret gravis inadvertentia. Si vero accidentales ſint, & levis momenti, ut non abluere manus ante ſacrificium, ac ſimilia, niſi adſit contemptus, & ſcandalum, erit tantum levis culpa.

§. II.

De iis quæ in ritibus ſolemnioribus Eccleſiæ ſolent adhiberi.

Eccleſia in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione, & divini actione ſacrificii primum utitur veſtibus ſacris, & bene, & religioni conſonum, quidquid contra talem uſum garriant hæretici. Nam & Aaron, ut habemus in ſacris Scripturis ex divina ordinatione Exodi 28. ad divina illorum temporum miniſteria, in gloriam & decorem in veſte ſancta acceſſit, & Samuel electus eſt a Deo ut deſerviret in templo accinctus Ephod lineo ex 1. Reg. 2. quo in ſuo

ſuo miniſterio utebantur etiam Levitæ; & talis ritus ſacrarum veſtium in ſacris peragendis antiquus eſt in Eccleſia, ut teſtatur Nazianzen. Orat. 2. ubi meminit Sacerdotalis ſtolæ, & vetuſtiſſimi canones Concil. Laodiceni, qui præſcribunt Clericis, ne ſine orario pſallant, vel legant in Eccleſia; & ſic habetur etiam ex aliis antiquioribus monumentis, ex quibus habetur S. Ioannem Evangeliſt. Laminum ſeu vitam Pontificalem adhibuiſſe, ut ex Polycrate Epheſino refert Euſebius hiſtor. Eccl. cap. 24. & Stephanus, qui ſedit in Pontificatu tertio Eccleſiæ ſæculo, conſtituit, ut in Eccleſia Sacerdotes & Levitæ ſacris veſtibus uterentur. Et ſic quamplurima alia habentur documenta, quæ brevitatis gratia omittuntur.

Uſum habet Eccleſia in ritibus ſolemnioribus, & Eccleſiaſticis officiis pſalmodiæ, & cantus, & imprudenter hunc arguunt ſectarii; & hic eſt antiquiſſimus, & valde conveniens, ac confert ad Dei cultum; quia ex S. Auguſt. Pſalmi ſunt linguæ, qua univerſalis Eccleſia laudes Dei celebrat, ac nos excitant ad laudandum Deum *in ſono tubæ, in pſalterio, & cithara, in cordis & organo*, ut dicitur in Pſalm. 150. Et ſi uſus pſalmodiæ & cantus damnabilis eſſet in Eccleſia, David quoque damnandus eſſet, nec non Levitæ, & innumeri cantores Templi Salomonis, qui pſalmis, & canticis Deum laudarunt. Hinc Apoſtolus hortatur Epheſior. 5. ut laudes Deo canamus in pſalmis, & hymnis: *Loquentes vobis metipſis in pſalmis, & hymnis, & in canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino*. In quem locum ait S. P. Hieronymus; *Sic cantet ſervus Chriſti, ut non vox canentis, ſed verba placeant, quæ leguntur*.

De initio uſus Organorum in Eccleſia.

Organa tamen, & cætera muſica inſtrumenta primis Eccleſiæ ſæculis in Eccleſia videntur incognita. Fideles quippe in cryptis, & ſpeluncis ſine multo apparatu ſacra celebrabant. Primus Organorum uſus communius tribuitur tempori Vitaliani Papæ circa annum Domini 660. ut refert Platina, Pignatelli; & Fortunatus Pictavienſis meminit uſus organorum ſæculo 6. l. 2. can. 1. Alii tamen ut Croſolius in Iſtagog. vult cæpiſſe audiri organa tempore Damaſi Papæ, qui creatus fuit Pontifex ann. 367. Verum uſus organorum non fuit univerſaliter receptus, quin ſæculo 13. organa viſa ſunt S. Thomæ parum congruentia Chriſtianorum moribus, ut habet in ſua Sum. 22. q. 19. art. 2. ad 4. Hinc nonnullæ congregationes Regulares ſtrictioris obſervantiæ organa & alia inſtrumenta muſica non admittunt in ſuis Oratoriis, qui ritus ſervatur etiam in Capella Papali, & in Metropolitana Lugdunenſi, in utraque quarum canitur ſine organi uſu. Poſterioribus vero ſæculis Concilia tolerarunt, ſolumque prohibuerunt, ne profana ſacris admiſceantur, quales ſunt concentus, qui voluptatem magis quam devotionem provocant, & omnia inſtrumenta, quæ ad choreas, ludos theatrales, & mundanas ſæculi pompas inſervire conſueverunt. Cantus ad pietatem ſovendam ſemper fuit in uſu apud Chriſtianos, ut colligi poteſt ex Tertull. qui cap. 2. Apologet. refert Plinium Iuniorem ad Traianum retuliſſe, quod inquirens in mores Chriſtianorum nihil de his compererit præter obſtinationem non ſacrificandi, & cœtus antelucanos ad canendum Deo. Quam vero efficax ſit cantus in divinis officiis adhibitus, expertus eſt S. Auguſt. ut refert in Confeſſionibus ſuis, ubi ſic Deum alloquitur; *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis: ſuavibus ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter*. Quantum vero diligenter cavenda ſit ſenſuum delectatio quæ mentem deprimit, monet idem S. D. l. 10. Confeſſ. cap. 33.

Cantus vero ac alii ritus, ut ſapienter, ac prudenter Eccleſia inſtituit, in latino idiomate celebrandi ſunt, exceptis locis, quibus viſum eſt antiquitus poſſe adhiberi maternam, ac vernaculam eorum linguam, ut contingit apud Græcos, & Illiricos, qui in divinis officiis proprio utuntur idiomate, utpote quod non minus, quam latinum decori ſacrorum conveniat. Unde immerito nos de tali uſu inculpant Novatores. Nec una ratio movit Eccleſiam, ut ſola apud nos latina lingua Sacramenta adminiſtrarentur, aliaque ſacra celebrarentur. Et primum quia ita congruit Eccleſiæ unitati, quæ exigit, ut ad Romanam Eccleſiam cæterarum caput, & Magiſtram venientibus eadem forma, a communiori idiomate ſocietatis ſymbola præbeantur, alias tot adhibendæ eſſent linguæ, quot ſunt Eccleſiæ membra, quod certe non ſervaret unionis vinculum, ſed potius confuſionem pareret, ut monet Apoſtolus 1. ad Corinth. Igitur valde accommoda eſt lingua latina, utpoteque in toto occidente a pluribus ediſcitur, vernacula vero vix a quocumque extraneo; imo in eodem Regno ac Provincia, ut in Gallia, diverſa ſunt idiomata, Pariſienſium nempe, Aquitanorum, Avernorum &c. Inſuper in quacumque lingua decurſu temporis, incurſione barbarorum, populorumque mixtione frequen-

quenter occurrit mutatio; ex quo ſequitur quod plura verba, & nomina fiant obſoleta, quæ proinde reddunt ſermonem barbarum, & contemptibilem, ſicque ſi noſtra myſteria illo idiomate celebrarentur, contemptui eſſent expoſita. Item hoc probat Eccleſiæ praxis; quia & Græci uno ſemper in ſuis Liturgiis uſi ſunt idiomate, licet ipſi pro regionum varietate variis dialectis loquantur, & in præſenti ſaltem popularis plurimum differt a litterali; & latini pariter nunquam latinam linguam deſeruere irrumpentibus in Latium Barbaris, & adolente lingua itala & ad venuſtatem tandem qua nunc pollet perducta. Imo hæc eſt praxis ipſorummet Novatorum, ac proinde in ipſos vertitur calumnia, utpote qui frequenter & ipſi conventus religioſos ſuæ ſectæ, tametſi ut plurimum lingua ignota celebrentur. Galli Calviniſtæ dum peregrinantur in Germania & Anglia, conveniunt cum Gallis, & Germanis ad divina officia, quamvis lingua illis magis ignota quam latina perſolvantur. Iniuſte igitur inculpant Eccleſiam, quod latina lingua celebremus noſtra myſteria, lingua latina pluribus impervia. Non intelligunt equidem idiotæ & rudes quid dicatur in Evangeliis, Epiſtolis, Pſalmis, aliiſque ſacris, dum a Sacerdotibus inter ſacra peragenda leguntur; ſed habent in Eccleſia Paſtores & Parochos myſteria exponentes, ut mandavit S. Tridentina Synod. ſeſſ. 22. cap. 8. & abſque eorum interpretatione, ſeu explicatione, ſacræ litteræ lingua vernacula prolatæ adhuc ignaris eſſent obſcuriſſimæ, pluribuſque ſacra myſteria non aſſequentibus offendiculo: præſtat ergo unam latinam linguam cum Sacerdotum explicatione adhibere, quam vernaculas multas, ait P. Berti, cum privati ſpiritus præſumptione.

Utitur Eccleſia Candelis, ſeu cereis accenſis in divinorum officiorum celebratione, utpote ad horum condecentiam valde congruis. Si ad veterem legem convertamur, inveniuntur lucernæ ardentes in Sanctuario, ad quem finem ordinavit Deus, ut fabricaretur candelabrum cum ſeptem lucernis, quæ ſemper arderent in Sanctuario, ut Exod. 25. Levit. 24. 3. Reg. 8. In iis autem, quæ ad divinum cultum pertinent, eadem ſemper habenda eſt ratio. Cereorum autem, & Lampadarum uſum in Eccleſia Chriſti ex variis monumentis colligitur antiquiſſimum eſſe, cum plurima de re hac habeantur Patrum teſtimonia, ut Nazianzen. Orat. 4. ſeu invectiva 2. in Iulianum, S. P. Hieronym. l. 2. *adverſus Vigilantium*. Nec ſolummodo ad expellendas nocturnas tenebras uſum luminum induxit Eccleſia in divinorum Officiorum celebratione, ſed præcipue in typum ac ſymbolum ſpiritualis luminis, ut notat S. P. Hieronymus. Hinc deſignati fuerunt Clerici in Eccleſia, dicti Acolyti, quod idem ſonat ac ceroferarii, quorum munus eſſet lumina, ac cereos accendere in Eccleſia, ut conſtat ex Concil. Carthagin. IV. celebrato anno 398. can. 6. ubi eorum ordinatio deſcribitur ab Archidiacono, *accipiat ceroferarium cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari*, & hoc habetur in Sacramentar. Gregorii de Acolyti ordinatione, ex Innocent. III. Alcuino, Rabano, Ruperto, & aliis, & ad hunc finem præparata ſemper fuere candelabra in Eccleſia.

De uſu Thuris in divinis celebrandis Officiis.

Thuris quoque uſum amplexa eſt Eccleſia in ſacrorum celebratione; & hoc uſa eſt ſuo tempore etiam Synagoga, ut non unum habetur teſtimonium in veteri teſtamento, præcipue in Exodo & alibi. Nec tamen eo utitur Eccleſia, ut cæremonia iudaica, nam omnes cum illo ſtatu legis expirarunt, ſed quatenus eſt ſymbolum orationis Pſam. 140. earumque virtutum, quarum gratia *Chriſti bonus odor ſumus* ex 2. ad Corinth. 2. Perantiquus eſt in Eccleſia uſus thus adolendi, ut qui pertractant de rebus Liturgicis, oſtendunt ex can. 3. inter Apoſtolicos, ex Auctore operis *de Eccleſiaſtica Hyerarch.* cap. 3. & actibus Concil. Chalcedon. Hoc item demonſtrant antiqua thuribilia; unde ex his colligitur antiquiſſimus in Eccleſia uſus thurificandi. Anaſthaſius memorat inter dona a Conſtantino Eccleſiæ Lateranenſi collata duo thimiamaria ex auro puriſſimo ponderis triginta librarum, & donum aromaticum ante altaria annis ſingulis libr. 150. aliud quoque thuribulum memorat donatum ab eodem Conſtantino Baſilicæ S. Petri ex auro puriſſimo gemmis ornatum.

Nec minimum officit quod opponunt Novatores ex cap. 1. Iſaiæ, ubi Dominus ait; *incenſum abominatio eſt mihi*; ſiquidem per Iſaiam teſtatur Dominus, ſe oblationes, & ſacrificia aſpernari, ſi manus offerentium plenæ ſint ſanguine, nec quieſcant perverſe agere, ut ibidem dicit Propheta, & explicat Nazianzen. in 3. Orat. *contra Iulianum*. Reſtat nunc, ut aliquid dicamus de Sacramentalibus.

§. III.

§. III.

De Sacramentalibus.

Quid nomine Sacramentalium.

Sacramentalia ſic appellantur, vel ex eo quod ſoleant adhiberi ad Sacramenta efficienda, vel miniſtranda, ut efformatio Crucis, benedictiones, Orationes Eccleſiæ; vel ex eo quod aliqualem ſequantur & imitentur virtutem Sacramentorum, ut aſperſio aquæ luſtralis, uſus rerum benedictarum ab Eccleſia, Confeſſio generalis, tunſio peccatoris, & huiuſmodi; & communiter ſex enumerantur, ad quæ cætera reducuntur, & continentur ſequenti verſiculo.

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Orans indicat orationem dominicam, quæ eſt quotidiana oratio Fidelium, nempe *Pater noſter &c.* cap. *de quotidianis de Penit.* diſt. 3. *Tinctus* ſignificat aſperſionem aquæ luſtralis, de qua habetur in cap. *Aquam de conſecr. diſt.* 3. Huc reducitur unctio cæremonialis in Regem, & ſimiles unctiones: item impoſitio cineris benedicti. *Edens* intelligunt aliqui dignam S. Euchariſtiæ, imo cuiuslibet Sacramenti ſuſceptionem. Verum hoc non tam videtur ſpectare ad Sacramentalia, quam Sacramenta, & hinc alii per ly *Edens* intelligunt devotam manducationem panis benedicti, & huiuſmodi. *Confeſſus*, qui & exomologeſis ab antiquis dici ſolet, intelligitur confeſſio, quæ publice fit die Iovis in cœna Domini, & etiam, ut communiter, Confeſſio generalis, quæ in hunc finem ab Eccleſia eſt inſtituta, ut dicatur in principio Miſſæ, atque ſub Prima, & Completorio. *Dans* denotat elargitionem eleemoſynæ. *Benedicens* deſignat benedictionem Epiſcopalem, vel Abbatis conſecrati alios benedicens.

Cum autem Oratio Dominica, & elargitio eleemoſinæ non ſint ritus ab Eccleſia inſtituti, ſed opera moralia, de his non eſt hic differendi locus.

Quomodo Sacramentalia gratiam producant.

Sacramentalia producunt quidem ſanctitatem, ſed non ex opere operato; nam talis vis, & efficacia propria eſt Sacramentorum, quæ Eccleſia inſtituere nequit, ut iam patet ex dictis. Sacramentalia vim habent ex precibus Eccleſiæ impetrandi gratias actuales quibus applicantur. Si enim privati per oleum, aquam, panem, &c. a ſe benedicta ſalutares effectus aliis obtinuerunt, ut de plurimis Sanctis fidem facit Eccleſiaſtica Hiſtoria, a fortiori ipſamet Eccleſia, in qua Sancti omnes continentur, præſtare id poterit. Fideles ergo precibus Eccleſiæ adiuti dum pie illa Sacramentalia adhibent, facilius doloris & contritionis, ſive amoris Divini motum concipiunt, quo vel delent peccata, vel in gratia creſcunt; idcirco ſequitur, Sacramentalia nonniſi ex opere operantis, & remote ſanctitatem producere.

Uſus Sacramentalium antiquiſſimus.

Uſus Sacramentalium antiquiſſimus eſt. Et quoad benedictiones, in lege etiam naturæ Sacerdos Melchiſedech benedixit Abraham Gen. 14. In lege ſcripta præſcripſit Deus Numer. 6. Sacerdotibus Aaronicis formam benedicendi Iſraelitis, ac promiſit ſe eorum benedictiones confirmaturum; *Et ego benedicam eis*. In nova lege ritus Ordinationis Presbiterorum oſtendit eis competere poteſtatem benedicendi, eamque Eccleſia precibus ſuis, & ſuffragiis commendat his verbis; *Conſecrentur manus iſtæ, ut quidquid benedixerint, benedicatur*. In Concil. Agathenſi initio 6. Sæculi prohibentur Presbyteri benedicere plebem, & pœnitentes, ut poteſtas illa propria conſervetur Epiſcopis. A tempore Apoſtolorum ad hæc uſque tempora benedixerunt Presbyteri tum Latini tum Græci, eorumque benedictiones nonnunquam Deus miraculis confirmavit; & Imperatores ipſi pro magno beneficio habuerunt ſi ab Epiſcopis benedicerentur.

De benedictione aquæ luſtralis.

Inter ea, quæ benedicuntur, eſt aqua luſtralis; & huius benedictio duplex eſt tum apud Latinos, tum apud Græcos; Solemnior quæ in Eccleſia latina celebratur pridie Paſcha, & Pentecoſtes ad fontem baptiſmalem; apud Græcos vero in feſto Epiphaniæ, quæ ab ipſis Theophania dicitur; alia minus ſolemnis, quæ fit ab utraque Eccleſia Orientali ſcilicet, & Occidentali diebus Dominicis. Nequit dubitari quin prior benedictio fontis baptiſmalis ſit traditionis Apoſtolicæ, cum antiquiores PP. illius meminerint. De tempore vero inſtitutionis alterius benedictionis res eſt valde incerta, nec conveniunt inter ſe Theologi. Alii inſtitutam volunt a S Alexandro, qui vixit primo ſæculo, ſeditque initio ſecundi, & ex eius decretali ſuam confirmant ſententiam. Verum Decretales 4. ſæculo antiquiores, tamquam ſuppoſitæ a quodam Iſidoro Mercatore, quia primus huiuſmodi Decretales Pontificum Epiſt. in lucem edidit, communiter reiiciuntur. Bellarminus l. 3. *de cultu Sanctorum* cap. 7. contendit in ea Decretali uſum aquæ benedictæ tantum præcipi, inſtitutum vero eſſe ab Apoſtolis. Sed dato etiam quod Eccleſia, non Apoſtoli,

bene-

Digitized by Google

benedictionem hanc inſtituerit, ſatis eſt illam eſſe antiquiſſimam, ut conſtat ex Sacramentariis Latinis, & Græcorum Euchologiis. Ex hac aqua benedicta ſive ſit una, ſive altera, ſemper mos fuit in univerſa Eccleſia tum latina, tum græca, ut fideles ex aqua ſive ſolemniori, ſive minus ſolemni ritu benedicta ſecum domum deferrent ad aſpergendos cibos, agros, pecora, eorumque ſtabula, & ad arcendas a propriis domiciliis Dæmonum infeſtationes, ſicuti conſtat, & ex Græcorum Euchologiis & ex ordine Romano, edito a P. Mabillonio, & ex aliis veteribus monumentis, cum hac ſola differentia, quod alibi ut in l. 7. *Capitularium* præſcribitur, ut aqua ſolemnius benedicta extrahatur, antequam infundatur Chriſma; alibi vero, ut in ordine Romano, poſt ipſius Chriſmatis infuſionem. Uſus aſpergendi aqua luſtrali eſt antiquiſſimus, nec iam inductus in Eccleſiam iuxta ſenſum Ethnicorum, qui pariter ſuam luſtralem adhibuere, cum minime credamus, ſicuti ipſi opinabantur, huiuſcemodi aquæ luſtratione caſtimoniam præſtari; ſed hoc agimus, quia ſymbolum eſt interioris ablutionis, & per Eccleſiæ preces ſanctificata valet ad expellendos Dæmones, ſupernamque obtinendam benedictionem. Viri eruditiſſimi demonſtrant, iſtam aſperſionem eſſe inſtitutionis Apoſtolicæ, ut Baronius ad annum Chriſti 132. n. 3. Card. Bona de reb. Liturgic. l. 1. cap. 20. Bellarm. l. 3. de cultu Sanctor. cap. 7. Blanchinus, & alii hic relati a P. Berti, eo quia deprehenditur, hanc aſperſionem ſemper in Eccleſia obtinuiſſe, nec prima inſtitutio invenitur. Nam de huius aquæ aſperſione mentionem faciunt Sineſius Epiſt. 121. apud Menandrum in Sacramentarium Gregorii, Theodoret. l. 5. cap. 21. Hiſtor. Eccleſiaſt. ubi etiam refert a Marcello Apamænorum Epiſcopo aſperſione aquæ benedictæ fugaſſe Dæmones; imo plura huiuſce generis mira collegerunt Altacerra, Pettaſancta, Greſſerus, quos hic refert laudatus P. Berti; qui in his obſervat, neminem iſtorum commemorare ritum illum tanquam novum, & ſua ætate receptum; & exinde concludit, ad nos ex Apoſtolorum traditione deveniſſe. Habert.

Eulogiarum, ſeu panis benedicti frequens mentio habetur apud Scriptores IV. Sæcul. & plures afferunt decretum Miltiadis qui præcepit, ut oblationes conſecratæ diſtribuerentur per Eccleſias, eas *fermentum* appellans. Conſueverunt olim fideles in ſignum, ſeu ſymbolum communionis ſibi invicem mittere Eulogias, ut conſtat ex can. 14. Concil. Laodicenſis, quo inhibetur, ne ſancta inſtar Eulogiarum in feſto Paſchæ ad alias Parochias tranſmittantur; & can. 32. vetat Eulogias ab hæreticis accipere. Panis benedicti, ſeu Eulogiarum meminit S. Auguſt. l. 2. *de peccator. merit.* cap. 26. Paulinus Epiſc. Nolanus in fine epiſt. 25. inter Auguſtinianas. In Concil. Aquiſgranenſi cap. 64. anno 817. ſancitum eſt pro Monachis, ut Eulogiæ fratribus, qui eo die non communicaverint, per manus Sacerdotis in Refectorio diſtribuerentur; quod etiam Hincmarus præſtandum ſancivit omnibus laicis. Uſus Eulogiarum adhuc viget in Eccleſia Græca, apud quos comeduntur a ieiunis non communicantibus, ut Euchariſtiæ privationem utcumque compenſent: Eulogiæ etenim ſunt in ſupplementum Euchariſtiæ, quæ dicebatur *fermentum*; quia ſicuti fermentum totam maſſam pervadit, ſic Euchariſtia Fidelibus diſtributa omnes in unum copulat, ac propterea in ſignum unionis miniſterio Acolythorum ad Presbiteros urbanos mittebatur, ut conſtat ex epiſt. Innocent. I. ad Decentium Epiſcopum.

Verum refrigeſcente fidelium devotione obſolevit uſus domum Euchariſtiæ aſportandæ, quin Concil. Laodicenſe illud prohibuit can. 14. Quocirca uſus Eulogiarum, ſive panis benedicti ſubſtitutus eſt tum apud Græcos, tum apud Latinos; unde cum ſpecialem benedictionem accipiat ad ſpirituales effectus, ſervandamque unionem, quæ inter fideles debet eſſe maxima, præbendus non eſt animalibus, pro quorum pabulis alias benedictiones inſtituit Eccleſia; imo nonniſi religioſa mente tanquam quid ſacramentale ſumendus eſt, & non miſcendus cum prophanis cibis, cauteque ſervandus, ne pereat iuxta decretum Hincmari; *Micas* (inquit) *ne incaute defluant, accipiat* (Presbyter) *panem illum ſanctum fidelibus diſtribuens*.

Sacramentale, ſeu ritus Confeſſionis publicæ, ſed generatim in cœna Domini, & continuo percipiendi a Sacerdote, vel ab Epiſcopo ſi adſit, benedictionem, quæ vulgo dicitur *abſolutio*, eſt umbra, & repræſentatio ritus antiquioris, ſecundum quam publici Pœnitentes initio Quadrageſimæ e templo eiecti hac die reconciliabantur, palamque abſolutionis beneficium perfecta iam pœnitentia conſequebantur. Nihil profecto eſt in hac cæremonia, licet non admodum antiqua, quod merito reprehendere poſſint Sectarii: in hac enim Fideles palam ſe confitentur peccatores, a Deo veniam petunt, pro

pro illis Eccleſia ſuis ſuffragiis intercedit, eoſque per Miniſtrum ſuum benedicit; quæ omnia plane religionem ſapiunt, & impellunt ad pœnitentiam, ſanctioriſque vitæ conſilium.

De benedictione Cinerum.

Sunt aliæ benedictiones, quas Hugo Victorinus connumerat inter Sacramentalia; unde de his quoque breviter aliquid dicere cenſui, ac primo de benedictione Cinerum, quibus Cineribus benedictis ſignificatur contritio, humilitas, pœnitentia. Hinc ut Deum placatum redderent David, Eſther, Iudith, Ninivitæ, cinere ſe conſperſerunt; cinere excitatur mortis recordatio, unde dixit Rupertus l. 4. *de Divinis Offic.* cap. 10. *Cinere capita noſtra aſpergimus, ut noſtra nobis calamitas ad memoriam revocetur*; idcirco in aſpergendis Fidelium frontibus ſacris cineribus die Cinerum, futuram reſolutionem in primævam pulverem, ſeu cinerem per eorum mortem ipſis in mentem revocat Sacerdos; *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Hæc conſuetudo aſpergendi cineribus capita Fidelium die Cinerum orta eſt ex antiquo ritu cinere aſpergendi tali die Pœnitentes, qui ritus evaſit poſtea communis omnibus, quod confirmatur can. 63. Concil. Agathenſis, quod iubet, ut initio Quadrageſimæ recipiantur cinerum conſperſiones.

De benedictione Palmarum.

Alter ritus in Eccleſia habetur benedictionis Palmarum, quæ fit in ultima Dominica Quadrageſimæ, quæ ideo dicitur *Dominica palmarum*, & hic ritus eſt antiquiſſimus, nec alias ab 8. tantum ſæculo, ut ſcribit P. Martene cap. 20. de Antiq. Eccleſ. diſciplin. ut viri docti obſervarunt ex Sacramentario Gregorii, eiuſque per antiquo codice Reginæ Svecorum, in quo mentio fit huius cæremoniæ, nec non ex vetuſtiſſimo Calendario edito ab ipſo Martene volum. 8. Anecd. & eiuſdem iudicio ante quintum ſæculum exarato, ubi pag. 72. notatur *Dominica in Palmis, & Statio ad S. Ioannem in Lateranis.* Multa profecto continet myſteria hæc cæremonia benedictionis Palmarum; primum quorum eſt triumphalis ingreſſus Chriſti Domini Salvatoris noſtri in Ieroſolymam, ut habetur cap. 21. Matthæi; alterum pacis, & gratiæ, ad quam dominica Paſcha præcedente pœnitentes & baptizandi feſtinabant; quare illa dies in ordine Romano appellata eſt *Dominica indulgentiæ*, & apud Alcuinum alioſve *Paſcha competentium.* Illius triumphi Salvatoris ſunt palmæ, huius vero pacis rami olivarum. Iſidorus l. 17. Etymolog. cap. appellat oleam *pacis inſigne*, ut figuratur in ramuſculo huius arboris quem columba portavit in arcam, ut habetur Geneſeos cap. 8.

De benedictione Cerei Paſchalis.

Ritum inſuper habet Eccleſia benedicendi Cereum Paſchalem, quam cæremoniam quoque commemorat Hugo Victorinus. Hanc ſtatutam a Zoſimo electo ad Pontificatum anno 417. volunt Sigebertus in Chronic. Leo Oſtienſ. l. 3. Chron. Caſſin. cap. 31. & qui de Eccleſiæ ritibus ſcripſere, Amalarius, Rupertus, aliive. Obſervat tamen Baronius ad ann. 418. n. 17. & cum ipſo permulti alii, benedictionem Cerei Paſchalis Zoſimo antiquiorem eſſe in Eccleſia. Etenim Anaſtaſius, & liber Pontifical. tradunt, Zoſimum ſtatuiſſe, ut Cereus qui accendi tantum ſolebat in principalioribus Baſilicis, benediceretur in ſingulis quoque Parochiis. Accenditur autem Cereus Paſchalis ob myſterium Reſurrectionis Chriſti, ſicuti habetur cap. 9. Concil. Toletani IV. necnon ob Evangelicæ fidei, & gratiæ ſplendorem.

De benedictione Cereorum qui vulgo appellantur Agnus Dei per ſummum Pontificem.

Ritus quoque viget in Eccleſia conſecrandi, ſeu benedicendi per Sum. Pontificem cereas imagines, quæ vulgo appellantur *Agnus Dei*, eo quod ſupra tali cera imprimitur figura agni. Improbe obmurmurant contra hunc ritum quoque Sectarii, inter quos Hoſpinianus, & Apoſtata Vergerius, quorum primus ait in Apophoretis derivaſſe a ſigillariis, quæ ſibi invicem mittebant Romani in Saturnaliorum Feſto: alter nauſeam ſentit, quia Romanus Pontifex pronunciat, coram cum agno impreſſo (inquit ille tom. 1. in fine) delere peccata *ut ſanguinem Chriſti*. Agit de ritu ceras conſecrandi Panvinus, in quo refutant doctiſſimi recentiores, quod ait, invaluiſſe ritum hunc poſtquam deſiit uſus adminiſtrandi in Paſchate ſolemnem Baptiſmum, ac proinde poſt IX. ſæculum. Sed videtur P. Berti, Panvinus aſſerere, quod remanſit ritus iſte ſublato antiquiori, quo baptizatis dabatur *cera candidiſſima cum imagine agni, confecta ex Chriſmate, oleo Sancto, cereis paſchalibus*; & de ſolemni ritu benedictionis pertractare, non de antiquiori inſtitutione, quæ ſaltem ſæculo V. vigebat: quod comprobandum protulit olim Vincentius Bonardus in Opuſcul. Itala lingua conſcripto pag. 32. per ceram Sacram, ſive *Agnum Dei* repertam anno 1544. in Sarcophago Mariæ Auguſtæ Coniugis Imperatoris Honorii, quæ e vivis deceſſit circa medium V. Sæculum. Et hoc argumento utitur etiam Benedictus XIV. feliciſſimæ recordationis in abſolutiſſimo opere de canonizatione SS. tom. 4. part. 2.

cap.

cap. 20. n. 12. His ergo agnis abolita eſt, non confirmata iuxta Baronium, ſuperſtitio Gentilium, amuleta, bullaſque geſtantium. Vergerii vero falſiſſima eſt calumnia. Agnos enim, de quibus agitur, ſymbolum eſſe Chriſti qui nos proprio redemit ſanguine, recte ait Rom. Pontifex, qui hanc ceram conſecrat, benedicit, & diſpenſat; & omnes Catholici aſſerunt ſymbolum eſſe Chriſti, qui nos proprio Sanguine redemit; ac agnis iiſdem virtutem ſanctificandi minime tribuimus, non ſolum meritoriam illam ac ſummam, quæ eſt in Chriſti morte, ſed nec inſtrumentalem, quæ propugnatur in Sacramentis. Hi Agni Dei benedici ſolent ſolemniter a Sum. Pontifice pontificaliter induto variis Cæremoniis primo anno ſui Pontificatus infra octavam Paſchæ, conſecrantur autem in eorum benedictione oleo ſacro, & Chriſmate. Gregorius XIII. circa hos agnos edidit Conſtitutionem incipientem *Omni certe*, in qua ſub pœna Excommunicationis nemini reſervatæ omnes cuiuſcumque gradus, & conditionis afficientis prohibet, ne ſimiles Agni Dei inaurentur, pingantur ullo colore, nullove modo venales fiant ratione benedictionis, ſed ſolummodo ob valorem techæ in qua includuntur, vel ratione tantummodo ceræ, ex qua ſunt conſtructi. Illicitum eſt pariter eos liquefacere cum alia cera, ut ſic poſſint multiplicari, niſi ad hoc habeatur ſpeciale privilegium, quod conceſſum eſt Monachis S. Mariæ Tulienſis, ut tamen ipſi ſoli, & non alii renovare poſſint Agnos Dei. Tangere ſeu contrectare Agnos Dei non licet niſi Clericis in ſacris conſtitutis, ut colligitur ex cap. *Sacratas* diſt. 23. uſus tamen obtinuit, ſicuti notat Sanchez, Diana, & alii paſſim, ut etiam Laicis & fœminis liceat eos tangere, eo vel maxime ſi fiat ex devotione, & pietate, vel ut ponantur in aliqua capſula, vel techa aurea, vel argentea, vel huiuſmodi.

Habetur item in Eccleſia ritus benedicendi Candellas in die feſto Purificationis B. M. V. Tribuunt quidam hunc ritum Sergio Rom. Pontifici, qui Cononi ſucceſſit anno 687. ſed Sergius tantum ſtatuit, ut eo die haberentur Litaniæ: Ante Sergium vero de hoc ritu, ac feſto ſermonem habuere Sophronius Hierololymitanus, Idelphonſus Toletanus, & Eligius Noviamenſis Epiſcopus. Quidam cum Baronio in notis ad Martirolog. Roman. huius cæremoniæ auctorem facinnt Gelaſium ſucceſſorem Felicis III. anno 492. eo quia Gelalius ſuſtulerit Lupercalia, ut conſtat ex erudito eius Commentario adverſus Andromachum tom. 4. Conciliot. Omnes iam concedunt Lupercalia facta fuiſſe menſe Febrario; imo ab his dici Februarium, notat S. Auguſt. l. 18. *contra Fauſtum* cap. 3. Eſt enim februare idem ac *luſtrare*, *expiare*, *purum reddere:* Lupercalia vero idem ſunt ac Luſtrationes, quibus pelle hirci, vel capræ diſſecta, Urbs luſtrabatur, loriſque inde factis cæſæ mulieres opem ferente Iunone facilius concipere, & parere credebantur. Sed refellitur hæc ſententia ab eruditiſſimis viris, ex quo Gelalius ſcribat quidem contra Lupercalia, ſed de Purificatione Virginis, candelarumque benedictione nullam mentionem facit. Lupercalia celebrabantur decimaquinta Februarii; unde nihil eſt in hac cæremonia quod correſpondeat Lupercalibus. Menardus vero, Angelus Rocca; & alii permulti, a quibus non diſſentit Benedictus XIV. Notificat. in Feſtum Purificationis 26. veroſimilius putant, inſtitutam eſſe cæremoniam hanc contra Luſtrationes Amburbales, quibus Ethnici ut iuſta perſolverent Diis Manibus, urbem accenſis facibus februabant. Sic affirmant Rabanus l. 2. *de Inſtitut. Clericor. cap.* 33. & Innocent. III. ſerm. 1. *de Purificat.* Rabanus quidem ſcribit, inſtitutam eſſe hanc cæremoniam adverſus luſtrationes Februo ſacras, & Innocentius adverſus cultum Cereris, quæ fertur accenſis facibus quæſiſſe Proſerpinam raptam a Plutone; & revera Februus, Pluto, Deus luſtrationum, ſunt unum & idem. Hæc de ritus inſtitutione. Nos autem candelas accenſas ferimus, ut ſicuti Simeon accepit in ulnis ſuis puerum Ieſum, & ſuperno lumine agnovit latentem in eo maieſtatem, ſic nos quoque cereum geſtantes carnis fragilis, ac labentis ſymbolum, ſupernum gratiæ lumen imploramus, ut ad imitationem Virginum prudentum lampade caſtitatis accenſa ſponſo occurramus.

Recenſentur aliæ Eccleſiæ cæremoniæ.

Alias inſuper habet Eccleſia cæremonias, ut conſecrationes Templorum, & altarium, quæ variis cæremoniis peraguntur, utendo ſacro chriſmate, quo utraque variis crucis ſignis inunguntur, uti dicetur agendo de ritibus Sacramenti Confirmationis, & uſu chriſmatis: Conſecrationem ſacrorum vaſuum, calicis nempe, & patenæ, quibus divinum peragitur Sacrificium, pyxidis, in qua ſacra ſervatur Eucharistia, oſtenſorii, in quo exponitur publicæ adorationi Venerabile Sacramentum; & in horum quoque conſecratione adhibet ſacrum chriſma: Item benedictionem campanarum cum uſu pariter ſancti olei chriſmatis, quæ con-

ſecratio dicitur etiam improprie baptizatio.

De Ceremonia lotionis pedum Fer. 5. in cœna Domini.

Aliam tandem cæremoniam facere ſolet Eccleſia, nempe lotionem pedum Feria 5. in Cœna Domini ad imitationem Chriſti Domini, quam tali die ipſe peregit ad exemplum & exercitium humilitatis, cuius eſt ſignum maxime expreſſivum & conveniens: *Exemplum dedi vobis*, (ait Chriſtus diſcipulis) *ut ſicut ego feci, ita & vos faciatis*. Inſuper in tali pedum lotione diſcipulis ſignificare voluit purgationem etiam a venialibus ante ſumptionem ſacræ Euchariſtiæ, ut indicant illa verba Chriſti; *qui locus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt, mundus totus*; quæ purgatio acquiritur non per talem lotionem quaſi ipſa per ſe vim habeat venialia purgandi ſeu remittendi, aut gratiam ſanctificantem conferendi, ſicuti Sacramenta, quod nequidem in Diſcipulis vi ſua fecit, ſicuti notant Theologi, ſed per orationem, & virtutes humilitatis, & charitatis, quæ in tali lotione exercentur. Sylvius, P. Berti, & alii.

Extat in Eccleſia ritus quoque benedicendi ſeu conſecrandi oleum Chriſmatis, infirmorum &c. qui fit per Epiſcopum Fer. V. in Cœna Domini. Sed de hoc ſermo erit, ubi de ritibus Sacramenti Confirmationis.

TRACTATUS
DE BAPTISMO.

Expediti ab iis, quæ iuxta ſtylum Theologicæ Scholæ breviter egimus de generali ratione Sacramentorum, ea examinanda ſuſcipimus, quæ eorumdem ſingillatim naturam reſpiciunt: & primum de Baptiſmo agemus, qui eum nobis initium conferat ſpiritualis vitæ per regenerationem, (per tale enim Sacramentum ad ſpiritualem vitam renaſcimur) idcirco primum eſt Sacramentorum, quod recipere poſſimus, & ad alia percipienda cum viam aperiat, dicitur a Theologis *ianua Sacramentorum*. In naturali generatione, quæ fit parentum opera, ad corporalem, terrenamque vitam naſcimur: per ſupernaturalem vero, quam in nobis operatur Baptiſma, renaſcimur ad vitam ſpiritualem & divinam. Per primam generationem efficimur filii hominis: per poſteriorem filii Dei, & Regni cœleſtis hæredes. Primus homo (ait Apoſt. 1. Corinth.) *de terra terrenus: ſecundus homo de cœlo cœleſtis*. De hoc itaque Sacramento, quo renaſcimur, abluimur, divini Spiritus participatione donamur, & de antiqua peccati propagine in novam generationem, & vitam tranſimus, facti nova creatura, novum figmentum, pertractare aggredior.

§. I.

De nomine, ac definitione Baptiſmi.

Si nominis *Baptiſmi* ethymologiam, ſignificationemque inſpiciamus, cum ſit deductum a Græco vocabulo *mergo*, ac *tingo*, immerſionem, ac tinctionem ſignificat; quia nempe qui olim baptizabantur penitus aquis immergebantur, ac tingebantur: nec immerſio hic ſumitur pro ſimplici immerſione in aquis, ſeu madefactione, ſed pro immerſione, quæ rei immerſæ ſit ſimul lotio, ſeu ablutio; & in tali ſignificatione accipitur a Græcis *baptizare*, ideſt abluere, ac lavare. Idemque ſignificat in legalibus baptiſmis, de quibus ſacræ loquuntur litteræ. Unde nomen Baptiſmi dupliciter conſiderari poteſt, & ſecundum ſignificationem grammaticalem, & ſecundum ſignificationem Eccleſiaſticam, & Sacramentalem.

Nomen Baptiſmi apud Sacros Scriptores variis uſurpatur ſignificationibus, & quatuor præcipue, ut obſervat Tournelleius, videlicet in ſignificatione mere litterali, & communi; in cæremoniali, ſeu legali; in metaphorica, ſeu figurata, ſive ut dicitur ab aliquibus accommodatitia; in Eccleſiaſtica, & Sacramentali. Variæ acceptiones nominis Baptiſmi.

Baptiſmus iuxta litteralem vim nominis nihil plus importat, quam ut antea dicebam cum verbo Græco, immerſionem, & intinctionem, ducta hac ſignificatione ab uſu vulgari totum mergendi in aquis quod lavare quis velit. Et in hoc ſenſu baptiſmata dicuntur quæcumque ablutiones etiam prophanæ, ut uſus balneorum 2. Eſdr. 4. lotiones calicum, aliorumque huiuſmodi vaſorum. Secundum ſignificationem legalem, Ba-

Baptiſmi vocabulum in divinis Scripturis ſignificat lotiones illas cæremoniales, quæ iuxta legis præſcriptum frequenter fiebant ab Hebræis; unde Baptiſtæ appellantur a S. Iuſtino in Dialogo cum Triphone: hinc ortum duxit hæreſis Hemerobaptiſtarum, eorum nempe, qui ut habet S. Epiphan. hæreſ. 17. tam vere, autumno, quam ætate, atque etiam hyeme quotidie lavant. De uſitatiſſimis Iudæorum baptiſmatibus, ſeu lotionibus loquitur Evangelium D. Marc. cap. 7.

Baptiſmus vero S. Ioannis fuit hic quoque cæremonialis, ſed divinitus ipſi inſpiratus, ut eiuſdem uſu viam ſterneret, pararetque ad Baptiſmum Chriſti per pœnitentiam, ad quam & ipſum Baptiſma, & Ioannes baptizans ſuis prædicationibus hortabatur.

In ſenſu accommodatitio, ſeu metaphorico, & figurato utitur Scriptura 1. ad ſignificandam animi afflictionem, quæ non ſecus ac aqua vehemens, mergit hominem, ac abſorbet. Et in huiuſmodi ſenſu ait Chriſtus Lucæ 12. *Baptiſmo autem habeo baptizari*, hoc eſt pati debeo, & cruciari. Hinc Pœnitentiæ & Martyrio tum propter dolorem quem utrumque ſibi habet annexum, videlicet animi contritionem Pœnitentia, corporis cruciatum Martyrium, tum propter virtutem quam habent diluendi peccata, unde aquæ ablutioni aſſimilantur, Baptiſmi nomen accommodatur, & Pœnitentia dicitur Baptiſmus flaminis, & Martyrium ſanguinis, & ut clarius ſuo loco.

Inſuper adhibetur in ſenſu figurato vocabulum Baptiſmi in divinis Scripturis ad ſignificandam abundantem, ac copioſam divinæ gratiæ effuſionem, ut Actor. 1. dictum fuit SS. Apoſtolis; *Vos autem baptizamini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*; & Matth. 3. S. Ioannes ait de Chriſto Domino; *Ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto*. Comparatur autem virtus Spiritus Sancti igni ob vim purgandi efficaciſſimam, veterumque noxarum conſumptricem, necnon ob figuram linguarum ignearum, in quarum forma in die Pentecoſtes Apoſtolis illapſus eſt. Porro omnes illæ figuratæ ſignificationes Baptiſmi deſumuntur ex analogia, ſeu ſimilitudine quam habent, vel cum materia, vel cum effectibus noſtri Baptiſmi Sacramenti. Tandem uſu Eccleſiaſtico, & Sacramentali Baptiſmi nomine ſignificatur illa lotio, ac ablutio ſacra, myſtica, & religioſa, qua quis aqua tingitur, ſeu baptizatur in corpore, ut ſpiritu regeneretur, & renaſcatur; & hoc eſt baptiſma illud, quod vulgariter dicitur *fluminis*, quo membra efficimur Chriſti, filii Dei adoptivi, & Eccleſiæ, ideſt Chriſtiani, de quo habetur Matth. 28. illud Chriſti ad Apoſtolos: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* & Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*.

Hic autem Baptiſmus varia inſuper ſortitur nomina ratione materiæ, formæ vel effectuum. Nam ex parte materiæ appellatur aquæ lavacrum, ut Epheſ. 5. Ex parte formæ denominatur ſigillum, ſignaculum, obſignatio fidei, arrha hæreditatis, Sacramentum Trinitatis, Sacramentum fidei; tum quia per Baptiſmum homo adſcribitur inter fideles, tum quia in baptiſmate ſive per ſe, ſi ſit adultus, ſive per Patrinum, ſi ſit infans, fidem ſolemniter profitetur, ac in hoc Sacramento SS. Trinitas expreſſe invocatur. Ratione effectuum, hunc vocat D. Paulus ad Titum 3. *Lavacrum regenerationis, & renovationis*, dicitur ablutio peccatorum Actor. 22. *Vitæ novitas*: Rom. 6. *Sanctificatio* 1. Corinthior. 1. *Sepultura veteris hominis cum Chriſto in mortem; illuminatio, unctio Spiritus Sancti &c.*

Variæ habentur figuræ in divinis Scripturis de noſtro Baptiſmate, quas omnes ſecundum obſervationes antiquorum PP. enumerat Catechiſmus Romanus, ut Diluvium Noeticum, quod peccatores delendo corruptum mundum primævæ reſtituit integritati, tranſitus maris rubri, quo Populus Iſraeliticus liberatus fuit a duro ſervitutis Ægyptiorum iugo; ablutio Naaman Syri in Iordane ad lepræ emundationem, Circumciſio, & Baptiſma Ioannis. *Variæ figuræ in Scripturis de Baptiſmo.*

§. II.

De Diviſione Baptiſmi ſecundum uſum Eccleſiaſticum, & Sacramentalem.

Baptiſmus vero ſecundum poſtremam allatam ſignificationem huiuſce nominis, ideſt iuxta illius uſum Eccleſiaſticum, ac Sacramentalem, ſeu prout eſt ablutio ad Religionem pertinens, proprie & rigoroſe unicus eſt, ut Epheſ. 4. *Una fides, unum Baptiſma*; & hoc de fide profitetur Eccleſia in Symbolo. Nihilominus triplex Baptiſma diſtingui ſolet a Theologis, videlicet Baptiſmus ſanguinis, qui eſt Martyrium; flaminis, qui eſt Baptiſmus in voto, ſeu Baptiſmi deſiderium, & fluminis ideſt aquæ, & eſt primum legis novæ Sacramentum, de quo diſſerere hic ſumpſimus.

Quid Baptiſmus ſanguinis.

Nomine Baptiſmi ſanguinis intelligitur Martyrium, quod dicitur Baptiſmus, non quia ſit Sacramentum, ſed per quandam analogiam ad Baptiſmi Sacramentum. Nam ſicut Baptiſmus abluendo corpus liberat ab omni reatu culpæ & pœnæ; ita Martyrium in corpore conſumatum mundat animam ab omni culpa, & pœna ex opere operato, & hoc per ſingulare Dei privilegium.

Quid Baptiſmus flaminis.

Baptiſmus vero flaminis, ideſt Spiritus Sancti, qui flamen dicitur, eſt votum, ſeu deſiderium Baptiſmi cum actu amoris Dei ſuper omnia, aut contritionis cum propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum: & per hunc actum ſufficienter quis diſponitur ad ſuſcipiendam gratiam, quo veluti quadam lotione ab omni peccatorum ſorde anima abluitur, non ſecus ac Martyrio: Baptiſmi deſiderium & Martyrium Baptiſma vocantur, & utrumque metaphorice; quia in caſu neceſſitatis, ubi non eſt facultas ſuſcipiendi baptiſmum aquæ, animam mundant a peccato, ut infra dicetur; & ſic ſunt quædam metaphoricæ ablutiones. Dicuntur etiam ambo Baptiſmata in voto, propter deſiderium huius Sacramenti in utroque conceptum; unde melius denominarentur votum Baptiſmi: quia cum non ſint ſacri ritus externi a Chriſto Domino inſtituti, non ſunt revera Sacramenta. Non deſunt tamen, qui negent, & eſt maior pars, in Martyrio non requiri votum Baptiſmi fluminis, utpote quod ſit remedium peccati Originalis, & per ſe æquivalens Baptiſmo, & huius capaces ſunt etiam infantes, ut patet in Innocentibus ab Herode interfectis.

Quid Baptiſmus fluminis.

Baptiſmus tandem fluminis, ideſt aquæ, eſt Baptiſmus proprie dictus, & qui ſolummodo eſt realiter, ac vere Sacramentum quod Characterem imprimit. Et in hoc alia duo Baptiſmata differunt a Baptiſmo fluminis, quod illa non ſint vere & proprie Sacramenta, nec imprimant Characterem, ſicuti Baptiſmus fluminis. Imo etiam Baptiſmus flaminis differt a Baptiſmo fluminis, & ſanguinis, quia ille non ſemper ex voto, ſicuti alii duo, omnem pœnam remittit.

Hoc antem Sacramentum Baptiſmi fluminis, ſeu aquæ, non ſecus ac cætera Sacramenta in genere inſtitutum fuiſſe immediate a Chriſto Domino, ſatis ſuperque conſtat ex ſacris litteris; nt habetur expreſſis verbis Matth. 28. *Docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: & quia inſtitutum voluit Chriſtus Baptiſmum, ut unicum, & ſingulare remedium ad primam regenerationem, præcipue ex mortem Originalis peccati, ut ſine ipſo in re, vel ſaltem in voto in adultis conſequi omnino non poſſet æterna ſalus, ait Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*.

Et hoc patet 1. ex ipſa ratione, ſeu conditione Sacramentorum novæ legis, videlicet ex eo quod eſſe debeant ritus externi a Chriſto Domino inſtituti. 2. ut illi ritui facta ſit promiſſio gratiæ ſanctificantis. 3. ut extet præceptum de illo obſervando. Hæc autem omnia concurrunt in noſtro Baptiſmate de quo loquimur, nempe & ritus abluendi aqua ſub invocatione SS. Trinitatis; & promiſſio gratiæ ſanctificantis, cum talis ablutio regeneratio dicatur in Spiritu Sancto; & mandatum ablutionem illam obſervandi: ait enim; *Docete .... baptizantes &c.* imo hæc cum tanta præcipitur neceſſitate, ut ſine ipſa in re, vel in voto nemo cæleſtem patriam ingredi queat. Nemo igitur non videt noſtrum Baptiſma eſſe verum legis novæ Sacramentum, æque ac alia a Chriſto Domino inſtitutum. Et eo vel maxime quod hoc comprobatur ex perpetua ac conſtanti Eccleſiæ traditione, quæ ſemper ritum baptizandi obſervavit, & in hoc ipſi quoque Novatores conveniunt, licet diſcrepent in aſſignanda intrinſeca Baptiſmi ratione.

Verum ex proxime dictis manifeſtiſſime patet, quam longe a vera natura Sacramenti Baptiſmi aberrent heterodoxi, dum eſſentiam Baptiſmi conſtituunt in quodam nudo ſigno, quo Deus nobiſcum agit, ac in gratiam ſuam recipit, ut Melanchton; vel quo initiamur, & cooptamur in Eccleſiæ ſocietatem, ut Chriſto inſiti inter filios Dei cenſeamur, ut Calvinus; vel quo ſola adumbratur remiſſio peccatorum in nomine Chriſti, eiuſque nomen aperte profitemur, & in ipſius Religionem quodammodo aſſociamur, ut nihil tamen nobis detur, nt autumant Sociniani. Nam in unoquoque horum ſenſu Baptiſmus nihil plus eſt quam quoddam otioſum ſignum, ac cæremonia vacua omni efficaci virtute ad producendam gratiam ſanctificantem in anima ſuſcipientis; quod opponitur doctrinæ Scripturarum, quæ pluribus in locis teſtantur de Baptiſmi efficacia ad animarum ſanctificationem per gratiæ efficientiam, & collationem. Unde

Definitio Baptiſmi iuxta Catholicos.

Sacramentum Baptiſmi definitur a Catholicis, & primum a S. Thoma cum Magiſtro ſententiarum: *Ablutio exterior facta ſub præſcripta verborum forma*. Ab aliis vero, &

cohæ-

Digitized by Google

cohærenter communi vulgo Theologorum, & Concil. Trident. definitur; *Sacramentum regenerationis per aquam cum expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione*. Et hæc definitio videtur magis accurata, & perfectior; tum quia habetur in Sacris litteris, partim nempe ex cap. 3. Ioann. partim ex Apoſtol. ad Tit. 3. & ad Epheſ. 5. partim ex S. Matth. 28. tum quia omnes Baptiſmi partes explicat.

Dicitur 1. *Sacramentum*, quod eſt genus. 2. dicitur *regenerationis*, quæ vox exprimit differentiam diſtinguentem baptiſmum tum a Sacramentis veteris legis, tum etiam ab aliis legis novæ; quia per ſolum Baptiſma proprie ſpiritualiter renaſcimur. Dicitur 3. *per aquam*, tamquam materiam. Dicitur tandem *cum expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione*, quibus verbis forma Baptiſmi exprimitur. Et ex his colligitur, Sacramentum Baptiſmi non eſſe aquam prout eſt res permanens, ſed uſum ipſum, nempe exteriorem ablutionem, ac ipſius aquæ applicationem.

§. III.

De tempore, quo Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum Baptiſmi.

Ex Scripturis & Traditione colligi nequit præciſum tempus, quo Chriſtus Dominus Sacramentum Baptiſmi inſtituerit. Hinc Theologi in varias, oppoſitaſque circa hoc abierunt ſententias. Advocant aliqui Baptiſmi initium a tempore, quo Chriſtus Dominus in Cœlum aſcenſurus dixit Diſcipulis ſuis; *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* ideſt poſt Chriſti mortem; & non pauci etiam inter Patres ita opinati ſunt, ut S. Chryſoſt. homil. 28. in Ioann. Theophilact. Rupert. Tertull. & cum illis omnes hi etiam, qui cum Melchiore Cano l. 8. de Locis Theologic. volunt Apoſtolos non cum alio Baptiſmo baptizaſſe ante Chriſti mortem, niſi cum Baptiſmo Ioannis, contra alios, qui licet ultro concedant baptizaſſe eoſdem Apoſtolos etiam ante Chriſti mortem ipſius Chriſti Baptiſmo, ſuſtinent tamen eſſe prorſus incompertum quando Baptiſmus ſit a Chriſto inſtitutus. Alii, inter quos Eſtius, exiſtimant, tunc inſtitutum eſſe Baptiſma, quando Chriſtus Dominus ait Nicodemo; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Alii tandem probabilius, & hæc ſententia eſt communior, repetunt Baptiſmi inſtitutionem inchoate, ſeu aliqualiter ſaltem ab ipſo Chriſti Baptiſmate per Ioannem in Iordane. Et hanc tenent cum Magiſtro ſententiarum in 4. diſt. 3. ac D. Thoma 3. p. q. 66. art. 2. Thomiſtæ, Bellarminus, Suarez, & pene omnes moderni, inter quos Duhamel, Ludovicus Habert, Tournel. q. 3. art. 1. & huic utpote probabiliori adhærendum cenſeo.

Probabilius eſt Baptiſmi Sacramentum inſtitutum eſſe a Chriſto Domino ante eius Paſſionem, quando in Iordane baptizatus fuit a Ioanne. Et hoc videtur valde cohærens Scripturis, & id quamplurima SS. Patrum teſtimonia ſuadere videntur. Et quoad priorem partem multum hanc comprobat illud Ioannis 3. ubi habetur, Chriſtum per ſuos Diſcipulos, ideſt eorum miniſterio baptizaſſe: Cum autem nullatenus credibile ſit eos baptizaſſe baptiſmo Ioannis, merito dicendum quod Diſcipuli baptizarent baptiſmo Chriſti; inquit enim eo loci S. Evangeliſta; *Quamquam Ieſus non baptizaret, ſed Diſcipuli eius*. Unde ſi Chriſtus ex teſtimonio Ioannis baptizabat in baptiſmate quod miniſtrabatur a ſuis Diſcipulis, non alium certe baptiſmum miniſtrare debuerant Diſcipuli, quam Baptiſma Chriſti, & neutiquam Ioannis; alias non dicendus eſſet Chriſtus baptizare per Apoſtolos, ſed Ioannes, quod aperte citato Scripturæ teſtimonio adverſatur. Et hoc præclare confirmat inter alios PP. S. Auguſt. tract. 15. n. 3. in Ioann. ubi ait: *Baptizabat enim* (Chriſtus) *quia ipſe mundabat, non baptizabat, quia ipſe non tingebat. Præbebant Diſcipuli miniſterium corporis, præbebat ille adiutorium maieſtatis*. Quid explicatius in hoc propoſito exoptari poteſt? Similia habet Cyrillus in Ioann. pag. 156. ubi etiam advertit, nunquam Ioannem per aliorum manum ſuum contuliſſe Baptiſma. Et hoc apertiſſime evincitur, ut advertit Habert, ex invidia Diſcipulorum Ioannis propter Baptiſmum quem Diſcipuli Chriſti miniſtrabant, ut habetur in cit. cap. 3. Ioann. Nam ſi Diſcipuli Chriſti baptizaſſent Baptiſmate Ioannis, non Chriſti, dictus fuiſſet per eoſdem Chriſti diſcipulos baptizaſſe, & tunc nulla fuiſſet ratio. Diſcipulis Ioannis querelarum, invidiæ, & diſſidii contra Chriſti Diſcipulos propter Baptiſmum quem miniſtrabant. Igitur ex hoc ſequitur ad evidentiam, quod Diſcipuli Chriſti baptizarent alio baptiſmate a Baptiſmo Ioannis, ac proinde baptiſmo Chriſti, cum non alterius baptiſmi fiat mentio in Scripturis. Inſuper abſurdum eſt dicere, Chriſtum per ſuos Apoſtolos baptizaſſe etiam ante ſuam Paſſionem in aqua tantum, ideſt Ioannis Baptiſmo; tum

Sententia de tempore inſtitutionis Baptiſmi.

Digitized by Google

quia ipſe Ioannes clare expoſuit turbis differentiam inter ſuum baptiſma, & baptiſma Chriſti, quia ipſe baptizaret in ſola aqua, & Chriſtus in aqua ſimul, & Spiritu Sancto; *Ego baptizavi vos aqua* (ita habetur Marci 1.) *ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto*; tum quia de his qui ante Paſſionem Chriſti baptizati fuerant ab eius Diſcipulis, non legitur denuo fuiſſe baptizatos, ſicuti ii qui Baptiſmum Ioannis acceperant, ut teſtatur Scriptura Actor. 19. Hinc S. Auguſt. l. *de Unit. Eccleſ.* cap. 21. & alibi, unum, idemque facit Baptiſma datum a Petro ante Chriſti Paſſionem, & a Paulo poſt, & utrumque vocat Baptiſmum diſtinctum a Baptiſmate Ioannis. Imo paſſim inculcat contra Donatiſtas, poſt Ioannem fuiſſe rebaptizatum, non item poſt Iudam, qui procul dubio nonniſi ante Chriſti Paſſionem, & Chriſti Baptiſmo baptizaverat. Item Chriſtus ante ſuam Paſſionem dedit Apoſtolis Euchariſtiam, Lucæ 22. & ordinem Sacerdotii, ut conſtat ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. can. 2. ubi ita definit; *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum; anathema ſit*. Non eſt autem credendum Chriſtum hoc feciſſe in Apoſtolis nondum baptizatis, ac ideo baptiſmo nondum inſtituto, cum hic ſit ianua ad reliqua alia Sacramenta novæ legis, & primum prioritate inſtitutionis, & neceſſitatis, ut docet Concil. Florentinum in Decret. Unionis Armenor. Et revera Chriſtus Dominus lavans pedes Diſcipulorum Ioann. 13. dixit Petro; *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*, quam munditiem Petrus, & alii Diſcipuli accepiſſe non poterant niſi a baptiſmate Chriſti quo baptizabatur aqua, & Spiritu Sancto. Et revera vetus eſt Traditio, Petrum fuiſſe a Domino baptizatum, & a Petro omnes alios Diſcipulos, ut Euthimius in Evangel. pag. 324. Evodius apud Nicephorum l. 2. cap. 3. pag. 134. & alii. Igitur Baptiſmus Chriſti inſtitutus fuit antequam ipſe, & Diſcipuli eius baptizarent, ac proinde ante eius Paſſionem.

Quoad alteram vero partem nempe quod inchoate ſaltem, & aliqualiter inſtitutus ſit Baptiſmus Chriſti, quando ipſe in Iordane baptizatus fuit a Ioanne, tametſi certum non ſit, magnam tamen habet probabilitatem, tum quia tunc adumbratum fuit myſterium SS. Trinitatis, cuius explicita prolatio eſt forma huius Sacramenti; Nam in eo ſenſibiliter apparuerunt, ſcilicet manifeſtæ factæ ſunt tres Trinitatis Perſonæ, ut ex S. Auguſt. trac. 6. in Ioann. audita eſt vox Patris, & in ea voce, quæ de Cælo audita eſt, demonſtratus eſt Filius, ut Lucæ 3. *Vox de Cælo facta eſt; tu es Filius meus dilectus: in te complacui mihi*; viſus eſt Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ; tum quia in tali Chriſti Baptiſmate mundata, ſanctificata, conſecrata fuit aqua, ut unanimes docent SS. PP. quæ eſt materia Sacramenti Baptiſmi, ad hoc ut ius, ſeu virtutem haberet ſanctificandi eos, qui aquis Baptiſmatis tingerentur. Unde ſapienter arguit D. Thom. q. 66. art. 2. tunc inſtitutum fuiſſe Baptiſmi Sacramentum; *Tunc* (ait S. D.) *videtur aliquod Sacramentum inſtitui, quando accipit virtutem producendi ſuum effectum: hanc autem virtutem accepit Baptiſmus, quando Chriſtus eſt baptizatus: unde tunc vere baptiſmus inſtitutus fuit quantum ad ipſum Sacramentum*. Quod autem ſuo Baptiſmate huiuſcemodi virtutem aquis contulerit Chriſtus, evincitur ex antiquis Patribus. S. enim Ambroſ. l. 2. in Lucam n. 83. inquit; *Baptizatus eſt, ergo Dominus non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, Baptiſmatis ius haberent*. Et S. Maximus Homil. 6. de Epiphan. tom. 6. Bibliothecæ PP. pag. 12. ait: *Baptizatus Ieſus non ſibi, ſed nobis baptizatus, non ut purificetur aquis, ſed ut aquas ipſe ſanctificet: baptizatus novus homo, ut novi Baptiſmatis conſtituat Sacramentum*. Et ſic alii. Confirmat ſententiam Evangelica Hyſtoria, in qua Diſcipuli nunquam leguntur, ut notat eruditus P. Berti, ante baptizatum Ieſum baptizaſſe, id vero fecerunt Ioanne adhuc ſuperſtite, & initio Dominicæ prædicationis: profecto videtur eo tempore, quo Chriſtus ad Iordanem venit, Baptiſmus ab eo conſecratus, & inſtitutus, ſiquidem antea non erat, & poſthac ſolemni ritu miniſtrabatur. Valde igitur probabile eſt Baptiſmum inſtitutum fuiſſe a Chriſto Domino inchoate, ſeu aliqualiter ante ſuam paſſionem, quando a Ioanne baptizari voluit in Iordane, ita ut nihilominus dubium maneat, quo præciſe tempore ſit complete inſtitutus.

Varia opponuntur huic ſententiæ, & præcipue, Baptiſmo Chriſti publicari myſterium SS. Trinitatis, quod ante Paſſionem vetuit Chriſtus Diſcipulis evulgare. Matth. 17. ubi de Transfigurationis myſterio habetur; *Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis a mortuis reſurgat*. In Baptiſmo dari Spiritum

tum Sanctum, qui datus non eſt niſi poſt reſurrectionem, ut conſtat ex cap. 20. Ioannis, cum hoc donum ſit effectus Paſſionis. Baptiſmum hauſiſſe ſuam efficaciam a Chriſti Paſſione, ex cuius latere cum ſanguine, & aqua fluxiſſe Sacramenta, ait S. Auguſt. tract. 120. in Ioann. Baptiſmum Chriſti non ſignificare Paſſionem futuram, ſed præteritam, alias coincideret cum Sacramentis veteris legis.

Reſp. 1. Myſterium SS. Trinitatis publicari obſcure, ſicuti factum fuit in Baptiſmate Chriſti ad Iordanem, non vero clare & diſtincte illud explicando: tres vero Perſonas realiter diſtinctas in unitate naturæ ſubſiſtere, in tali ſenſu vetitum fuit a Chriſto ſuis Diſcipulis propagare hoc myſterium ante ipſius reſurrectionem. Reſp. 2. in Baptiſmate non datum eſſe Spiritum Sanctum ſenſibiliter cum tanta effuſione, & portentu, ut factum fuit in die Pentecoſtes, ſed inſenſibiliter; quis enim ſibi perſuadere poteſt Chriſtum Dominum miniſtraſſe Euchariſtiam ſpiritu vacuam. 3. S. Ioannem Baptiſtam, & omnes alios iuſtos, qui eum præceſſerunt, fuiſſe ſine Spiritu Sancto inhabitante. Porro quamvis Baptiſmus præceſſerit Paſſionem Chriſti, ex ea tamen etiam futura tamquam ex cauſa morali, & meritoria hauriri potuit vim ſuam moralem gratiam cauſſandi; non ſecus ac profeſſio Fidei tempore legis Moſaicæ, ut diximus dum ageremus de Sacramentis in genere, virtutem habebat ex influxu futuræ paſſionis, aliorumque meritorum Chriſti venturi ad cauſſandam iuſtificationem in fidelibus Sinagogæ. Reſp. ad ultimum, Baptiſmum utique inſtitutum eſſe ad ſignificandam Paſſionem Chriſti præteritam, quod dum actu inchoate inſtituebatur, nondum eſſet Paſſio conſummata, id erat mere per accidens; quinimo cum iam proxima eſſet, poterat haberi tamquam moraliter præſens; niſi etiam dicere velimus, quod cum tota Chriſti vita non fuerit niſi Paſſio, revera dici poſſit Paſſionem Chriſti, dum inſtituebatur Baptiſmus, quoad aliquam partem fuiſſe præſentem. Sacramenta autem veteris legis principaliter, Imo unice inſtituta ſunt ad ſignificandam Paſſionem Chriſti futuram, eaque conſummata expirarunt.

§. IV.

De differentia Baptiſmi Chriſti a Baptiſmate Ioannis.

Quod quammaxime differat Chriſti Domini Baptiſmus, a Baptiſmate Ioannis, maniſeſte patet ex illo Actor. 19. ubi habetur, quod baptizati baptiſmo Ioannis, iuſſi ſunt baptizari Chriſti Baptiſmate, quod certe factum non fuiſſet, ſi hæc duo Baptiſmata valde inter ſe quoad virtutem non diſcrepaſſent. Hinc triplici ex capite inter ſe differunt.

Primo Baptiſma Ioannis non erat Sacramentum, niſi ſumpto Sacramenti nomine in ampla ſignificatione, ideſt pro quolibet ſigno myſtico, ut inter alios ſentit D. Thom. 3. p. q. 38. art. 1. Nam de conditione ſeu natura Sacramenti eſt, quod ſit ſignum firmum, ac permanens, & Baptiſma Ioannis brevi perduravit intervallo, uno videlicet, aut altero anno, ut refert D. Auguſtinus l. 5. *de Baptiſm.* cap. 9. *Accepit Ioannes Baptiſmum non diu manſurum, ſed quantum ſatis eſſet ad parandam viam Domino.* 2. Baptiſmus Ioannis conferebatur ſine invocatione Trinitatis; imo ſine ulla formæ prolatione, ut vult hic Ludovicus Habert. Hortabatur quidem Ioannes initiandos, ut crederent in eum, qui poſt ſe erat venturus, ſed veriſimile eſt, uſum fuiſſe verbis hiſce hortatoriis tanquam forma, dicendo nempe; *Ego te baptizo in nomine venturi Meſſiæ*, cum de hac formula ſileant Scripturæ, imo alio Patres loquuntur ſenſu, nec Chriſto, quem Ioannes baptizavit, conveniebat. Inſuper neceſſe non erat uti formula ad conſecrandam materiam nullius efficientiæ ad producendam gratiam. Et conceſſo etiam (notat P. Berti) quod illa forma uteretur Ioannes in ſuo Baptiſmate, maxime adhuc differt a Baptiſmo Chriſti; quia lavacrum collatum in nomine *venturi Meſſiæ*, gratiam pollicebatur, non eam impertiebatur, adminiſtratum vero *in nomine Chriſti advenientis* proximam redemptionem non conſummatam, perfectamque præferebat; baptizati autem *in nomine Chriſti* quem iam mortuum ſepultum ac redivivum credunt, completæ redemptionis fructum, ac præſentem regenerationis gratiam percipiunt.

Tandem, ait P Berti, Baptiſmus Chriſti differt ab illo Ioannis, eidemque præſtat, quod maiorem ſcilicet habeat efficaciam, ac valeat ad culpæ ablutionem, dum baptiſma Ioannis vi ſua non confert niſi legalem, corporalemque munditiam, remiſſionem autem

rem peccatorum ratione ſolummodo pœnitentiæ, fideique ſuſcipientium. Et hoc diſcrimen prædicavit, ac aperte expoſuit ipſe Ioannes populo, dum profeſſus eſt, quod ſuum Baptiſma ablueret, & ad pœnitentiam excitaret, Baptiſmus autem Chriſti pertingeret animum, eumque gratia Spiritus Sancti perfunderet, ut habetur Matth. 3. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt . . . . . . ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.*

Verum Novatores, ne cogantur Sacramento Chriſti tribuere virtutem producendi gratiam, hoc negant diſcrimen inter Baptiſmum Chriſti, & Baptiſmum Ioannis, exponentes, Baptiſmum Chriſti in Spiritu Sancto iuxta allatum textum Matth. 3. fuiſſe cum in die Pentecoſtes apparuerunt ſuper Apoſtolos diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque Spiritus Sanctus ſupra ſingulos; quod probant etiam ex Lucæ 3. qui ſicuti S. Matthæus, *Spiritum ſimul, & ignem* commemorat. Sed quam futile ſit hoc commentum, non obſcure patet. Nam licet verum ſit mirabilem illum illapſum Spiritus Sancti appellari metaphorice Baptiſma, & Ioannem intendiſſe animum etiam ad effuſionem Spiritus Sancti in igneis linguis; negari tamen nequit Ioannis ſermonem non eſſe accipiendum etiam de Baptiſmo aquæ, nec ullum aliud Baptiſma proprie dictum dare Spiritum Sanctum, cum utrumque innuat dicens; *In Spiritu Sancto, & igni*. Et ſi contendant Spiritum & ignem ad unam tantum pertinere Spiritus effuſionem, itaut ſenſus ſit: ille baptizabit vos Spiritu Sancto in linguis igneis elapſo, ut hic contendit Grotius, ſequitur, etiam verba illa Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* uni convenire Baptiſmati; & ſicuti non ſeiungunt energiam Spiritus a linguis igneis, ita nec ſeparare debent energiam ipſam a Baptiſmate aquæ quæ ex virtute Spiritus Sancti vim habet regenerativam; iuxta cit. textum; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Et de hoc aquæ Baptiſmo docuere PP. ut inter alios Cyrillus in Ioannem, quod ſit in Spiritu Sancto, & igni, quatenus ſicuti aqua lebeti inſuſa, & ad ignem applicata calefaciendi vim induit, ita, inquit citatus P. per Spiritus efficacitatem ſenſibilis aqua ad divinam quamdam, & ineffabilem vim transformatur. Et catholica veritas de aquæ Baptiſmo eo vel maxime certa redditur, & innegabilis, quod omnibus factum ſit præceptum, ut renaſcantur ex aqua, & Spiritu Sancto, quod intelligi nequit de Spiritu Sancti deſcenſu in die Pentecoſtes, qui deſcenſus Spiritus Sancti in igne nequit ſpectare omnes, ſed ſolos Diſcipulos Chriſti Hieroſolymis congregatos. Igitur ut quis ſive adultus, ſive parvulus ingredi queat regnum Cœlorum, baptizari debet, & accipere Spiritum Sanctum in alio ſymbolo, quam in ſymbolo ignis. P. Berti.

Alia inſuper afferri poſſent diſcrimina inter utrumque Baptiſma, quæ brevitatis gratia relinquuntur exponenda Dogmaticis, quibus potius enucleare hæc ſpectat.

§. V.

De tempore, quo Baptiſma Chriſti cœperit obligare.

Quamvis ante Chriſti mortem, ipſius Baptiſma inſtitutum ſit; quia tamen leges poſitivæ, cuius naturæ eſt lex Baptiſmi, non obligant priuſquam per eorum publicationem ad hominum notitiam perveniant; hinc Baptiſmi præceptum, ut D. Bernardus qui rem hanc pertractavit epiſt. 77. ad Hugonem, contra quoſdam, qui volebant Baptiſmi præceptum obligare ſtatim ac dictum fuit a Chriſto Domino; *Niſi quis renatus fuerit &c.* poſt multa concludit, ex eo tempore tantum cœpit obligare, ex quo ad hominum potuit pervenire notitiam. Ex qua Bernardi diſputatione intelligitur, quod generalis obligatio huius præcepti conſecuta fuerit generalem eius promulgationem; particularis vero obligatio particularem manifeſtationem, qualis facta fuit Nicodemo, & Diſcipulis Chriſti ante viſam paſſionem. Et hæc expoſitio cohæret & ipſi D. Bernardo, qui illam Chriſti Domini ſententiam, *Niſi quis* &c. legem, præceptum, edictum appellat, adhuc, ideſt ante promulgationem, abſconditum, & ſecretum.

Nec ex hoc ullum ſequebatur incommodum humani generis ſaluti, quia licet renaſci ex Spiritu ſemper neceſſarium fuerit ad ſalutem, modum tamen renaſcendi, qui eſt per aquam, non fuit neceſſarius ante eius inſtitutionem, & promulgationem, cum iam alius modus haberetur vel Circumciſionis apud Iſraeliticum populum, vel fidei in venturum Meſſiam reſpectu fæminarum Hebræarum, maſculorum eiuſdem nationis ante diem octavum, unicuiuſque ſexus, ac ætatis aliarum Gentium. Unde præceptum de Baptiſmo vim accepit neceſſitatis partim ex abolitione alterius medii, videlicet Circumciſionis, quæ pænitus ceſſavit quoad omnem

ſuam

Digitized by Google

ſuam vim ex quo lex Evangelii ſufficienter fuit evulgata; partim ex ſefficienti manifeſtatione eiuſdem præcepti. Unde concludendum, tunc Baptiſmum generaliter obligare cœpiſſe, poſtquam ſufficiens facta fuit Evangelii promulgatio, dum ſimul cum lege Evangelii prædicabatur lex Baptiſmi, veluti ipſius Evangelii pars. Quare Concil. Triden. aſſerit, poſt Evangelii promulgationem, iuſtificationem fieri non poſſe ſine Baptiſmo, vel eius voto. Eſtius.

§. VI.

De materia Baptiſmi.

Aqua naturalis eſt vera Baptiſmi materia.

Materia Sacramenti Baptiſmi, ſicut extra omne dubium, ut dogma Fidei univerſa tenet, & ſemper tenuit Eccleſia, eſt aqua naturalis. Et hæc veritas conſtat tum ex Scripturis, tum ex perpetua & clariſſima Traditione utriuſque tam Orientalis, quam Occidentalis Eccleſiæ. Ioann. enim 3. habetur; *Niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Actor. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari.* Et D. Paulus Ephel. 5. ait; *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Item Petrus Actor. 10. effuſa viſibiliter ſuper familiam Cornelii Spiritus Sancti gratia dixit: *numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt ſicut, & nos?* Eadem aqua baptizavit Chriſtus Dominus, qua ipſe baptizatus fuerat a Ioanne in Iordane, ut conſtat tum ex SS. PP. qui communiter docent, ut antea dicebamus, aquam ex contactu Sacratiſſimi corporis accepiſſe vim ſanctificandi; & ex controverſia orta inter Diſcipulos Ioannis ob ſimilitudinem baptiſmi Chriſti cum Baptiſmo Magiſtri. Et hanc materiam Baptiſmi in aqua naturali multis ſymbolis præſignavit Deus, ut agnoverunt eximii Eccleſiæ PP. inter quos S. Ambroſius *de Myſteriis* cap. 3. tom. 2. qui ait; prænunciatam fuiſſe Spiritus Sancti virtutem aquæ Sacramento collatam, & ab origine mundi, dum Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas, & in aquis Diluvii, quibus terra a carnali immunditia expurgata fuit, & in mari, & in nube, & in aquis Iordanis, quando in his a lepra mundatus fuit Naaman Syrus. Sed & hanc præcipue præſignificavit in aqua, quæ cum ſanguine miraculoſe effluxit ex Chriſti transverberato latere poſt eius mortem, ut communiter interpretati ſunt omnes PP. Hanc porro inconcuſſam doctrinam fidei, quæ cum Eccleſia ipſa ortum ſuum agnoſcit, præcipue Œcumenica Concilia, Florentinum ſcilicet in Decret. de Sacramentis, & Tridentinum ſeſſ. 7. can. 2. *de baptiſmo* docuere, ac definiere, aquam eſſe iſtius Sacramenti materiam. Unde recte revera S. Auguſt. quoad Baptiſmum Tract. 5. in Ioannem ait: *tolle aquam, non eſt Baptiſmus.*

Aqua igitur naturalis ideſt vera proprie non metaphorice eſt res determinata a Chriſto Domino pro neceſſaria Baptiſmi materia, ut ex allatis, imo aliis quamplurimis ulterius documentis, quæ brevitatis gratia referre omitto, apertiſſime conſtat; ac ideo univerſalis Eccleſia edocta a Spiritu Sancto, ac exemplum & doctrinam Chriſti inſtitutoris, atque Apoſtolorum, qui primævi huiuſce Sacramenti fuere miniſtri, ſecuta, perpetuo uſa eſt aqua proprie dicta, ideſt naturali, ſeu elementari, tamquam prorſus neceſſaria ad Baptiſmum conficiendum, imo quoſcumque damnavit, qui aliter auſi ſunt ſentire, ac opinari.

Quare & ex iudicio Eccleſiæ damnantis quaſcumque ſententias quæ catholicæ adverſarentur doctrinæ quod proprietatem aquæ in Baptiſmate adhibendæ, & ex hactenus dictis manifeſtiſſime patet, quam graviter aberrarint olim Manichæi, qui reiiciebant ut vanum Baptiſmum collatum in aqua, rati, quod aqua eſſet a malo principio; Seleuciani, Hermiani, & Iacobitæ, qui male ad litteram interpretantes textum illum Ioannis; *ipſe vos baptizabit in Spiritu, & igne* (dum metaphorice eſt intelligendus de gratia & charitate, quæ ad inſtar ignis cor inflammat, accendit, ſurſum rapit ac peccatorum rubigine abſumit) reiiciebant aquam cum Manichæis, & baptizabant in igne ſtigmatizando baptizandos in fronte, vel genis ferro candente, aut alio huiuſcemodi modo qui revera ignoratur; ac eiuſdem ſententiæ fuerunt etiam quidam Manichæi ſæculo 12. dicti Cathari: Pauliniani, qui materiam omnem a Baptiſmo excludebant, volebantque illum in ſola conſiſtere verborum prolatione: Flagellantes 13. ſæculo, qui ex verbis Ioannis. *Hic eſt* (ideſt Ieſus Chriſtus) *qui venit per aquam, & ſanguinem*; (quæ intelligi debent, Chriſto crucifixo, ex cuius terebrato latere fluxit aqua, & ſanguis) eliciebant ſanguinem cum flagellis ex venis baptizandorum, eoſque baptizabant.

Patet item, longe erraſſe illos quoque, qui convenientes quidem circa communem, ac ordinarium uſum aquæ in baptiſmo, volebant tamen in caſu neceſſitatis conferri poſſe baptiſmum in quovis alio liquore, in vino ſcilicet, lacte &c. & huius ſententiæ fuere

etiam

Digitized by Google

etiam Lutherus, & Theodorus Beza, ut de priori habetur in ſuis colloquiis Sympoſiacis cap. 17. & de ſecundo in ſua 2. epiſt. ad Filium.

Nomine vero aquæ naturalis inrelligitur aqua dumtaxat elementaris, ea videlicet, quæ ex communi uſu loquendi paſſim ſimpliciter ſine ullo addito, *aqua* dicitur, ut eſt marina, pluvialis fluvium, fontium &c. ſive calida ſit, ſive frigida, ſive dulcis, ſive ſalſa, ſive colorata, ſulphurea, ſerruginoſa, ſive pura, & clara, ſive turbida, ſeu mixta luto, aut re alia, in tali tamen inferiori quantitate, ut natura aquæ non immutetur, & æſtimarionem ac uſum aquæ retineat; item ea quæ hyemali & pluvioſo tempore ex lapidibus defluit, vel ex panno madido, aut ex luto expreſſa ſit, nec non ea quæ ex glatiæ, grandine, vel nive reſolvitur, cum omnes huiuſcemodi vere ac proprie ſint aqua, & vulgari notione pro vera, & narurali aqua habeantur, & aquæ naturalis nomine vocentur, ac proprium uſum aquæ obtineant. Idemque eſt de lixivio & vaporibus in operculo ollæ denſatis, & ſimilibus, quamdiu nempe ſecundum hominum æſtimationem nomen, uſumque aquæ retinent.

Quocirca ſequitur 1. aquam ex herbis, roſis, aliiſve floribus, vel fructibus expreſſam, licet lavet, non eſſe aquam naturalem, nec talem communiter vocari, ac pro tali haberi. Idcirco ſaltem extra caſum neceſſitatis certe non eſſe materiam aptam Baptiſmo, cum Chriſtus Dominus nonniſi aquam ſimpliciter naturalem, ac proprie dictam ſtatuerit pro mareria huiuſce Sacramenti: huiuſcemodi autem ſucci non magis proprie dici poſſunt aqua, quam vinum ex uvis expreſſum. Idemque dicito de vino lymphato, ſaliva, ſputo, lacrymis, ſudore, aliove ſimili humore, de cerviſia, ptiſana, inſculo, de liquore ex vitibus defluente: Nam iſtæ non ſunt aqua proprie dicta, & elementaris. Neque valet Baptiſma collarum in glacie, nive, pruina, aliiſve ſimilibus nondum reſolutis, utpotequæ in hoc ſtatu non ſint aqua naturalis, & uſualis, quæ ſciliet eriam nunc uſum aquæ rerinear, & poſſit proxime corpus abluere; alias non verificarentur illa formæ verba; *Ego te baptizo*, hoc eſt abluo. Er hoc dicendum quoque de aqua, cuius tanta ſit permixtio, ut potius cenſeatur corpus mixtum, quam aqua.

Sequitur 2. iuxta S. Thomæ doctrinam hic art. 7. in qualibet aqua qualitercumque tranſmutata, dummodo ſpecies aquæ non immutetur, poſſe baptiſma adminiſtrari. Species autem aquæ non ſolvitur, niſi quando liquoris quantitas, qui aquæ admiſcetur, ſuperet quantitatem aquæ; Unde ſequitur, ut infert cit. S. D. ſpeciem aquæ non ſolvi Chriſmatis admixtione, carnium decoctione, ſive aliorum huiuſmodi, niſi fiat tanta, aut tanta contingat reſolutio rei alterius in aqua, ut liquor ex tali mixtione ita factus ſit craſſus, ut plus conſtet de alia, quam de ipſius aquæ ſubſtantia.

Opponi hic ſolet caſus relatus a Nicephoro l. 3. Hyſtor. cap. 37. de *H*æbreo vita periclitante baptizato cum arena defectu aquæ, quem Baptiſmum comprobavit Deus miraculoſe, baptizatum ab infirmitate ſanando. Similiter de Stephano III. circa annum 754. qui non improbavit Baptiſmum collatum a quodam Presbytero in vino, de quo conſultus fuit Pontifex, imo iudicavit infantes ita baptizatos, in tali Baptiſmo relinquendos eſſe. Reſp. nihil ex his contra nos. Nam allatum miraculum non fuit comprobatio validitatis Baptiſmi, ſed compenſatio ardentis ipſius Baptiſmi voluntatis, ac proinde non eſt adſcribendum validirati Baptiſmi, ſed divinæ clementiæ intuitu pietatis, & fervoris, quo cum ſimplicitate ſic petebatur Baptiſmus, ac conferebatur. Hinc Dionyſius Alexandrinus (ut teſtatur idem Nicephorus) iuſſit Iudæum iſtum aqua baprizari. Illud vero Stephani a non paucis habetur ſuppoſititium, aut ſaltem dubium, quia Scriptores contemporanei nullam de caſu huiuſce Baptiſmi ſaciunt mentionem, & qui de eo loquuntur, alii attribuunt reſponſum Siricio, alii Stephano III alii Stephano Tournacenſi. Verum ſuppoſita etiam hyſtoriæ veritate, reſponſum Pontificis reſpicit ſolum Presbiteri actionem, air Habert, de qua erat quæſtio, & iudicat in talibus circumſtantiis non mereri pœnam excommunicationis. Ad illud vero de infantibus quod in tali Baptiſmo debeant permanere, volunt Eruditi, verba illa inſerta fuiſſe, vel ſaltem librariorum culpa mendum hoc irrepſiſſe. Verum quidquid ſit, non Eccleſiæ quæ ſemper tenuit non in alio liquore, quam in ſola aqua baptiſma eſſe miniſtrandum, ſed Pontificis cauſſam defendimus, ne ſcilicet videatur cum ram inſigni errore receſſiſſe a communi cæterorum Pontificum ſententia, qui omnes decreverunt non minus aquam, quam Sanctiſſimæ Trinitaris invocationem, neceſſariam eſſe ad Baptiſmi validitatem.

Dixi antea de aquis, ſeu liquoribus ex-

preſſis

Digitized by Google

preſſis ex herbis, ac floribus, ſaltem extra caſum neceſſitatis non eſſe materiam aptam baptiſmo; quia Chriſtus Dominus ſtatuit ſolam aquam naturalem pro Baptiſmi materia; & licet aquæ expreſſæ uſum aliquem aquæ retineant, communiter tamen dubitatur, an ſub nomine naturalis aquæ comprehendantur, ac proinde non ſine gravi culpa tali dubia materia, dum certa haberi poteſt, quis uti valet in Baptiſmi confectione. In caſu tamen extremæ neceſſitatis, ſeu in gravi mortis periculo, quando certa materia, ideſt naturalis aqua haberi nequit, tunc licitum eſt uti, imo adhibere tenemur qualemcumque dubiam materiam ſub hac conditione, *ſi hæc materia ſit ſufficiens*, & ad hoc ſufficit etiam tenuis probabilitas, ait hic P. Antoine, ut eſſet in ſupradictis liquoribus expreſſis, aliiſve, quæ ſpeciem aquæ præſeferunt, ipſiuſque uſum retinent; quia in neceſſitate ſubveniendum eſt proximo eo meliori modo, quo fieri poſſit. Quocirca in extrema neceſſitate iuxta multos baptizare tenemur etiam in aqua ex ſale reſoluta, in cervitia valde tenui &c. ſic tamen, ut ſi baptizatus ſupervixerit, iterum baptizandus ſit ſub conditione; *Si non es baptizatus &c.*

Ad licitam Baptiſmi adminiſtrationem adhibenda eſt aqua benedicta.

Verum tametſi quæcumque naturalis aqua, ſeu elementaris, & proprie dicta, ſit vera materia ad validam Baptiſmi adminiſtrationem iuxta Chriſti Domini auctoris Baptiſmi inſtitutionem, nihilominus ex Eccleſiæ inſtituto ad licitam huius Sacramenti collationem adhibenda eſt aqua ad hunc finem benedicta, in Sabbato ſancto vel vigilia Pentecoſtes, ſacro chriſmate permixta, quæ in ſacro Fonte mundo nitida, ac pura diligenter ſervatur, ut ex Ritual. Rom. tit. *de Baptiſm.* ita ut ſi quis extra caſum neceſſitatis in quo haberi non poſſet aqua benedicta, in aqua non benedicta ſeu prophana ſolemniter baptizaret, ex communi ſententia graviter delinqueret contra præceptum, uſumque Eccleſiæ, & debitam huic Sacramento reverentiam.

Hæc autem Eccleſiæ praxis ex Apoſtolorum traditione derivare colligitur, ex eo quod illius initium non legatur, & de ea veteres Patres loquantur, ut præcipue D. Dionyſius, qui floruit Apoſtolorum temporibus; & inter poſteriores PP. meminerunt de hac baptiſmalis Fontis benedictione S. Baſil. l. *de Spirit. Sancto* cap. 27. S. Cyprian. epiſt. *ad Ianuarium*, S. Ambroſius l. 1. *de Sacrament.* cap. 2. S. Auguſt. Homil. 27. & 30. aliive. Licet tamen differant Græci a Latinis, quod hi bis in anno aquam baptiſmalem conficiunt, & Græci quoties miniſtrandus eſt Baptiſmus; eandem tamen conſecrationis formam uſurparunt, ut conſtat ex Euchologio, quam a mille & amplius annis adhibent. Henn. Quod ſi contingat apud Latinos, ut aqua baptiſmalis corrumpatur, vel effluat, ſeu quovis alio modo deficiat, Parochus denuo in Fonte bene nitido, & mundo ſolita formula novam aquam conſecret. Si fuerit congelata curetur ut liquefiat; & ſi partim fuerit congelata & partim ſoluta, aut nimium frigida, poterit ipſi admiſceri parum naturalis calidæ in vaſe ad hoc parato, ut aliquantulum calefiat, ne infantulo noceat, ac ea uti ab baptizandum; ita ex Ritual. Rom.

Nota. Ritus benedicendi aquam baptiſmalem quoad modum, non fuit ſemper idem; nam uti habetur ex Patribus, prioribus quinque ſæculis erat magis ſimplex, conſiſtens in aliqua Oratione, in ſigno Crucis, & invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, aut Ieſu Chriſti; Auctor enim Conſtitutionum Apoſtolicarum loquens de hac cæremonia ait, quod Sacerdos pergens ad aquam baptiſmalem eam benedicit, Deum invocat, ac laudat, gratias ei reddit, ipſumque adorat. Poſt quintum ſæculum, & præcipue tempore S. Gregorii Magni additæ fuere aliæ cæremoniæ, quando iam inducta erat in uſu infuſio Chriſmatis in aqua baptiſmali in modum Crucis cum eadem aqua immixti, & immerſio Cerei Paſchalis cuius incertum eſt initium. Infuſione tamen chriſmatis complebatur benedictio, ita ut tunc temporis erat talis benedictio aquæ baptiſmalis fere eadem ac ea quæ hodie eſt in uſu. Hæc autem cæremonia fiebat magno apparatu, ut habetur de his omnibus in antiquo Sacramentario Gregoriano. Poſt benedictionem aquæ miniſtrabatur Baptiſma, ſed prius tamen, ſicuti nunc etiam eſt in uſu, Sacerdos aſpergebat aqua benedicta omnes adſtantes, & quiſque libere poterat de ea in vaſis accipere, domumque deferre, ac pie uti ad domos aſpergendas, atva contra turbines, aliaque infortunia; implebantur pariter ex ea pilæ ad fores Eccleſiæ, quæ poſt redditam Eccleſiæ pacem ex quo cœperunt publica templa ædificari, ubique ponebantur, ut ſignum eſſent purificationis ingredientibus, qui hac aqua frontem ſibi tingebant, aut præſervationis egredientibus. Talis tamen uſus fiebat antequam hæc aqua benedicta adhibita fuiſſet ad baptizandum, imo tantum curſu temporis excrevit erga hanc aquam reverentia, ut vetitum fuerit, ne

quis

quis de ea acciperet poſt Sacri Chriſmatis mixtionem, ut habetur ex Hugone Menardo in ſuis an notationibus in Sacramentario Gregoriano cap. 73. l. 2. Ita P. Chardonus in ſua hiſtoria de Sacramentis.

Nota quod quando S. Patres ita loquuntur de effectibus & neceſſitate aquæ benedictæ in collatione Baptiſmi, ut totam ſanctificationis vim eidem videantur tribuere, ut inter alios S. Cyrillus Hieroſolymit. dum ait; *quod ſicuti id quod ſuper altare profanum offertur, quamvis ex ſe ſimplex, fit immundum Dæmonum invocatione, ſic e contra aqua, quæ ex ſe eſt ſimplex elementum, invocatione Spiritus Sancti, Jeſu Chriſti, & Patris vim aquirit ſanctificandi*: quando PP. ita loquuntur, loquuntur potius de uſu ipſius aquæ cum forma Baptiſmi in collatione huius Sacramenti, quam de aqua ut benedicta, vel ſi de hac eos loqui velis, loquuntur emphaſi oratoria, ut extollant non virtutem quam habet etiam aqua pura, ideſt non benedicta, ſed eiuſdem aquæ benedictæ dignitatem; alias loquerentur contra communem Eccleſiæ ſenſum, quæ ſemper ſenſit, & docuit, validum eſſe Baptiſma etiam in aqua non benedicta collatum, ſicuti Chriſtus Dominus inſtituit. Nam benedictio aquæ baptiſmalis inſtituta, & ordinata fuit ab Eccleſia ad hoc ut maiorem excitaret in populis devotionem, ac reverentiam erga Baptiſmi Sacramentum.

§. VII.

De Diviſione Materiæ Baptiſmi.

Non ſecus ac in aliis Sacramentis, quæ in uſu ſeu actuali eorum adminiſtratione conſiſtunt, in Baptiſmo quoque, qui eiuſdem eſt conditionis, duplicem agnoſcunt Theologi materiam, quarum unam *remotam* vocant, & hæc eſt ipſa elementaris aqua; *proximam* alteram, & eſt ipſius aquæ actualis uſus, ſeu ipſius aquæ ad corpus baptizandi paſſiva applicatio, nempe ipſius actualis ablutio. Dicitur aqua naturalis materia remota Baptiſmi, eo quod aqua de ſe ſit magis adhuc indeterminata, remotiuſque ad baptiſmum ſe habeat, quam ipſa ablutio. Hanc vero diviſionem inter materiam proximam, & remotam, quæ communiter obtinuit apud omnes Theologos, Farvacquez noſtri ævi celeberrimus Theologus cenſet alienam eſſe a mente Conciliorum & Patrum, qui unicam tantum materiam, ideſt aquam præciſe ſine ulla diſtinctione remotæ, & proximæ agnoſcunt & prædicant in Baptiſmi Sacramento; eo quia aquæ applicatio ſive immerſio, ſive infuſio, ſive aſperſio, non ſit materia Baptiſmi, ſed actio baptizantis. Nihilominus tamen talis diſtinctio non ſine maximo fundamento inducta eſt in uſum a Theologis. Nam ſi a Philoſophis omnibus calamus dicitur ante ſcriptionem inſtrumentum ſcriptionis in actu primo, ſeu remotum, licet unice determinatus ſit ad ſcriptionem; in actuali vero ſcriptione inſtrumentum in actu ſecundo, ſeu proximum; ſic non eſt minor ratio quod aqua ante applicationem dici poſſit *materia remota*, & in applicatione *proxima*, utpote quæ ante applicationem non ingrediatur in compoſitionem Baptiſmi; imo indifferens ſit ad Baptiſmum & ad alios uſus; in applicatione vero ingrediatur formaliter. Et ſic res ſe habet in materia aliorum Sacramentorum, nempe quod res antequam applicetur dicatur materia *remota* Sacramenti, *proxima* in applicatione.

Materia igitur *proxima* Baptiſmi eſt ablutio, ſcilicet applicatio paſſiva, & immediata aquæ ad corpus, ut cenſeatur moraliter ablui. Nam illud eſt materia proxima Baptiſmi, quod cum forma intrinſece concurrit ad conficiendum Baptiſma. Cum igitur concurrat aqua ita applicata ad Baptiſmi compoſitionem, ut iam per ſe patet, hinc eſt proxima ipſius Baptiſmi materia. Hæc autem baptiſmalis ablutio, ſeu aquæ applicatio ſuper corpus fieri debet a Miniſtro ſucceſſive, ſucceſſione orta ex motu locali aquæ ad corpus, vel corporis ad aquam, ut communiter DD. quia talem inſtituit Chriſtus ablutionem, ut homo dici poſſit moraliter ablutus, quod ſane fieri nequit ſine ſucceſſivo aquæ contactu. Unde

Sequitur 1. nullum eſſe Baptiſma dum quis una, aut altera aſpergitur gutta, ſi aqua non defluat, cum talis dici queat aliquantulum, ſeu leviter madefactus, non vero ablutus; ſicuti etiam ſi quietus quis ſiſteret in aqua prorſus immota; quia tunc non fit ablutio, quæ ſignificat motum aliquem, vel aquæ ad corpus, vel corporis ad aquam. 2. hunc motum fieri debere ab ipſo baptizante, alias dicere non poſſet, *ego te baptizo*.

Sequitur 3. Reſolutionem nivis, aut glaciei factam ſolummodo in corpore baptizati, non eſſe ablutionem, quæ ſufficiat ad Baptiſmum; quia tunc materia aquæ cum fiat mediante calore baptizati, cenſetur fieri potius ab ipſo baptizato quam a baptizante; idcirco in praxi ante baptizationem debet Miniſter eam reſolvere.

Sequi-

Sequitur 4. non valere Baptiſmum, dum quis videns puerum labentem, aut proiectum in puteum, ſeu flumen, formam ordinariam ſuper ipſum proferat; quia cum talis ablutio procedere cenſeatur non a vidente, ſed ab alio, falſa eſſet forma; imo etiamſi forma eſſet prolata ab eo qui proiicit puerum in aquam; quia tali proiectione dici non poſſet quod illa puerum ablueret, ſicuti revera hoc poſſet dici, ſi eum proiceret cum funiculo. Hinc validum conficeret baptiſma Miniſter, qui ſubmitteret infantem aquæ e tecto defluenti; quia tunc ſubmittens cenſetur moraliter abluere; quod tamen in praxim duci nequit non urgente neceſſitate.

Sequitur 5. Non requiri ad Baptiſmum, ut pars corporis abluta reddatur a ſordibus libera; quia licet hoc requiratur ad mundationem corporis, non requiritur tamen ad mundationem ſpiritus, ad quam ſola ſufficit ablutio, ſive corpus mundetur, ſive non.

§. VIII.

De modis, quibus fieri poteſt ablutio in Baptiſmi collatione.

Triplex ſpecies ablutionis baptiſmalis. Ablutio baptiſmalis tripliciter fieri poteſt, immerſione videlicet trina, vel unica, infuſione, & aſperſione; prima quarum nempe immerſio fit per demerſionem totius corporis in aquam in quam adulti per ſe deſcendunt; altera ideſt infuſio per infuſionem aquæ ſupra corpus, vel ſuper aliquam ipſius partem. Tertia tandem per proiectionem aquæ ſuper unum, vel plures, ut contingit quando a Sacerdote aſpergitur populus, vel aliquid aliud aqua benedicta. Quia Chriſtus Dominus Baptiſmum inſtituit, ac fieri iuſſit ad modum ablutionis, cum ad hoc requiratur, ut non ſecus ac panni mundandi, res abluenda aqua madefiat, & ad hoc melius conferat rei abluendæ immerſio in aquam; imo Chriſtus Dominus per immerſionem a Ioanne Baptiſmum acceperit; hinc ab Apoſtolis, primis huius Sacramenti Miniſtris, conferri cœpit Baptiſma per immerſionem, & hanc trinam in aqua in nomine trium Trinitatis Perſonarum, ut comprobatur ex canone 50. Apoſtolorum, in quo ſtatuitur deponendum eſſe Sacerdotem qui trinam omitteret immerſionem, ac unam tantum faceret in memoriam mortis Chriſti. Hic autem mos perduravit uſque ad quartumdecimum ſæculum, & ultra.

Num vero immerſio ita neceſſaria ſit ad valorem Baptiſmi, ut alii duo modi, infuſio ſcilicet, & aſperſio non ſufficiant, controvertitur inter Græcos Schiſmaticos, & Latinos. Contendunt enim illi contra Eccleſiam latinam trinam immerſionem neceſſariam eſſe ſaltem ex divino præcepto. Hinc factum fuit, ut Marcus Epheſinus ſoluto Florentino Concilio, in quo conventum fuerat inter Græcos, & Latinos, ut unaquæque Eccleſia ſuum ritum ſervaret in Baptiſmi collatione, Græca ſcilicet trinam immerſionem, Latina infuſionem, in ſua Encyclica ad omnes Orbis Epiſcopos redarguit Occidentales, quod duo admiſerint Baptiſmata contra illud Apoſtol. Epheſior. 4. *Unum Baptiſma*.

Variæ ſunt rationes quibus Græci ſuam protegunt ſententiam, ideſt Baptiſmum apud Hebræos ſecundum ſuam etymologiam ſignificare immerſionem; Chriſtum Dominum per immerſionem baptizatum fuiſſe a Ioanne, ut Matth. 3. *Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua*. Per immerſionem Apoſtolos baptizaſſe. Baptiſmum celebrari in ſignum mortis, ac ſepulturæ Chriſti, ut Roman. 6. Tandem cenſendum eſſe divinitus traditum (notat Vincentius Lyrinenſis) quod ubique & ab omnibus fuit ſemper ſervatum, qualis eſt immerſio in Baptiſmate conferendo, cuius praxis ſervata eſt a tempore Apoſtolorum uſque ad Sæculum 13. in Eccleſia Latina, & in Græca adhuc ſervatur. Item SS. Patres expreſſe docent trinam immerſionem præceptam fuiſſe a Chriſto Domino. Ita S. Chriſoſtom. homil. *de fide*, Summus Pontifex Pelagius cap. *Multi* diſt. 4. de conſecrat. Theodoretus l. 4. Hæreticar. Fabularum cap. 3. qui arguit Eunomium de ſubverſione ritus Baptiſmi a Chriſto præcepti, ac ab Apoſtolis traditi, dum ait, opus non eſſe, ut baptizandus ter immergatur, aut Trinitas invocetur. Verum hiſce non obſtantibus indubitatum eſt, immerſionem ſive trinam ſive unicam neceſſariam non eſſe ad validitatem Baptiſmi, nec neceſſitate Sacramenti, nec divini præcepti, ſed ſufficere poſſe tum infuſionem, tum aſperſionem. Et in hoc nobiſcum conveniunt etiam Novatores, qui baptizant per infuſionem.

Contra Græcorum ſententiam nunc communiter ſuſtinent moderni Theologi, immerſionem nullatenus neceſſariam eſſe, ſed ſufficere infuſionem, vel aſperſionem ad validam Baptiſmi collationem. Et hoc probant variis exemplis etiam priorum quando invenitur adhibita aſperſio, & infuſio in collatione Baptiſmi, & primum exemplo D. Petri, qui cum uno die baptizaverit tria millia

lia hominum, & altera quinque millia, in tanta multitudine, & brevi ſpatio temporis certe nonniſi aſperſione, vel ſaltem infuſione hoc peragere potuit. Item S. Laurentii, qui, ut notat P. Martene, baptizavit Romanum militem, aqua ex urceo effuſa, ut referunt acta martyrii, & exhibet etiam nunc pictura pervetuſta poſita in Baſilica S. Laurentii in agro Verano, ubi exponitur Romanus tali modo ſuſcipiens lavacrum a S. Laurentio. Sic Gratialanus, Bacchus Iunior, Luidgerius Epiſcopus, ut ex eorum actis comprobatur, notat quidam Eruditus Scriptor, quod Baptiſmum recepere per infuſionem. Et ſic de aliis etiam habetur, puta de baptizatis in carcere, ut cuſtos carceris, & domus eius a D. Paulo, Actor. 16. & præcipue de Clinicis, ideſt de iis, qui diſferentes Baptiſmum ad ultimam ægritudinem, decumbentes baptizabantur in lecto infuſione certe, vel aſperſione, & neutiquam immerſione, quæ in talibus circumſtantiis fieri non poterat. Horum autem Baptiſma ſemper habitum fuit validum, & ratum, ut ex S. Cypriano, qui de hoc Baptiſmo in Epiſtol. apud Pamelium 79. ait; *nec quemquam movere debet quod aſpergi, vel perfundi videntur ægri cum gratiam Dominicam conſequuntur, quando Scriptura Sancta per Exechielem Prophetam loquatur, & dicat; & aſpergam ſuper vos aquam mundam.* Nec unquam ſancivit Eccleſia, ut ſi convaleſcerent iterum tingerentur: imo Concilium Neocæſarienſe can. 12. ad annum 314. aliaque poſteriora tale Baptiſma approbarunt, tametſi vetuit, baptizatos in ægritudine ordinari in Presbiteros; nam hoc factum fuit, quia viderentur potius initiati neceſſitate, quam ægritudine, ſive quod officia Sacerdotii explere non poſſent, quos ignaros fidei elementorum baptiſmum ſuſcipere ægritudo coegiſſet.

Et ratio manifeſta ſuffragatur noſtræ ſententiæ, nempe quod exiſtimarunt veteres modum abluendi reſpicere dumtaxat diſciplinam, ſeu ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem, in quo pro temporum, locorum, perſonarumque diverſitate admitti poteſt mutatio, cuius conditionis iidem veteres eſſe cenſuere immerſionem baptiſmalem, ut conſtat ex eorum teſtimoniis, præcipue Tertulliani l. de Pœnit. cap. 6. S. Cypriani cit. Epiſtol. ad Magnum circa Baptiſma Clinicorum per infuſionem, aliorumque. Et revera cum ad veritatem Baptiſmi requiratur vera ablutio, & hæc contingat ſive Baptiſmus conferatur per immerſionem, ſive vel infuſionem, vel aſperſionem, patet ad evidentiam, quod hi modi pertineant non ad valorem Sacramenti Baptiſmi, ſed ad diſciplinam, ac proinde ſine ullo præiudicio validitatis Sacramenti variari poſſint, dummodo vera forma, & reliqua, præcipue quoad naturam aquæ ſerventur.

Nota Traditiones alias eſſe quæ ſpectant ad regulam Fidei; & hæ inviolate ſunt cuſtodiendæ; alias quæ ſpectant ad ritum, & diſciplinam, & hæ pro temporum viciſſitudine mutationi ſeu variationi ſubiiciuntur.

Dicet forſan aliquis: Cornelius Papa conſultus a Fabiano Antiocheno, qui baptizaverat per aſperſionem, innuit ſe de tali Baptiſmo dubitare. Reſpondetur, Pontificem dubitaſſe de hoc Baptiſmo non quoad valorem, ſed quoad ipſius effectum, quia ille baptiſmum petierat in extremis, qui baptiſmum ſanus contempſerat.

Corruunt igitur rationes ſupra allatæ Græcorum pro neceſſitate immerſionis, & trinæ ad validitatem Baptiſmi. Et 1. illa ducta ab Ethimologia, quia Baptiſmus ſecundum Ethimologiam, & uſum nominis apud Iudæos importat, ſeu ſignificat ablutionem, ut antea diximus, quocumque modo fiat, non præciſe immerſionem, ut patet cum ex cap. 7. Marci, ubi lotiones urceorum, & lectorum dicuntur Baptiſmata; lecti certe per immerſionem non abluebantur; tum ex cap. 15. Matth. ubi arguuntur Diſcipuli, quod manus non lavent quando manducant.

Item ſecunda ex Baptiſmo Chriſti Domini per immerſionem; quia Chriſtus Dominus ſecutus eſt communem morem Iudæorum, ſicuti ſecundum eorum morem celebravit Euchariſtiam in vino aqua mixto, & in pane azimo, qui ſolus illis diebus in uſu erat apud Iudæos. Unde Chriſtus Dominus Baptiſmum inſtituit in immerſione, & Euchariſtiam in azimo tamquam in circumſtantiis non pertinentibus ad ſubſtantiam illorum Sacramentorum, ſed reliquit diſpoſitioni Eccleſiæ, vel retinere, vel commutare. Et hæc reſponſio militat etiam contra tertiam deductam ab ordinario Apoſtolorum uſu, & praxi. Dixi *Ordinario*, cum ut iam vidimus de D. Petro, & Paulo, baptizaverint etiam per infuſionem.

Quarta pariter ex illo Apoſtoli Rom. 6. Nam ibi Apoſtolus alludit quidem ad immerſionem, quæ illa ætate erat in uſu, ſicuti nunc Concionatores ex veſte alba qua veſtiuntur recenter baptizati, probant eos exuiſſe veterem hominem, & novum induiſ-

le,

ſe, ſed neutrum ſignum pertinet ad eſſentiam Sacramenti, quandoquidem illa ſufficienter exprimitur per ablutionem qua ſignificatur peccati deſtructio, & gratiæ ſanctificantis infuſio.

Quinta tandem de divino præcepto, quod arguit ex univerſali uſu, patet prorſus inſufiſtens; quia ſecundum antiquiores PP. immerſio, & trina, præcepta eſt a Chriſto Domino ratione rei ſignificatæ, non vero præciſe ratione ſui. Canon vero Apoſtolicum ſtatuens deponendum eſſe Presbyterum, qui ſemel in Baptiſmo mergit, non per hoc declarat nullum eſſe baptiſmum ſine trina merſione collatum, ſed tantummodo deponi eam non adhibentem, propterea quod nonnulli baptizabant non in nomine Trinitatis, ſed in nomine Chriſti mortui pro nobis, & ad hunc ritum inducendum utebantur una tantum immerſione. Sed hic verſatur difficultas potius ſuper numerum merſionum, quam ſuper ipſam merſionem, utraque quarum ut hactenus oſtendimus, non eſt neceſſaria ad ſubſtantiam Sacramenti, ita ut, dummodo cætera quæ ad eſſentiam pertinent huiuſce Sacramenti, ſerventur, ſemper validum eſt ſive fiat per immerſionem, ſive per infuſionem, aut aſperſionem, ſive hæc unica ſit, ſive trina, cum neuter horum rituum pertineat ad eſſentiam Baptiſmi, ad quam ſola & vera ablutio requiritur quocumque modo fiat, ſive ſemel, bis, aut ter, cum explicita invocatione Perſonarum SS. Trinitatis.

Acriter propugnarunt PP. prioribus ſæculis, ut divinitus traditam, trinam immerſionem in Baptiſmo, ut retunderent præſumptionem illorum Hæreticorum, qui negantes Trinitatem Perſonarum, ritum immutarunt in baptiſmate, omittendo in ipſius collatione Divinarum Perſonarum invocationem; unde in ſuſtinenda trina immerſione vindicare volebant Apoſtolicam Traditionem de tali Divinarum Perſonarum invocatione in Baptiſmo adminiſtrando, non oſtendere trinam immerſionem præciſe ratione ſui eſſe divinitus præſcriptam, ſed tantummodo ratione ſignificationis, hoc eſt Chriſtum voluiſſe, ut tres Divinæ Perſonæ neceſſario eſſent in Baptiſmo exprimendæ. Habert.

De Variatione ritus in Baptiſmo conferendo.

Circa 14. Sæculum, vel 15. prorſus immutatus fuit ritus conferrendi Baptiſmum relicta immerſione, quæ fere univerſim uſque ad illa tempora perduraverat. Et primum monumentum quod huiuſce variationis invenit P. Martene valde in antiquis Eccleſiæ ritibus verſatus, eſt Concil. Ravennæ celebratum anno 1311. quod concedit Miniſtro, ut libere poſſit conferre Baptiſmum in utroque modo, ſcilicet & immerſione, & infuſione, cum cæteroquin in permultis Pontificalibus, ac Ritualibus tum antiquis, tum modernis, uno excepto cuiuſdam Galliarum Eccleſiæ, in omnibus invenerit præſcriptum ritum trinæ immerſionis. Imo non obſtante libera conceſſione Concil. Ravennat. pro uſu infuſionis, nulla contingit immutatio; quia, ut refert D. Baillet, uſus immerſionis perſeveravit in Eccleſia uſque ad 15. Sæculum, quando infuſio communiter inducta fuit in uſum, & ſtatutum fuit, ut hæc pariter ad exemplum immerſionis fieret tripliciter.

Ratio autem quare immerſioni ſubſtituta fuerit infuſio, prætendit cit. Baillet, quod fuerit magna difficultas pro debitis præcautionibus in fæminarum Baptiſmo, ut incontaminatus ſervaretur religioſus pudor. Sed hæc eſt ratio nimis infirma, cum antea per tot ſæcula, quando in multo numero baptizabantur mulieres, adultæ, & ſtatim poſt homines, nullum contigerit inconveniens; unde multo minus hoc ſuſpicari poterat circa ſæculum 15. quando perraro contingebat etiam in magnis civitatibus adultas fæminas baptizare, & fere nunquam eodem caſu, quo homines adulti. Gaſpar vero Iuveninus alias affert rationes maioris momenti, quare Eccleſia poſt tot ſæcula amplexa ſit ritus baptizandi infuſione, relicta immerſione, & eam præcipue, quæ non eſt levis, ut proſpiceretur incolumitati tenellorum infantium, aliiſque incommodis, quæ inevitabilia in continuatione illius ritus videbantur.

De qualitate ablutionis, & parte abluenda.

Certum eſt, quod non indifferenter ſive immerſione, ſive infuſione nunc baptizare licet; ſed quiſque tenetur ſervare ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem, quæ ſicuti advertit D. Auguſtinus in epiſt. 54. *ad Ianuarium* n. 2. quando fidei non opponatur vel moribus, ſemper eſt ſervanda; & Baptiſteriorum forma ſcilicet ſervanda eſt, ideſt baptizando per infuſionem ubi talis eſt conſuetudo, & figura Baptiſterii ſuæ Eccleſiæ accommodata ſolæ infuſioni, & e contra.

Non ſufficit 1. ad Baptiſmi valorem, quod aqua attingat veſtes, aut capillos baptizandi, ſed neceſſe eſt, ut corpus eius perfundatur, alias non ipſe, ſed eius veſtes,

& capilli ablui dicerentur . Idcirco ad veram ablutionem requiritur contactus phyſiſicus, & immediata aquæ applicatio ad id quod abluitur; unde non ſufficit aquam applicare panniculis, nec utero materno in quo adhuc detinetur infans, nec ſecundinæ, quæ eſt pellicula qua ſubinde involuti naſcuntur infantes, cum hæc non ſit pars corporis infantis, ſed eius involucrum. Quare in praxi curandum eſt quod aqua in ea copia adhibeatur ut ad cutem perveniat, & qui baptizatur, merito, & ſecundum hominum æſtimationem cenſeatur ablutus. 2. debet ablui una ex præcipuis corporibus partibus, maxime vero caput in quo omnes ſenſus vigent, ex quo proinde principium animalis vitæ manifeſtatur, cum ſecundum Philoſophos reſideat rationalis anima in ea cerebri glandula, quam Anatomici vocant *Conarium*, excipiens animales ſpiritus, rerumque corporearum imagines. Hæc autem ablutio affinis eſt immerſioni, quia ita videtur homo ablui aquis, dummodo in quadam copia ſuper caput eius effluant. Unde ſic legitur in Rit. Rhem. 1595. *debet fieri trina immerſio ſuper caput eius*. Idcirco ſequitur, dubium eſſe Baptiſma in quo abluitur manus vel pes infantis, imo etiam aliqua pars notabilis, ut brachium, pectus &c. & graviter peccaret, qui extra caſum neceſſitatis non ablueret caput, quia exponeret Sacramentum periculo nullitatis. Unde Rituales communiter docent, in tali caſu renovandum eſſe ſub conditione; quia ex priori ablutione infans videtur ablutus, ſecundum quid, non ſimpliciter. Habert.

In caſu tamen neceſſitatis, puta ſi ex materno utero emitteret fœtus manum unam, pars quæ apparet, perfundenda eſt ſecundum Ritualis Romani præſcriptum, tit. *de Baptizand. parvul.* ubi hæc habentur. *Nemo in utero matris clauſus baptizari debet, ſed ſi Infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec poſtea ſi vivus evaſerit erit iterum baptizandus. At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicet motum in illo, ſi periculum impendat, baptizetur, & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus. Si vero ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco ſacro ſepeliri.* Similia habet S. Thom. q. 68. art. 11 ad 4. Ex hac præſcriptione intelligimus, non conſtare de validitate Baptiſmi ſi alia a capite pars abluatur; quandoquidem forma conditionalis adhibenda non eſt niſi re diligenter perveſtigata probabilis ſubſit dubitatio, ut monet cit. Ritual. tit. præcedenti.

An vero in Baptiſmate facto per immerſionem requiratur emerſio, diſcrepant Theologi, affirmantibus aliis, aliis vero quamplurimis negantibus, & hæc probabilior videtur, ac verior. Nam ad veram ablutionem requiritur ſolum immediata, ac ſucceſſiva aquæ corpori applicatio, orta ex motu locali, vel aquæ ſupra corpus, ut fit in effuſione & aſperſione, vel corporis ſuper aquam, & in aquam, ut in immerſione, ſive poſtea fiat emerſio, vel non. Et revera nec Chriſtus unquam hanc emerſionem ad valorem batiſmi requiſivit, ſed tantum ablutionem, nec fieri poteſt in Baptiſmo, qui hodie confertur per infuſionem, cum in hac nulla poſſit intervenire emerſio. Quocirca inferunt Theologi validum eſſe Baptiſmum infantis, quem quis in fluvium, aut puteum proiicit animo eum baptizandi, ſimulque emergendi, modo formam debitam proferat priuſquam aquis infans ſuffocetur; quia, aiunt, tunc adſunt materia, forma, & intentio, ſicuti ad valorem Sacramenti requiritur. Quidquid tamen ſit de veritate huius ſententiæ, certum eſt, non licere infantem ſic proiicere, etiamſi aliter baptizari nequeat, & timeatur ſtatim moriturus; quia hoc eſſet directe innocentem occidere, cum hæc immerſio ſit per ſe, & directe occiſiva infantis; ad ablutionem autem per accidens ex ſola intentione mergentis dirigatur.

Forma proferenda eſt ab abluente.

Nota quodſidem qui profert formam, debet etiam abluere, ac ablutionem cum prolatione formæ coniungere, ideſt forma proferri debet dum fit ablutio; alias forma eſſet falſa, & ideo Baptiſma nullum. Non eſt tamen neceſſe, quod prolatio formæ comitetur omnes tres immerſiones, aut infuſiones, ſi tres fiant; ſed ſatis eſt ut cum alterutra, ſive prima, ſive ſecunda, ſive tertia copuletur, & tunc ſi intra unam ſolam ablutionem abſolvatur forma, tunc aliæ ablutiones ſe habent per modum partium integralium, ut quandoque contingit in Extrema Unctione, ubi etiam unctiones omnes adhibentur. Sedulo tamen curandum, ut effuſiones &c. cum ipſa forma abſolvantur ſimul moraliter.

§. IX.

De forma Sacramenti Baptiſmi.

Non ſecus ac contra Materiam Baptiſmi, contra eius Formam quoque in varios lapſi ſunt errores Hæterodoxi, quibus formam huiuſce Sacramenti a Chriſto Domino traditam

Digitized by Google

tam infecerunt, ut Gnoſtici, Marcitæ, Montaniſtæ, Sabelliani, Paulianiſtæ, Photiniani, Eunomiani, Elceſei, Menandriani, nonnulli Bonoſiacorum, Arianorum, & etiam recentiorum, ut Lutherus, Zuinglius. Etenim vel admittebant hi Trinitatem in divinis, & formam adulterarunt, vel mutando propria Divinarum Perſonarum nomina quæ præſcribuntur in forma tradita a Chriſto Domino, vel creatas perſonas divinis adjungendo, ut Gnoſtici, Marcitæ, qui teſte S. Irenæo l. 1. cap. 21. alias 18. baptizabant *in nomine ignoti Patris univerſorum*, *in veritate matre omnium*, *in eo qui in Ieſum deſcendit*, *in unione*, *& redemptione*, *& communione virtutum*; vel negabant Trinitatem, & quaſdam ſibi formulas ſecundum impium eorum dogma ſibi fabricarunt, ut Ariani, qui cum negarent Filium eſſe unum Deum cum Patre, ideſt Patri conſubſtantialem, hac forma utebantur: *Ego te baptizo in nomine Patris per Filium* (quaſi inſtrumentum, & creaturam) *in Spiritu Sancto*. Denique licet Novatores adhibeant eamdem apud nos uſitatam formam, errant tamen quam maxime circa eamdem, dum exiſtimant illam minime eſſe neceſſariam, cum putent ſola fide aprehendi iuſtitiam, nec alias conferri vi Sacramenti. Unde ait Zuinglius l. *de vera, & falſa Religione*, valere Baptiſma quocumque modo conferatur ſine ulla prolatione formæ; quia baptizari in Dei nomine nihil aliud importat, quam per fidem in Deum inſeri. Et ſimilia habet Lutherus l. *de Capti. Babilon.* cap. *de Baptiſmo*, ubi ulterius contendit, quod ſi Baptiſma quis in nomine Dæmonis conferret, & baptizatus in nomine Domini reciperet, valeret Baptiſmus. P. Henn.

Quidquid tamen ſit de Hæreticorum deliramentis, certiſſima eſt & de fide ea forma, quam Eccleſia in baptizando perpetuo & conſtanter ſervavit, nempe; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, tametſi aliqua accidentali diverſitate exprimatur a Græcis, ac a Latinis; videlicet pro eo quod dicitur in Eccleſia Latina, *Ego te baptizo*, dici ſoleat in Græca, *baptizetur*, ſeu *baptizatur ſervus Chriſti*, addito etiam nomine eius qui baptizatur.

Hanc autem formam tenet Eccleſia acceptam ex Apoſtolica Traditione iuxta præſcriptum Chriſti Domini ad Diſcipulos poſt reſurrectionem, quibus ait Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Verum quidem eſt, quoſdam recentiores putare, hanc formam non habere Eccleſiam ex Scripturis, ſed ex ſola Traditione, eo quia cenſeant, verbis illis Chriſti Domini non ſignificatum eſſe quæ verba in baptizando adhibenda ſint, ſed ſolum præceptum fuiſſe, ut in nomine, ſeu virtute Trinitatis baptizarent. Veteres tamen diſſerentes de verborum neceſſitate, ex laudato loco Matth. plerumque probationem depromunt, inter quos S. Baſilius cap. 12. *de Spirit. Sanct.* S. Auguſt. l. 3. *contra Donat.* cap. 10. 14. & l. 7. cap. 53. dicens, Baptiſmum non eſſe ratum, niſi verbis Evangelicis conſecratum. Imo Eccleſia ex allatis verbis ſemper intellexit baptizandum eſſe ſub forma ſupra allegata.

Quare neceſſario, & eſſentialiter requiritur, ut in forma Baptiſmi fiat expreſſa invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, ita ut invalidum ſit Baptiſma, ſi abſque diſtincta divinarum Perſonarum invocatione conferatur; & hoc patet ex ſupra allato Matth. textu, ubi præcipit Chriſtus Dominus ſuis Diſcipulis, ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et hoc etiam communi conſenſu Patres omnes tradidere, inter quos expreſſe docet S. Auguſt. l. 6. *de Baptiſm.* cap. 25. dari *certa evangelica verba*, non alia utique quam iſta; *In nomine Patris &c.* ut habet l. 3. cap. 15. ſine quibus *conſecrari non poteſt*: & ſic loquuntur alii PP. tum Græci tum Latini, quorum teſtimonia brevitatis gratia hic congerere prætermitto. Hoc docet perpetua praxis univerſalis Eccleſiæ, Græcæ ſcilicet, & Latinæ, utraque quarum non alia forma ab initio uſque ad præſentem diem conſuevit Baptiſmum adminiſtrare, imo ſemper reiecit hæreticorum baptiſma ſine invocatione SS. Trinitatis collatum, & illud approbavit in quo fit talis divinarum Perſonarum diſtincta invocatio. Sic Concilium Nicænum ratum habuit Baptiſma Novatianorum, irritum Paulianiſtarum, & canon 49. Apoſtolorum veluti interpretans de forma verborum laudatum locum Matth. 28. reiecit baptiſmum in morte Domini collatum, ita ſubiungens: *Non enim dixit nobis Dominus: in morte mea baptizate, ſed euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine &c.*

Hanc vero univerſalis Eccleſiæ ſententiam de invaliditate Baptiſmi collati ſine expreſſa invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, confirmat ipſa Apoſtolorum praxis, qui ut ipſe Chriſtus Dominus præceperat, nonniſi ſub diſtincta Divinæ Trinitatis Perſonarum invocatione Baptiſma contulere. Ex quo patet,

tet, quod non ſolum nunc, ſed nunquam ratum fuit Baptiſma ſine Trinitaris invocatione. Docent enim PP. & nominatim Baſilius l. *de Spiritu Sancto* cap. 12. ex Chriſti præcepto, & immobili traditione acceptam hanc formam in Eccleſia retineri; præceptum intelligunt datum Matth. 28.

Unde iure merito maior celebriorum Theologorum pars, contra plures alios inſignis pariter notæ, ſuſtinent, Apoſtolos nunquam Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine contuliſſe; & ſic non ſolum nunc ratum eſſe non poſſe, ut volebat Caietanus, ſed nunquam ratum fuiſſe Baptiſma collatum in ſolo Chriſti nomine, omiſſa diſtincta Divinarum SS. Trinitatis Perſonarum invocatione; & hoc patet tum ex Scriptura, tum ex SS. Patribus priorum ſæculorum. Ex Scriptura plane, cum Actor. 19. miratur Paulus quod Epheſii reſpondiſſent, ſe neſcive, an eſſet Spiritus Sanctus, ita eos interrogavit, *In quo ergo baptizati eſtis?* Unde clare innuit D. Paulus, morem fuiſſe apud Apoſtolos baptizandi invocando Spiritum Sanctum, ac proinde alias ſimul duas perſonas.

Verum quidem eſt, quod variis in locis divinæ Scripturæ dicuntur Apoſtoli baptizaſſe in nomine Chriſti Domini, ita ut videantur ſola huiuſce nominis invocatione Baptiſmum miniſtraſſe, ſicuti habetur expreſſe Actor. 8. & 19. Rom. 6. ubi dicitur; *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus*; & Actor. 22. commemorat Paulus, ſibi dixiſſe Ananiam: *Baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipſius*, ſcilicet Chriſti; & ita pariter ſenſiſſe videntur aliqui ex Patribus, inter quos S. Ambroſius, qui l. *de Spirit. Sanct.* aſſerit, Eunuchum baptizatum in Chriſto conſecutum fuiſſe plenum myſterium. Sic D. Bernardus, qui ſæculo 12. interrogatus de puero, quem ob periculum mortis laicus baptizaverat dicens; *Baptizo te in nomine Dei, & veræ Crucis*, reſpondet Epiſt. 43. aliis 340. his verbis: *Ego vero hunc Baptiſmum puto; nec ſonum vocis veritati Fidei, & pietati intentionis præiudicare debuiſſe*. Habert. Verum ut advertit hic Eſtius, ipſa ſermonis nonnulla varietas ſatis admonet, non hic ſignificari certam verborum formulam, qua uſi fuerint Apoſtolis in baptizando. Deinde ſubiungit, quod ex aliquot aliis locis, præcipue Actor. facile intelligi poteſt, quod ea phraſis *in nomine huius, vel illius* ſignificet virtutem, auctoritatem, meritum, aut nomen pro re nominata. Sic Actor. 4. Petrus ſignificat ſe in Chriſti virtute ſanare infirmum: *In nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ambula*. Sic auctoritas explicatur Ioannis 5. & 10. ubi Chriſtus dicit ſe veniſſe, & operari in nomine Patris ſui. Meritum ſignificatur Actor. 10. his verbis; *Remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*. Nomen porro ſæpiſſime accipitur in divinis litteris pro re nominata, ut Actor. 4. *Non eſt aliud nomen ſub Cælo datum &c.* Quatuor igitur modis intelligi poteſt Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti, videlicet vel per virtutem eius, vel eius auctoritate, vel per meritum eius, vel in ipſo Chriſto, ideſt baptiſmo Chriſti, in quo ſenſu loquitur Paulus allegato loc Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu &c.* & ſecundum aliquem ex his modis intelligenda ſunt allata teſtimonia, non alias, quod pro forma Baptiſmi uſi ſint invocatione ipſius nominis tantum, relicta invocatione divinarum Perſonarum Trinitatis. Et ſic etiam intelligendi ſunt PP. qui tali phraſi loquuntur, ut appoſite ait. S. Auguſtinus l. 3. *contra Maximum* cap. 17. *Qui in nomine Ieſu iuſſi ſunt baptizari, intelliguntur non baptizati niſi in nomine Patris, & Filii &c.*

Ad teſtimonium autem D. Pauli Actor. 22. *Baptizare, & ablue &c. invocato nomine ipſius*. Reſpond. invocationem non eſſe referendam ad baptizantem, ſed ad baptizandum, ut ex Græco, ſicut notat Eſtius, clarum eſt.

Ad illud D. Ambroſii reſpondet Habert, ipſum clare requirere l. *de Myſteriis* cap. 4. ad veritatem Baptiſmi in Miniſtro expreſſam trium divinarum Perſonarum invocationem; quare ne ſibi contrarius videatur loco ſupra laudato cæteroquin valde difficili, dicendum eo loci non de baptizantis, ſed de baptizati fide loqui, velleque ſolum, baptizandum, ut effectum Sacramenti conſequatur, debere credere myſterium SS. Trinitatis; & hanc ſuam fidem ſatis exprimere, ſi interrogationibus Miniſtri reſpondeat, quod credit in Patrem, vel in Filium, vel in Spiritum Sanctum, quia nominando unam perſonam ſatis intelligitur alias credere.

Ad epiſtolam tandem D. Bernardi Reſp. paſſim haberi utſpuriam, ac veris furtim adiectam; & admiſſo etiam quod ſit genuina, quid privata huius S. P. opinio contra torrentem Patrum aliter ſentientium? Et eo vel maxime, quod S. D. ita modeſte ſingularem ſuam opinionem protulit, ut eam ſapientiorum iudicio ſubiiciat; *ſine præiudicio*, inquit, *ſanius ſapientis*.

Unde

Unde improbabiliter ſentire videntur, qui volunt, Apoſtolos ſaltem initio ſuæ prædicationis poſt acceptum Spiritum Sanctum, ut nomen Chriſti illuſtrius, amabiliuſque redderent, divina diſpenſatione ſic baptizaſſe, ut ſolum Chriſti nomen exprimerent; quandoquidem huiuſce diſpenſationis nullum nec in Scripturis, nec in Traditione extat veſtigium, cum ex oppoſito manifeſtiſſimum ſit in Evangelio præceptum factum a Chriſto Domino Diſcipulis baptizandi in nomine Divinarum Trinitatis Perſonarum. Non enim opus erat exprimere inter baptizandum Chriſti nomen, ut cognitum fieret, & venerabile, cum non deeſſent alia media, & ſere infinita ad hunc finem, puta quod ad huiuſce nominis invocationem claudi greſſum, cæci viſum, ægri ſanitatem, mortui vitam reciperent; imo illud etiam conſequebantur Apoſtoli aſſidua prædicatione fidei Chriſti Redemptoris, & catechiſmo, ac inſtructione, qua antecedenter ad Baptiſma de tali fide in Chriſtum baptizandos edocebant. Eſtius.

Dicet aliquis. Si ex eo quod Chriſtus præcipiat baptizantes baptizare in nomine Patris &c. tenemur exprimere in Baptiſmo tres divinas Perſonas; cum Scriptura præcipiat, ut omnia faciamus in nomine Ieſu Chriſti, tenebimur exprimere in Baptiſmo vocem hanc *in nomine Ieſu Chriſti*. Reſp. negative: Primum enim præceptum eſt Sacramentale de forma Sacramenti, quæ in verbis conſiſtit, partemque conſtituit Sacramenti: ſecundum autem eſt morale, de intentione, ſeu fine, quem operans proponere ſibi debet in ſuis operibus, & qui ſine verbis haberi poteſt.

Solet hic opponi reſponſum Nicolai I. ad conſulta Bulgarorum, in quo videtur aſſerere, validum eſſe baptiſma in ſolius Chriſti nomine collatum. Verum reſpondent Theologi, S. Pontificem obiter loquutum fuiſſe in ſua reſponſione veluti Doctorem privatum, & ſic errori fuiſſe obnoxium; & ipſe S. Thom. aliive fatentur, in hoc negotio erraſſe, eſtó nihil interea in re hac, ut Pontifex, determinaverit.

§. X.

De vocibus formæ, quæ neceſſario exprimendæ ſunt ad Baptiſmi validitatem.

Certum eſt 1. præter diſtinctam divinarum Perſonarum prolationem, exprimendam eſſe in forma Baptiſmi, ſaltem indirecte, actionem baptizantis, ideſt vox *baptizo*, aut alia æquivalens; & hoc definitum fuit ab Alexandro III. *Extrav. de Baptiſm.* eiuſque effectu cap. 1. ubi reſolvit, eum qui ter immergens puerum relinquit *Ego te baptizo*, licet dicat *in nomine Patris &c.* non baptizare; & Alexand. VIII. proſcripſit propoſitionem, quæ n. eſt 27. *Valuit aliquando Baptiſmus collatus ſub hac forma: in nomine Patris &c. prætermiſſis illis: Ego te baptizo.* Et ratio eſt; quia cum immerſio in aquam, vel aquæ ſupra caput infuſio, ſit indifferens tam ad abluendum, quam ad refrigerandum, ut cenſeatur lotio potius, quam refrigeratio, debet ad hoc per formam determinari, ac ideo in ea exprimenda eſt actio Baptizantis, & non refrigerantis, ut ſignificetur aquam ad abluendum adhiberi; & eo vel maxime quod Eccleſia ex verbis Chriſti *baptizantes eos* illam actionem ſemper apprehendit neceſſario eſſe exprimendam.

Dixi *ſaltem indirecte*; quia in hac Græcorum forma approbata a Florentino: *Baptizatur talis ſervus Chriſti*, non ponitur directe perſona baptizantis. Idcirco invalida eſſet hæc Baptiſmi forma; *Baptiza Petrum*; quia nec directe, nec indirecte exprimitur perſona baptizantis. Probabiles tamen videntur (licet in praxi vitandæ) ſequentes formæ; *Baptizet te Chriſtus*; *baptizeris a Chriſto*; nam tametſi videatur tota actio Chriſto attribui, ſatis colligitur ex circumſtantiis etiam miniſterialiter attribui baptizanti.

Græci uſi ſunt forma antea laudata, *baptizetur*, *vel baptizatur talis ſervus Chriſti* ad refellendam ſuperbiam Hæreticorum, ſe ipſos primarios Miniſtros, vel etiam auctores Sacramentorum conſtituentium, ut colligitur ex S. Auguſt. l. 50. Homil. 23. Latini vero, quia de Chriſto principali omnium Sacramentorum auctore orthodoxe ſemper ſenſerunt, activum quoque loquendi modum ſemper retinuerunt.

Item exprimenda eſt perſona baptizandi, & quidem in actu ſignato ait P. Henn. per pronomen *te*, aut æquivalens; & eſt communis DD. ac omnium Catholicorum doctrina, qui talem expreſſionem habent de eſſentia formæ, ut irritum cenſeant Baptiſmum, ubi hæc deficiat expreſſio. Et hoc colligitur ex cit. loco Matth. *Baptizantes eos*, & ex Eccleſiæ praxi, & traditione. Idcirco Florentinum in Decret. alias citato, ut indicaret neceſſariam eſſe ſignatam perſonæ baptizandæ expreſſionem, non habet ſimpliciter: *Baptizetur ſervus Chriſti*, ſed *baptizetur talis ſervus Ieſu Chriſti*. Alexander item III. exeunte 12. ſæculo in ſuo Decret.

de Baptiſmo, & eius effectu hoc definivit his verbis ; *Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris &c. non dixerit ; Ego te baptizo in nomine &c. puer non eſt baptizatus* : & hoc confirmat etiam ſupra allegata præſcriptio Alexand. VIII. popoſit. 27.

Dixi *aut æquivalens* : unde non impediret Baptiſmi validitatem, licet praxi Eccleſiæ graviter forſan obliganti adverſaretur, qui diceret ; *Baptizo te præſentem*, *baptizo Petrum* ; *baptizo hunc* : *a me baptizaris*. Item ſi adulationis, aut honoris cauſſa diceret : *Baptizo Dominationem veſtram*, ac ſimilia.

Nota ; quod licet Græcorum forma valida ſit, ut conſtat ex Florentino Concil. quod eam approbavit, peccaret tamen Latinus ſi ea uteretur ; ſicuti etiam peccaret Græcus ſi formam latinam adhiberet : quia uterque adverſaretur ritui, ac conſuetudini ſuæ Eccleſiæ, quæ cum ſit altera lex, graviter obligat in re gravi, ſicuti eſt variare formam Sacramentorum contra legitimum ritum Eccleſiæ in qua verſatur.

Si relinquatur particula *in*, puta ſi dicatur, *baptizo te nomine Patris &c.* forma nulla eſt, & invalida, ut cum communi docet Henn. quidquid in contrarium ſentiant Coninch, aliique, putantes quod iam ſubintelligatur ; quia omiſſio vocis *in* variat omnino ſenſum, ac inſinuat Miniſtrum baptizare vice Patris &c. cum baptizare debeat in auctoritate Patris.

Idemque dicito de ſuppreſſione particulæ copulativæ *&*, ut ſi pro forma dicatur : *Ego te baptizo in nomine Patris Filii Spiritus Sancti*, cum ſublata tali particula non ſatis exprimatur diſtinctio Perſonarum, qua omiſſa non ſubſiſtit Baptiſma ; nec ſufficienter ſuffragaretur, etiamſi per commata unam Perſonam ab alia ſeiungeret, ut v. g. *in nomine Patris*, *Filii*, *Spiritus Sancti*. Ita ſentiendum eſt poſt Iræneum, Chryſoſtomum, Gregorium, quia ſaltem dubietatem parit, ac proinde huiuſcemodi formæ expreſſio eſt vitanda. Omittens vero *Amen* non peccaret, quia licet in Rituali Leonis X. legatur : tamen nec in verbis Chriſti, nec in Rituali Romano hæc vox reperitur.

De variatione verborum formæ, quæ ipſam invalidare poſſit.

Triplici- ter muta- ri ſeu va- riari pot- eſt forma Baptiſ- mi. Nota variationem formæ fieri poſſe vel immutatione verborum, vel detractione, vel tranſpoſitione. In his omnibus contingit formam manere eandem ſecundum ſubſtantiam, & vitiati. Si enim mutatis verbis additis, detractis, tranſpoſitis idem ſenſus ſervatur, cenſetur manere forma integra, ac ideo valida ; ſi vero ſenſus mutetur, non eſt forma eadem, ac proinde eſt invalida : & hanc doctrinam melius exempla illuſtrabunt. Primo ſi verba ſumantur ſynonima, ut Græca, vel Hebraica, vel Gallica pro latinis non vitiatur forma. Neque item ſi quis diceret ; *Ego te abluo*, *vel tingo in nomine &c.* latinum nomen ſubſtituens pro Græco.

Si autem quis baptizet in nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati ſeu flaminis, ſeu procedentis ab utroque, putant quidam ratum eſſe baptiſma, eo quod pro ſynonimis communibus habeantur. Communior tamen ſententia eſt, non fore validum, eo quia proprie non ſint ſynonima, utpote ſignificantia Perſonas non ut Perſonas, ideſt non ſub ratione ſubſiſtentium, ſeu perſonarum, ſed proprietatum.

Item ſi quis diceret *in nomine Patris maioris*, *Filii ſecundum humanitatem minoris*, non vitiaretur forma, ſed additione quadam extenderetur, & explicaretur ; multoque minus vitiaretur dicendo *In nomine Patris Omnipotentis*, *& Filii Redemptoris*, *& Spiritus Sancti Paracliti*.

Si quis addat baptizando conditionem, quæ non exiſtit, puta dicendo, *Si ego ſum omnipotens*, vel *ſi tu es ſine peccato*, nullum fit Baptiſma. Itidem ſi quis copulativam coniunctionem mutet in disiunctivam dicendo ; *In nomine Patris*, *vel Filii*, nullum eſt Baptiſma. Si interponat quis verba impertinentia, quæ ad alium ſermonem divertant, ſi tanta non ſint, ut non tollant continuationem ſermonis inchoati, quoad eius ſignificationem integra manet forma ; ſi vero ſecus, non remanet.

Si quid autem eorum ſubtrahatur, quod, ut iam diximus antea, ad ſubſtantiam formæ requiratur, iam evidens eſt nullatenus effici Baptiſma. Quod ſi ex quadam linguæ præcipitantia vel ſermonis imperitia omittatur littera, vel ſyllaba, non per hoc deſtruitur forma, cum hoc ſufficiat ad exprimendum conceptum, licet tamen reverentia Sacramenti poſtulet, ut integre, & diſtincte verba pronuncientur. Unde mutatio quæ oritur ex ſola ſermonis incongruitate, non deſtruit formam, dummodo tanta non ſit, ut ex verbis percipi non poſſit ſenſus per ea ſignificatus ; & ita declaravit Zaccharias Pontifex in ſuo reſcripto ad Bonifacium, ut refert Gratianus *de Conſecrat. diſtinct.* 4. *cap. Retulerunt*.

Tranſpoſitio autem verborum per ſe non vitiat formam, ut ſi dicatur *In Patris*, *&*

Fi-

Filii , & Spiritus Sancti nomine ego te baptizo ; nec ſimiliter ſi Perſonarum inter ſe ordinem convertas ; quia tametſi conveniens ſit , quod in prolatione ordo Perſonarum ſecundum originem ſervetur , & ſi ſecus faciat , graviter miniſter peccet , id tamen neceſſarium non videtur ex parte Sacramenti, quia perſonæ quocumque ordine nominatæ ſunt unum efficiens principium in Baptiſmo, & ſub ea ratione ibi nominantur. Quod ſi tranſpoſitio ſenſum immutet , non iam cenſebitur forma ſuam ſubſtantiam , valoremque retinere.

Adſunt aliæ quoque mutationes circa formam, veluti ſi dicas , *in nomen Patris &c.* quæ mutatio non corrumpit formam : ſi vero dicatur *in nomina , vel in nominibus Patris , & Filii &c.* tunc & Magiſter , & S. Thom. ac plerique alii credunt ſenſum formæ corrumpi, & invalidari , dividendo poteſtatem in Deo , quæ per nomen ſignificatur : Secus vero ſi dicatur ; *In nomine Patris , & in nomine Filii , & in nomine Spiritus Sancti* , quia poſt unum idemque vocabulum *nomen* omnium trium Perſonarum ter repetitum idem intelligitur ac ſi dicatur, *in nomine Dei Patris , & Dei Filii , & Dei Spiritus Sancti* , ubi non plures Dei , ſed unus Deus intelligeretur. Inſuper dicere quis poſſet : *Ego te baptizo in Patre , & Filio , & Spiritu Sancto* , aut *in nomine Patris per Filium , & Spiritum Sanctum* , vel *in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , & B. Mariæ Virginis*, aut alterius quartæ perſonæ ; aut in fine addendo , *& inæqualium perſonarum* . Primo modo validus videtur Baptiſmus tali forma collatus eo quod ſervetur expreſſa invocatio Trinitatis , nec quicquam erroris immiſceatur , niſi forte quis putet Trinitatis unitatem per *nomen* ſignificatam neceſſario exprimendam eſſe , de quo quidem non habetur certa probatio. Secundo autem modo validus non apparet ex miraculo aquæ diſparentis , quod refert Nicephorus l. 19. cap. 35. Tertio modo pariter ſi fiat invalide, fit propter adiunctionem erroris , quo præcedentium verborum ſententia ſubvertitur. Eſtius

Invalida eſſet pariter forma , ſi omiſſa Perſonarum diſtincta invocatione baptizaret quis in nomine ſoſius Trinitatis , ita ut diceret ; *Ego te baptizo in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis* ; quia ex ſæpe laudato teſtimonio Matth. 28. præceptum habetur a Chriſto Domino , baptizandum eſſe invocatione ſingularum Perſonarum divinæ Trinitatis ; *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* & talis , ut vidimus, eſt Traditio , & perpetua praxis univerſalis Eccleſiæ.

§. XI.

De Miniſtro Sacramenti Baptiſmi.

Non diſcrepat in hoc puncto a Catholicis inter Novatores Lutherus , ſed recedit Calvinus , qui , ut habetur in eius libro Inſtitut. cap. 15. §. 20. & ſequent. in quovis etiam extremæ neceſſitatis caſu vult ſolos Miniſtros Eccleſiæ ordinatos ad hoc & vocatos , poſſe Baptiſmum conferre , & huic conſonat Beza q. 140. de Sacram. & hic perniciofiſſimus ſive etiam error , ſive ſolus uſus invaluit apud Græcos Schiſmaticos , ut ex Arcudio cap. 11. de Bap. ductos forſan , ut notat hic Habert , ex illo quod ſcribit S. Baſilius in ſua Epiſt. *ad Amphilochium* ; quod ſane teſtimonium in hac parte nullum eſt , eo quia adhæreat errori Cypriani , & Firmiliani contra Stephanum Papam.

Nota 1. hic non agi de Miniſtro primario Baptiſmi, qui , ut iam vidimus dum ageremus de Sacramentis in genere , eſt Chriſtus Dominus principalis omnium Sacramentorum Miniſter , ſed de ſecundario , & hic iuxta Eccleſiæ ſententiam , & praxim duplex eſt , unus dicitur ſolemnitatis , & ordinarius ; alter neceſſitatis , & extraordinarius. Miniſter ſolemnitatis ille intelligitur , qui cum ſolitis Eccleſiæ cæremoniis publice, ut Miniſter ad hoc ordinatus , Baptiſmum miniſtrat. Neceſſitatis vero , & extraordinarius , qui urgente neceſſitate, ideſt in caſu mortis imminentis, dum prompte haberi non poteſt Miniſter ordinarius , Sacerdos ſcilicet , vel Diaconus , ſine ſolitis cæremoniis private baptizat.

Nota 2. Aliud eſſe baptizare valide , aliud baptizare licite. Primum enim tantum importat quod ponantur requiſita ad ſubſtantiam Baptiſmi , videlicet legitima forma , & materia , præſcindendo a culpa , quam quis poſſit incurrere in baptizando, ut contingeret ſi laicus baptizare vellet, dum adeſt Sacerdos & Parochus. Secundum vero importat quod ponantur requiſita ad baptiſmum ſine peccato , ut contingit in Miniſtro ordinario baptizante ſine conſcientia peccati mortalis , vel in extraordinario baptizante in caſu neceſſitatis ob defectum Miniſtri ordinarii. Hiſce prænotatis ſit. Aliud baptizare valide, aliud licite.

Quilibet homo viator , qui uſum habet rationis , capax proferendi formam , & adhibendi materiam , ſive vir ſit , ſive mulier, fidelis , aut infidelis , aut hæreticus , baptizatus

vel non, valide in omni caſu; & in caſu neceſſitatis, ſi ordinarius deficiat Miniſter, licite etiam, ſine tamen ſolemnitate, baptizare poteſt. Nam hæc fuit Chriſti voluntas, quæ nobis manifeſtatur ex Scriptura, Patribus, & Conciliis, & ex perpetua Eccleſiæ praxi. Ex Scriptura utique; quia Apoſtoli baptizarunt adhuc laici, priuſquam nempe ordinarentur. Ioann. 4. D. Paulus baptizatus fuit ab Anania, qui a pluribus creditur laicus. Ex Traditione, eo quia Nicolaus I. in ſua reſponſione ad Bulgaros docet, validum, ratumque eſſe Baptiſmum collatum a Iudæo, & Pagano. Et plura Concilia approbaverunt ut validum Baptiſmum etiam a laico collatum, ut inter alia Lateranenſe IV. quod cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate, §. *Una vero*, ita habet; *Sacramentum Baptiſmi a quocumque rite collatum proficit ad ſalutem*. Et Concil. Florentinum in Inſtructione Armenor. diſtinctius rem explicat dum ait; *In caſu autem neceſſitatis non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam Laicus vel Mulier, imo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt*. Idemque definivit cap. *Quodam*, Cauſſ. 1. *q.* 1. *n.* 97. Hinc præcipitur Paſtoribus, ut inſtruant Obſtetrices de ſervandis in Baptiſmo in caſu neceſſitatis ab ipſis conferendo. Ly vero *in caſu neceſſitatis* notat, validam & licitam a quocumque Baptiſmi collationem; de valida vero etiam extra caſum neceſſitatis docet perpetua Eccleſiæ praxis, quæ dum legitima adhibita fuerit materia, & forma, ſemper approbavit Baptiſma collatum ab Infideli, & Hæretico, vetando ne huiuſcemodi Baptiſmata iterarentur, ut contra S. Cyprianum & Firmilianum acriter ſuſtinuit Stephanus Papa. Et equidem valde congruum erat, ut dum agetur de Sacramento tantæ neceſſitatis, ſine quo in re, vel in voto adulti, in re autem parvuli deſiderium Baptiſmi concipiendi incapaces, æternam ſalutem conſequi nequeunt, redderetur omni meliori modo facilis, ac commoda eius adminiſtratio.

§. XII.

De ſolemni ordinario Baptiſmi Miniſtro.

Solus Sacerdos, ſive Epiſcopus ſit, ſive Presbiter eſt ordinarius Miniſter Baptiſmi ſolemniter conferendi, Diaconus vero extraordinarius.

Et quoad primum patet ex illo Matth. 28. ubi videtur, Chriſtum Dominum demandaſſe munus baptizandi ſolis Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus; ait enim Apoſtolis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Verum cum ſolemniter baptizare, ſicuti & alia Sacramenta miniſtrare, ſit actus ſpiritualiter paſcentis, & hoc officium non omnibus Sacerdotibus indiſcriminatim conveniat, ſed iis quibus utpote ad hoc deſtinatis commiſſum eſt populorum regimen, quales ſunt Pontifex, Epiſcopus, aliive inferiorum Eccleſiarum, ſeu Parochialium Rectores, ſeu Parochi; hinc ex uſu etiam loquendi hi dici ſolent ordinarii ſolemnis Baptiſmi Miniſtri, qui ex eorum deputatione ad munera paſtoralia præter poteſtatem *ordinis* ſicuti habent alii Sacerdotes, eam ſimul teneant poteſtatem, quæ dicitur *iuriſdictionis*, qua alii Sacerdotes carent; ac proinde iſti ſine gravi culpa nequeunt Baptiſmum ſolemniter miniſtrare, & etiam extra caſum neceſſitatis id nequeunt, niſi de licentia, vel delegatione Sacerdotis principalis, qui eſt Parochus: quod verum eſt etiam de ipſo Parocho baptizante eum qui ſit alterius Parochiæ, imo Parentes ipſi ſine gravi culpa non poſſunt infantem ad aliam Parochiam baptizandum deferre; quin tenentur directo Eccleſiæ præcepto proprium aſſumere. Peccaret itidem graviter cathecumenus ſi ab alio quam a loci Parocho baptiſmum peteret; quia niteretur modo inordinato Baptiſmum obtinere, & præſertim quia induceret alium ad rem ſibi illicitam. Ac propterea optime præſcriptum legimus in Ritual. Rom. ſolemnis baptiſmi Miniſtrum eſſe Parochum, vel alium Sacerdotem a Parocho, vel Ordinario loci delegatum; ex hoc enim intelligimus, ſicuti antea iam notatum fuit, ad Baptiſmi miniſterium requiri iuriſdictionem aliquam ſaltem indirectam, ipſoſque baptizandos debere eſſe ſuo modo baptizantibus ſubditos.

Miniſter ordinarius vere intelligitur potius Pontifex, Epiſcopus, nec non particularium Eccleſiarum Paſtores.

Et ratio eſt valde manifeſta; quia cum per Baptiſmum ingreſſus pateat in Eccleſiam, fiatque ſolemnis profeſſio Chriſtianæ Religionis, de iure ad illum ſpectat ianuam, aditumque aperire, & fidelium cœtui cooptare, qui ſacræ illi præeſt ſocietati. Hinc cum olim, prioribus ſcilicet naſcentis Eccleſiæ ſæculis, non alii eſſent Paſtores, ſeu principales cum iuriſdictione Sacerdotes, niſi ſoli Epiſcopi; hinc ipſi ſoli ſolemniter baptizabant, ipſiſque in tali miniſterio aſſiſtebant Sacerdotes, & ſolum de eorumdem Epiſcoporum licentia, vel iuſſu aliquando baptizabant, ſicuti conſtat ex Palladio in vita S. Ioannis Chryſoſtomi.

Et

Et hoc demonſtrat vetus œconomiâ circa Baptiſteria, quorum unum tantum erat in Civitatibus, & hoc prope Eccleſiam Cathedralem, ut demonſtrat inter alios Lupus de *Appellat. Eccl. African.* cap. 28. ac proinde nonnisi in illa Eccleſia Civitatis ubi ſedebat Epiſcopus, fundatum erat Baptiſterium, cujus antiquitatis veſtigia adhuc perſeverant in variis Italiæ Civitatibus, ut Patavii, Tarviſii, Bononiæ, Piſis, Florentiæ, Parmæ, & ibi, excepto nunc Patavio, in ſolis Cathedralibus Eccleſiis ſacro tinguntur infantes lavacro. Non enim alia congruentia aſſignari poteſt, quod in ſolis Cathedralibus extarent Baptiſteria, niſi quia ſoli Epiſcopi baptizabant. Hoc comprobatur etiam ex epiſtol. Edeſſeni ad Photium, & Euſtachium, quæ extat in actibus Concilii Chalcedon. Actio. 10. in qua rogantur ut imminenti Paſchali feſtivitate ad propriam ſedem Ibam remitterent: quia ipſius præſentia opus erat *propter Catechiſmos, & propter eos qui digni ſunt S. Baptiſmate*.

Verum ſuccreſcente numero Fidelium etiam extra Civitates, in villis quoque, & in Pagis fundatæ ſunt Eccleſiæ, erecta Baptiſteria, præfecti Presbiteri, qui ſacra populis miniſtrarent, ac ideo ad eorum officium, & ordinem pertinet præeſſe, ut monet Epiſcopus dum ſacram celebrat Ordinationem; *Præsbiterum oportet præeſſe*, igitur, & baptizare, aut aliis officium illud delegare erga ſubditos. Idcirco peccaret ſimplex Sacerdos, qui videlicet non ſit Paſtor, ſi inconſulto Epiſcopo, vel Parocho alienum parochianum baptizaret.

Dices. Conſtat ex Florentino Concil. & Catechiſmo Rom. rit. de Baptiſm. n. 23. & ex D. Thom. 3. part. q. 67. art. 2. Sacerdotes omnes eſſe miniſtros non delegatos, ſed ordinarios ex officio Sacramenti Baptiſmi. Nam ſi Presbiteri instituti ſunt ad conſecrandam Euchariſtiam, ideoque ad illa quoque miniſtranda per quæ eiuſdem Euchariſtiæ quilibet particeps eſſe poſſit; ſunt igitur inſtituti etiam ad conferendum Baptiſma, quod eſt principale, & indiſpenſabile requiſitum ad participandum de Euchariſtiæ Sacramento, Igitur quilibet Sacerdos eſt ordinarius, non tantum delegatus baptiſmi Miniſter. Reſp. negando conſequentiam. Hinc auctoritas Florent. Concil. ac Catechiſmi Romani facile conciliati poteſt cum aliis oppoſitis monumentis, quæ docent, quemlibet Sacerdotem non eſſe ordinarium Baptiſmi Miniſtrum, ſi dicamus Sacerdotes omnes habere vi ordinis, ut præſint Chriſtianæ plebi, ideoque & doceant, & baptizent, & Sacramenta omnia (excepto Ordine, & Confirmatione) miniſtrent; ſed hac in re attendendam eſſe Eccleſiaſticam politiam, & Antiſtitum iuriſdictionem. Quare dum Epiſcopi olim baptizabant, non poterant id muneris arripere Presbyteri, uti & modo non poſſunt ſi adſit Parochus, vel alter ab eo delegatus. Alias ius alienum in re gravi præſertim contra debitam gubernationem, ordinem, & uſum Eccleſiæ propria auctoritate uſurpare conarentur, ac proinde graviter delinquerent.

Diaconi ſunt Miniſtri extraordinarii Baptiſmi ſolemnis; ideſt non ex officio, ſed ex delegatione tantum, ſeu ex ſpeciali Epiſcopi, vel Parochi commiſſione poſſunt ſolemniter baptizare ſi adſit neceſſitas. Ita DD. communiter. Habetur enim Actor. 6. eos aſſumptos ac deſignatos fuiſſe ad hoc miniſterium. Quamobrem Eccleſia iſtum antiquum morem reſpiciens in Ordinatione Diaconorum inter alia dicit, *oportet Diaconum prædicare, baptizare &c.* hoc eodem enim modo conceditur Diacono dum ordinatur, poteſtas baptizandi, ſicut prædicandi; ſed ex commiſſione Epiſcopi poteſt ſolemniter prædicare; igitur ex tali commiſſione ſolemniter baptizare. Diaconi ſunt Miniſtri extraordinarii Baptiſmi ſolemnis.

Dixi notanter *ſi adſit neceſſitas*, quæ tamen non debet eſſe extrema, ſed rationabilis prudenti iudicio Ordinarii determinanda, puta ſi Baptiſmus ob Sacerdotis abſentiam, ſeu infirmitatem differendus eſſet per octo aut novem dies, imo videtur ad id ſufficere magna etiam Eccleſiæ utilitas. Hinc credibile eſt, Apoſtolos ob continuam occupationem in prædicatione, & multitudinem baptizandorum, commiſiſſe Diaconis baptizare, ut de Philippo Diacono legitur Actor. 8. baptizaſſe Simeonem Magum, & Eunuchum Reginæ Candacis. Inſuper aliquando Diaconi rexerunt Parochias, cuius rei adhuc remanet aliquod veſtigium in Diaconiis, ſeu Eccleſiis tituli Diaconalis Romæ, & ſunt tituli nunc Cardinalitii. De tali Diaconali regimine Parochiarum aperte loquitur can. 77. Concil. Milevitani ann. 305. *Si Diaconus*, ait canon, *regens plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debet*.

Quod ſi Diaconus extra caſum neceſſitatis. nec iuſſus ab Epiſcopo, aut Parocho, ſolemniter baptizet, alienum ius, munuſque ſibi vindicat, ac ideo ſecundum communiorem Theologorum ſententiam non ſolum mortaliter delinquit, ſed fit etiam irregularis,

ris, ut colligitur ex l. 5. Decretal. tit. 28. cap. 3. ubi ita habetur. *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abſcidatur de Eccleſia, & nunquam ordinetur.*

Num vero Diaconus baptizans in neceſſitate ſine prævio placito, aut commiſſione Epiſcopi, vel Parochi, poſſit ſolemnitates adhibere, non conveniunt Theologi, negantibus aliquibus, aliiſve affirmantibus, & his aſſentiendum videtur, ut ait P. Hean. ob Gloſſ. in cap. *Diaconus* diſt. 93. dicentem: *ubi neceſſitas exigit, & Presbyter eſt abſens, poteſt Diaconus iure ſuo baptizare*, ubi ly *iure ſuo* denotat poteſtatem vi ordinationis reſpicientem Baptiſmum ſolemnem, & tunc etiam præſumitur tacita Epiſcopi licentia; prætεrquam quod non plus in neceſſitate concederetur Diaconis, quam Laicis, dum Diaconis ex vi ſuæ ordinationis convenit miniſterium baptizandi.

Tametſi & Sacerdos, & Diaconus indigeant licentia Superioris ad baptizandum, lata tamen inter utrumque eſt differentia; quia Diacono non conceditur facultas baptizandi niſi tanquam Miniſtro, & aſſiſtenti Sacerdotis, & id ſolummodo ex cauſa urgente. Sacerdoti vero concedi poteſt eadem facultas ad placitum, ſine ulla cauſa tanquam Miniſtro, qui vi ſuæ Ordinationis habet poteſtatem baptizandi, quam facultatem Sacerdos delegatus alteri ſubdelegare poteſt, non item Diaconus.

Inter Diaconum vero, & alium inferiorem Clericum, & Laicum in ordine ad collationem Baptiſmi hæc intercedit differentia, quod Laici, vel inferiores Clerici, dum ipſis baptizare permittitur, nunquam poſſunt adhibere ſolemnitates, quas adhibere poſſunt Diaconi, ſaltem dum baptizant ex commiſſione &c. Præterea inferioribus Clericis, Laiciſve nunquam licitum eſt baptizare niſi imminente extrema neceſſitate. Diaconis vero id munus committi poteſt ex cauſa urgente, quæ tamen minor ſit extrema neceſſitate.

Ordo ſervandus inter baptizantes in neceſſitate.

Adverte circa baptizantes in neceſſitate ſervandum eſſe ordinem inter præſentes: nempe Clericus præferendus eſt Laico, inter Clericos ſuperior inferiori, non bigamus bigamo, vir feminæ, fidelis infideli; ſemper tamen cæteris paribus, ideſt dum non lædatur pudor, vel ritus Baptiſmi a viro non ignoretur: quia quando cætera non ſunt paria, hic ordo ſervandus non eſt; imo neceſſe eſt ut invertatur; puta ſi Clericus ita imperitus ſit, ut ſuſpicari merito poſſit quod baptizet invalide, præferendus eſt ei peritus Laicus: Obſtetrix etiam, aut alia perita fœmina præferenda eſt Parocho, qui infantem non omnino editum ſine indecentia non poteſt abluere: cenſetur enim talis caſus neceſſitatis. Item ſi Parochus pretium exigeret pro baptiſmo, poſſet Diaconus, aut alius inferior etiam Laicus ſimoniam vitaturus baptizare.

Quod ſi in articulo neceſſitatis adeſſet Obſtetrix cum ſolo Parocho excommunicato, Parochus erit præferendus, qui vi ſui officii ius habet baptizandi, quod iſto in caſu non cenſetur ab Eccleſia ei ademptum. Præferenda eſt tamen Obſtetrix ſufficienter edocta de requiſitis ad baptizandum viris ignaris, ac minus hac in re verſatis.

Si cæteris paribus ordo non ſervetur, ideſt præſente viro baptizet fœmina, præſente Clerico laicus &c. non conveniunt Theologi circa quale peccatum committatur, cum velint alii eſſe mortale, alii tantum veniale, eo quia nullus eorum ſit proprius Miniſter Baptiſmi, adeoque nulla interveniat iuris violatio, nec cenſeatur tanta fieri Sacremento irreverentia, ut ſit mortalis. Quod ſi Laicus, vel etiam Clericus baptizare præſumat coram Sacerdote, cui id ex officio incumbit, certe eſſet gravis iuris violatio, ac proinde culpa committeretur mortalis. Quod itidem dicendum eſt, ſi infidelis præferatur fideli, hæreticus catholico, excommunicatus non excommunicato, quia in tali caſu gravis irreverentia fieret Sacramento, & eſſet quidam ipſius Sacramenti contemptus.

Nota 1. quod ſi in neceſſitate omiſſæ ſint ſolemnitates, ceſſante neceſſitate ſuppleri debent, ut conſtat ex Paſtorali Romano, & ex conſtanti Eccleſiæ praxi. Quoad exorciſmos vero, moderatio adhibenda eſt iuxta præſcriptum Ritualis Romani.

Nota 2. quod Parochus extra neceſſitatis caſum licite non poteſt baptizare domi infantes, ſed debet eos baptizare in Eccleſiis baptiſmalibus iuxta ſtatuta ſacrorum Canonum. Excipi tamen ſolent filii Regum, & Principum ex privilegio, quod ipſis concedit Eccleſia, ut ex Clementina *de Baptiſm.* In hac tamen exceptione non veniunt communiter locorum Toparchæ, quorum pueros ſi extra neceſſitatem clam domi baptizet Parochus, peccat mortaliter.

Si autem quæratur, num duo, vel plures contentioſe eundem infantem baptizantes, valide baptizarent? Reſp. quod ſi ſinguli materiam formamque debitam adhiberent &

cum

cum requiſita intentione totam ſimul ſacramentalem actionem abſolverent, evidens eſt valide baptizare, non ſecus ac plures Sacerdotes in eorum ordinatione conſecrant eamdem materiam cum Epiſcopo; nihil enim tunc concipi poteſt deeſſe ad valorem, & unus eſſet in hoc caſu Baptiſmus quoad effectum. Dicitur quod ſinguli iſti baptizarent valide; nam nemo non videt, Baptiſmum tali modo inordinate & idcirco illicite conferri. Advertendum tamen, (uti dicendum eſſet de Conſecratione) quod ſi unus ante alium actionem baptiſmalem abſolveret, ideſt compleret, hic ſolus valide baptizaret, vel alter nihil efficeret, niſi graviſſimum rebaptizationis crimen, cum baptiſmus ſupponatur ab alio iam collatus.

Non valet Baptiſmus, ſi ab uno Miniſtro adhibeatur materia, ab altero forma proferatur. Nam Chriſtus Dominus verbis illis *baptizantes eos &c.* ſatis ſuperque demonſtrat formam ab eo proferendam eſſe, qui materiam miniſtrat; alias falſo diceret *Ego te baptizo, ſeu abluo*, cum revera hoc non faceret. Quocirca Eccleſia ſolet rebaptizare eos, qui baptizati ſunt apud eos ſectarios, apud quos mos ſit, ut unus e ſugeſtu proferat formam, alter inferius abluat.

Similiter invalidus, vel certe in praxi dubius habendus eſt baptiſmus, qui collatus eſſet a pluribus dicentibus, *Nos te baptizamus*, & graviter peccarent qui hoc ritu baptizare præſumerent. Hoc enim eſſet contra Eccleſiæ uſum, imo contra inſtitutionem Chriſti Domini, qui ſicuti unus eſt, ita unum voluit in unoquoque Sacramento Miniſtrum. Et hæc eſt ſententia D. Thomæ 3. p. 467. art. 6.

Poteſt quidem unus ſub ea forma *Ego vos baptizo* plures valide baptizare, non tamen licite extra caſum neceſſitatis, qualis eſſet naufragii, incendii, ruinæ &c. ac per hoc diverſificaretur forma Eccleſiæ, quia plurale non eſt niſi ſingulare geminatum. Ita D. Thom. q. 67. art. 6. ad 2.

Pater aut Mater cum alius deſit, poſſunt prolem ſuam baptizare; quia Chriſtus & Eccleſia neminem a lege charitatis excludunt, ut expreſſe declarat Ioann. VIII. epiſt. 58. ad Anſelmum Epiſcopum Lemovienſem: imo in tali caſu non privatur baptizans iure petendi, aut reddendi compar- ti debitum, ut exprimitur ibidem; quia in caſu neceſſitatis propriam prolem baptizando non contrahunt parentes inter ſe cognationem ſpiritualem, quam contrahit baptizans cum parentibus baptizati; quapropter ſeclu- ſa neceſſitate graviter prohibentur Parentes propriam prolem baptizare, & ſuſcipere c. 1. & 4. cauſ. 30. q. 1. quia contraherent inter ſe ſpiritualem cognationem, quæ uſum impedit Matrimonii; & quia alius debet eſſe pater carnalis, alius ſpiritualis.

Sacerdos nequit ex quadam indiſcreta urbanitate cedere ius ſuum in caſu neceſſitatis laico præſenti, nec hic poſſet licite baptizare; quia iniuriam ſaltem negativam faceret Sacerdos ſuo Ordini & Baptiſmi Sacramento.

Nemo poteſt valide ſe ipſum baptizare dicendo: *Ego me baptizo in nomine Patris* &c. quia ſi hoc fieri poſſet, exponeretur vel in Scriptura, vel in Patribus, vel in Conciliis, vel in Ritualibus, aut in Catechiſmis, cum res adeo utilis, & neceſſaria latere non debeat homines, qui aliquando ob Miniſtri defectum periclitantur. Imo habetur determinatio Innocentii III. cap. *Debitum* de Baptiſmo, & eius effectu, præcipiens ut rebaptizetur Iudæus, qui dum eſſet in articulo mortis conſtitutus, ſe ipſum baptizaverat; & rationem reddit, nempe quia inter baptizantem, & baptizatum dari debet diſtinctio. Addit quidem, quod ſi ille Iudæus mortem ſubiiſſet, ſalutem inveniſſet vi baptiſmi flaminis, non vero fluminis.

Inſuper Baptiſmus cum ſit ſpiritualis generatio, non magis poteſt quis ſe ipſum baptizare, quam generare. Hinc Chriſtus Dominus non ſe ipſum baptizavit, ſed a Ioanne baptizari voluit, & Apoſtolis præcipiens Baptiſm collationem ait; *Baptizantes eos*, ideſt homines a vobis diſtinctos, non vos ipſos. Henn.

§. XIII.

De Subiecto Baptiſmi.

Perſolutis quæ Miniſtrum Baptiſmi reſpiciunt, examinanda ſuſcipiantur, quæ ad Baptiſmi ſubiectum pertinent. Et primum ſi inſpiciamus Chriſti inſtitutionem, & ipſius generale Baptiſmi præceptum Matth. 28. *Docete omnes Gentes baptizantes eos &c.* ut per tale remedium originalis expiaretur in filiis Adæ reatus per carnalem generationem contractus, certiſſimum eſt, omnes Adæ poſteros, ideſt omnes homines viatores, nondum baptizatos, ſive maſculos, ſive feminas, ſive parvulos ſive adultos, ſive ex parente fideli, ſive infideli, ſive amentes, ſive mentis compotes, ſive natos ex ſemine viri, ſive non, eſſe ſubiectum capax baptiſmi; quia omnes homines viatores ſunt capaces Omnes filii Adæ ſunt ſubiectum capax baptiſmi.

paces regni cæleſtis; verum non ſunt illius capaces (ſecluſo martyrio) niſi mediante baptiſmo ut Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Igitur omnes homines viatores ſunt ſubiectum capax Baptiſmi; neminem enim Chriſtus Dominus a gratia huius Sacramenti, excepit cum generaliter dixerit ſine ulla reſtrictione ac reſpectu de toto humano genere: *Baptizantes eos.*

Verum ex hoc quod Baptiſmus inſtitutus eſt ad expiandam originalem labem, qua omnes Adami deſcendentes infecti naſcuntur; ſuboritur difficultas de Virgine Deipara, an capax extiterit Baptiſmi, ita ut potuerit baptizari, & revera baptizata fuerit, cum ut pie creditur, nulla originali culpa fuerit infecta; ſicuti etiam legitur de aliis ut de Geremia, & Ioanne Baptizata, qui in utero matris fuerunt ſanctificati. Aſſerunt multi, nec Deiparam, nec aliam innoxiam creaturam fore baptizandam, cum docuerit S. Auguſt. *de Prædeſtinat. Sanctor.* cap. 13. n. 25. *In eis qui nullum habent omnino peccatum. falſus eſt Baptiſmus, qui in remiſſionem traditur peccatorum.* Verum hic S. D. loquitur de primario Baptiſmatis Effectu, ideſt de remiſſione originalis culpæ, quam negabant Pelagiani, non de ſecundario, qui eſt initiatio & cooptatio in Chriſti Eccleſiam, atque viſibile ſignaculorum conſortium; quarum rerum intuitu potius propendit eruditus P. Berti, ſalvo tamen ait ipſe meliori iudicio, in inffirmativam partem, nempe B. V. Deiparam ſacra fuiſſe unda perfuſam, tametſi nulla originali labe infectam; ſicuti rametſi non pepererit ſuſcepto ſemine, neque immunda fuerit ob ſanguinis menſtrui defluxum, legem Moyſis nihilominus implevit, templum adeundo, par turturum offerendo, aut duos pullos columbarum, ſervando tandem aliarum puerperarum conſuetudinem. P. Berti.

His tamen prætermiſſis quæ parum refert ſcrutari, operæ pretium eſt expendere, quæ in hac materia multo maioris ſunt momenti, nempe an pueri ante uſum rationis ſint Baptiſmi capaces, ita ut poſſint, ac debeant baptizari. Graviſſimam circa hoc habent Catholici cum hæreticis controverſiam, cum permulti eorumdem contra Eccleſiæ Catholicæ ſenſum negaverint infantes ante uſum rationis capaces eſſe Baptiſmi, & præcipui ex illis ſunt Valdenſes, Petro-Bruſiani, ſic dicti a Petro de Brui, qui negarunt ſæculo 12. ex epiſt. 240. conſerri poſſe Baptiſmum parvulis. Ita ſenſerunt etiam Cathari, Anabaptiſtæ. Ex recentioribus complures contendunt olim neminem baptizatum fuiſſe niſi ætate iam adulta, neque invicte probari poſſe, vetuſtam, ac initium habere ab Apoſtolis conſuetudinem miniſtrandi Baptiſmum infantibus ante rationis uſum.

Solet hic error tribui etiam Tertulliano. Verum non negavit Tertullianus parvulos Baptiſmi eſſe capaces, ſed exiſtimavit differendum uſque ad adultam ætatem, qua per ſe reſpondere poſſint. *Quod... neceſſe eſt*, inquit l. *de Baptiſmo cap. 18.... ſponſores... periculo ingerit:* ubi agnoſcit morem antiquum ſecundum quem Sponſores, ſeu Patrini fidei iubebant pro parvulis, quos baptizandos offerebant.

Parvulos eſſe capaces Baptiſmi, de fide credendum proponit Eccleſia, ita ut nec eorum adulta ætas ſit expectanda. Et hoc conſtat ex perpetua Eccleſiæ Traditione, & praxi, quam confirmat Concil. Tridentinum ſeſſ. 7. canon. 12. & 13. & hoc tradit etiam S. Auguſt. l. 10. de Gen. ad litteram cap. 23. *Conſuetudo* (ibi ait S. D.) *Matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua reputanda, nec omnino credenda, niſi apoſtolica eſſet traditio.* Nec ſola Traditio hoc docet, ſed ipſa etiam Scriptura, quæ licet aliquantulum obſcura in hac parte, ex Eccleſiæ tamen interpretatione ab ipſis primis ſuis temporibus ſatis clare explicatur. Chriſtus enim Dominus præſcripſit unicuique, & abſolute baptiſmum tamquam medium omnibus neceſſarium, ne a Regno Dei excludantur, nempe ad ſuam æternam ſalutem conſequendam, ut habetur Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, quod Eccleſia dictum intelligit a Chriſto Domino etiam de infantibus, ut eis hoc remedium applicetur. Et quod talis fuerit in laudato textu intentio Chriſti Domini & voluntas, patet ex ſollicitudine quam habuit Dei providentia erga infantes Hebræorum, dum indefinite, & univerſim præcepit Circumciſionem Gen. 17. ne anima incircumciſi deleretur de populo ſuo. Unde ſi Circumciſioni voluit Deus, ut ſubiicerentur etiam infantes, ſic dicendum quod voluerit ut in Eccleſia infantes quoque baptiſmo regenerarentur, cum tam Circumciſio, quam Baptiſmus fuerint inſtituti ad delendum originale peccatum, ut colligitur ex Scriptura & SS. Patribus, & ſicuti capaces erant infantes ut Circumciſionem reciperent, ita nunc etiam capax eſt regenerationis quicumque in lucem mundi prodit; & ideo poſt illa verba: *Niſi quis rena-*

De fide eſt parvulos capaces eſſe baptiſmi.

renatus fuerit &c. addit; *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt*, demonſtrans quod renaſci poſſit, ſpiritu, quiſquis natus eſt ex carne.

Nec officit, quod infantes non habeant fidem, quam Chriſtus Dominus in baptizandis exquirit, dum dicit; *Docete &c.... baptizantes &c. & qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit*, quia fides requiritur in eis, qui edoceri poſſunt, ut ſunt adulti, ad quos convertendos miſit Chriſtus Apoſtolos; *Euntes docete &c.* & ſic exponit D. Hieronym. cap. ultim. Matthæi. Sed & parvuli ipſi dum baptizantur, aliquo modo credunt, in alio ſcilicet, ſicut in alio peccavere. Nec aliud plus Chriſtum in parvulis baptizandis exigere, docet nos perpetua Eccleſiæ traditio.

Quamvis tamen primævis temporibus ſoleret Eccleſia extra neceſſitatem, ob iuſtas rationes, quæ revera nobis non innoteſcunt, ut plurimum differre infantibus baptiſmum uſque ad adultam ætatem, ab ipſis tamen Apoſtolis mos cœpit eos baptizandi etiam extra caſum neceſſitatis, ut non obſcure colligitur ea Act. 16. 15. ubi legimus baptizatam integram familiam domumque Lydiæ purpurariæ, & verſu 33. domum totam Cuſtodis carceris; & D. Paulus ſicuti ipſe teſtatur Corinth. 16. baptizavit Stephanæ domum; ac proinde in hiſce caſibus profecto baptizati fuere etiam parvuli, cum, ſicuti ſapienter advertit P. Berti, in tota domo & familia comprehendantur etiam parvuli. Hanc utique Apoſtolorum praxim ſemper ſecuta eſt Eccleſia, prout melius ei viſum eſt congruere, ſicuti Patrum comprobat perpetua Traditio S. Irenæus temporibus Apoſtolorum proximus ſic ſcribit l. 2. cap. 39. *Omnes per ſe ipſum* (Chriſtus) *venit ſalvare: omnes, inquam, qui per ipſum renaſcuntur in Deo, infantes, & parvulos, Iuvenes & Seniores*. Et auctor libri *de Eccl. Hierarch.* cap. ultim. ait; divinæ, ac ſpiritualis generationis participes fieri *etiam pueros, qui nondum divina myſteria percipiunt*. His accedit auctoritas D. Auguſtini, qui circa hoc ita urget Traditione contra Pelagianos ſerm. 10. *de verbis Apoſtoli* nunc 176. n. 2. *Hoc Eccleſia ſemper tenuit, hoc a maiorum fide percepit, hoc uſque in finem perſeveranter cuſtodit*; & ſuperiori ſerm. 174. n. 9. morem baptizandi parvulos appellaverat, *antiquam fidei regulam*. Praxis igitur baptizandi infantes ſemper viguit in Eccleſia, licet quamplurimis infantibus differret Baptiſmum uſque ad adultam etatem; multos tamen in pueritia etiam ſine neceſſitate, prout ipſi viſum eſt, baptizavit.

Parvuli nullo modo nati, ideſt prorſus in materno utero incluſi, ut nec caput, nec aliquam ſenſibilem partem ex materno alvo emittant, cum aqua immediate perfundi nequeant, non ſunt baptiſmi capaces, ac ideo valide baptizari nequeunt, quia vere ablui non poſſunt. Nec ſufficit ſi corpus matris abluatur; quia cum infans non ſit aliqua materni corporis pars, ſed propria diſtincta perſona a matre; ita abluta matre ille cenſeri nequit vere ablutus; unde Paſtoralia paſſim prohibent Baptiſmum in tali caſu adminiſtrari.

Verum adſunt aliqui ex recentioribus, inter quos P. Henno, Gabriel Gualdus, aliive, qui volunt, in puerperio dum Mulier parere nititur, & interdum nonnullis antea diebus aperiri uterum cœperit, & etiam infantium involucra diſcindi, adeo ut Obſtetrices, ſive expertus Chirurgus manu vel aliquo inſtrumento ſiphunculo deducere poſſint ad puerum uſque aquam, non quidem frigidam, quia hæc matrem necaret, ſed calidam, perfundendum eſſe ſalutari lavacro, ſub conditione tamen, cum ſint in negotio nimis incerto, ut eo meliori modo quo fieri poteſt, licet incerto remedio, ipſius æternæ conſulatur ſaluti, ita vero ut ſi poſtea in lucem prodeat, denuo ſub conditione baptizetur. Qui vero rem melius videre cupiat, adeat P. Berti, qui rem in contrariam tamen ſententiam fuſius pertractat.

Nota 1. quod ſi moriatur Mater, antequam partum edat, ideſt adhuc gravida, ſtatim aperienda eſſet, ut inde extrahatur proles, & baptizetur, niſi conſtet non vivere. Non tamen ut provideatur ſaluti ſpirituali fœtus, vivens aperienda eſt Mater, quæ partum emittere nequit, præſertim ſi ex tali apertione Medici de eius vita deſperarent, cum nunquam fas ſit aliquem etiam periclitantem occidere, ut alteri ſubveniatur. Nam hec ipſa mater, nec quis alius habet dominium directum in propriam vel alterius vitam, ut iam dictum fuit ſuo loco. Ita Ludovicus Habert, & alias laudatus P. Berti cum aliis.

Nota 2. Quod ſi ad mortem condemnata eſſet mulier gravida, executio uſque ad partum ſuſpendi debet; imo ne ex deſperatione, aut triſtitia matris fœtui aliquid mali contingat, ipſa quoque ſententia eo uſque eſt differenda.

§. XIV.

§. XIV.

De iure baptizandi filios Iudæorum Infidelium, Hæreticorum, & Mancipiorum contra eorumdem Parentum voluntatem.

Nota 1. hic non agi de validitate baptiſmi, cum certum ſit ratum eſſe Baptiſma ubicumque, & a quibuſcumque ſub vera forma, ideſt verbis Evangelicis collatum ſit, nec voluntas parentum omnino requiritur, ut poſſit infans regenerari, cum hoc ſit opus Spiritus Sancti, *intrinſecus operantis beneficium gratiæ*, & infans abſolute, ideſt per ſe Baptiſmi ſit capax.

Nota 2. Certiſſimum eſſe, licite baptizari poſſe parvulum natum ex Infidelibus parentibus in extremo iam vitæ diſcrimine conſtitutum, dummodo id fieri queat ſine ullo chriſtianæ plebis detrimento, & mors ſit certo ſecutura: quia tunc abſque eo quod ius patrium violetur, & aliqua Sacramento iniuria inferatur, parvulus alioquin periturus ad ſpiritualem æternamque vitam regeneratur.

Nota 3. pariter indubitatum eſſe, filios infidelium ad uſum rationis perventos, & baptiſmum petentes licite baptizari, cum in iis quæ ſpectant ad ius naturale, & divinum, & præcipue ad ſuam ſpiritualem ſalutem, tunc incipiant eſſe ſui iuris, & poteſtatis, habeantque liberi arbitrii exercitium. In dubio autem de ſufficienti uſu rationis, differendus eſt baptiſmus, donec conſtet; & tunc egredi debent e domo parentum ſi aliter chriſtiane vivere nequeant, aut ſit periculum quod a parentibus ſubvertantur.

Varia Infidelium genera. Nota 4. Infideles alios eſſe Hæreticos, qui poſt baptiſmum fidem turpiter deſeruere, alios Paganos, Gentiles, Iudæos, Mahumetanos qui Chriſti fidem nunquam profeſſi ſunt, ſeu qui nunquam per baptiſmum in gremium, ſeu ſocietatem Eccleſiæ intravere. Et de his omnibus hic agere ſuſcipimus. Sit igitur.

Filii Hæreticorum etiam invitis parentibus baptizari poſſunt. Parvuli Hæreticorum & Apoſtatarum filii nondum uſum rationis adepti, etiam ſubditi Principibus infidelibus, licite invitis, & reluctantibus parentibus baptizari poſſunt. Cum enim Parentes per baptiſma quod ſuſceperunt, ſint Eccleſiæ ſubditi, iuſtiſſimis pœnis cogi poſſunt ad eius leges ſervandas, & eam præcipue deferendi ſuam prolem in Eccleſiam ad baptiſmum. Igitur licite ſubtrahi poſſunt eorum filii ſuæ poteſtati, ut ſacro regenerentur lavacro, rebuſque fidei inſtruantur. Nunquam enim Eccleſia improbavit, imo commendavit Imperatorum, aliorumque Principum edicta lata in hoc propoſito contra Hæreticos. Caute tamen procedendum eſt in tali negotio, quando hæretici ſubdantur Principi infideli; & ſic ſubtrahi non debent nec poſſunt ſi ideo Religio periclitaretur; nam ad hoc ut malum evitetur maius, minus permitti debet.

Filii ſervorum, apud Dominos Chriſtianos reluctantibus parentibus, poſſunt, & debent baptizari. Mancipiorum pariter filii infantes contra ſuorum parentum voluntatem licite poſſunt, imo debent baptizari invitis eorumdem parentibus, ſi iſti ſint Chriſtianorum ſervi, ideſt ſi Chriſtiani ſint eorum diſpoti-ci Domini; quia cum ipſi infantes & eorum parentes ſint ſub Dominorum abſoluto iure, ac dominio, ſine ulla iniuria poſſunt Domini eos parentibus ſubtrahere; ita ut iure gentium vendi poſſunt a Domino, manumitti, inter libertos aſſiſci, ac proinde ſine ulla iniuria parentum a patria ipſorum poteſtate ſeparari; quia poſtquam ſervitus invaſit, pueri etiam parentum curæ relicti, Dominorum tamen poteſtati, ac diſpoſitioni ſubiiciuntur, ita ut pro libitu tamquam de re ſua diſponere poſſint, ac ideo licite curare valent, imo dicam etiam ex charitate tenentur eos baptizare ac in fide erudire, & educare. Servi autem, ſeu mancipia fiunt, vel nativitate dum naſcuntur ex ancillis, ſeu mancipiis; vel iure gentium, ideſt ex captivitate, ut ſunt ii, qui iure belli captiſunt, qui ita in victoris poteſtatem cadunt, ut ei fas ſit illos parentibus eripere, & etiam vendere; vel iure civili dum homo liber maior viginti annis ſeſe venundari patitur ad pretium participandum. Sic Iuſtinian. *de iur. Perſonar. tit.* 3.

Filii infidelium invitis parentibus baptizari nequeunt. Filii vero Infidelium, qui nec politice quidem Chriſtiano Principi ſubiiciuntur, reluctante, & invito utroque eorum parente licite baptizari nequeunt niſi in evidenti mortis periculo. Nam vel filii iam baptizati ſubtraherentur parentibus, ut a periculo ſubverſionis removerentur, & tunc gravis eis fieret iniuria, cum parentes ius habeant ſibi a natura conceſſum apud ſe retinendi liberos nondum rationis uſum, ac ideo nec propriam voluntatem habentes; vel relinquerentur in manu, & directione parentum, & tunc Sacramentum evidenti exponeretur periculo profanationis, & baptizati ſubverſionis ac apoſtaſiæ; quia filii curæ parentum relicti ſecundum eorum ſectam ab ipſis inſtruerentur, & educarentur; imo ex ſola etiam cum parentibus cohabitatione, & conſortio eorum ediſcerent ſuperſtitionem, ac ſequerentur.

Iniu-

Iniuria fieret parentibus filios ab eis auferendo; quia licet iure, quod habent in filios educandos, abutantur, cum tamen nec Eccleſiæ, nec chriſtiano Principi ſubiiciantur, non debent ab ipſis illo iure privari.

Dixi 1. *reluctante, & invito utroque eorum parente;* quia ſi alteruter, ſeu etiam ſola Mater, quæ chriſtiana ſit, conſentiat, infans invito parente infideli licite baptizabitur; quia tunc præſtatur conſenſus ab eo qui ius habet naturale in puerum, cum & ipſa mater ius habeat inſtituendæ prolis, & prævalere debet aſſenſus qui cedit in favorem religionis, maximamque pueri utilitatem. Ita ſtatuit Concil. Tolet. 4. c. 6. Et quod, dicitur de conſenſu unius parentis, intelligendum eſt etiam de illorum conſenſu, quibus ob mortem patris cura competit nepotum parentum, ideoque baptizandus eſſet infans, matre infideli, pagana ſcilicet vel iudæa reluctante, ſi ita velit avus paternus ſubſtitutus loco patris demortui in paternam curam nepotis. Sic cenſet Sylv. q. 68. art. 12. qui ſimul advertit id a Gregorio XIII. ſtatutum fuiſſe.

Dixi 2. *niſi in evidenti mortis periculo*. In hoc enim caſu conſulitur ſempiternæ ſaluti infantis abſque eo quod iniuria ulla inferatur Sacramento, quod profanationi ita non exponitur, & paternæ parentum poteſtati, ac iuri, cum mors potius quam Baptiſmi miniſtrator genitoribus filios eripiat, & aliunde urgeat præceptum charitatis. Verum id fiat ſi poſſit, inſciis parentibus ad vitandam perturbationem. Idem ob rationem eamdem extendit Layman ad filios infidelium perpetuo amentes. Si autem filius infidelium in proximo mortis periculo, vel in alio etiam caſu baptizatus parentibus re ipſa invitis, vel inſciis, convaleſcat, & adoleſcat, tunc ſecluſo periculo religionis Chriſtianæ, & ſcandalo abſtrahendus eſt a parentibus ut erudiatur, & educetur in fide Chriſtiana. Ita definivit can. 60. Concil. Tolet. 4. & ita habetur cap. Iudæor. 28. q. 1. Et ratio eſt, quia cum Chriſto ſint regenerati, curandum eſt ne paterno detineantur errore. Et hoc maxime incumbit Eccleſiæ, quæ iam per baptiſmum acquiſivit iuriſdictionem in eum, ac ius ad eum chriſtiane inſtruendum, & in chriſtiana vita inſtituendum; imo & ipſe debitum contraxit addiſcendæ Chriſtianæ legis, ac ſervandæ, quod plane præſtare nequit commorando apud parentes infideles, ſuperſtitionis profeſſores. Nec opponi poteſt ius paternæ poteſtatis adverſus iniuriam, qua tunc afficeretur Sacramentum, Eccleſia, & Deus honorum conditor, & reparator.

Dixi *ſecluſa* &c. quia bonum religionis, & multorum præferendus eſt bono privato. Nam ſi ex hoc orituræ eſſent ſeditiones, ſcandala, odia, perſecutiones contra Eccleſiam &c. ſi res chriſtiana, uno verbo, revera inde paſſura eſſet diſpendium, & ob id leges huic paterni iuris violationi obſtarent, relinquendi eſſent huiuſcemodi infantes in manu parentum, nec liceret in talibus circumſtantiis ab ipſorum cuſtodia, & poteſtate atque educatione eos arripere, ac ſeparare, Boſſu. 30. n. 18.

Quod dicitur de filio infidelium morti proximo, quod tunc licite invitis parentibus baptizari poteſt, intelligendum eſt quoque de infantibus, qui a contubernio parentum ita ſeparantur, ut ceſſet omnino uſus patriæ poteſtatis; puta ſi a piratis capiantur Turcarum triremes, eaque vecti ad noſtra trahantur littora; nam hoc in caſu liberi parentibus ſuis perierunt.

Advertendum hic tamen, quod ſi Iniuria, ac per vim filius ſeparetur a Patre, e. g. puerulus Iudæus furtim ab homine Chriſtiano ſublatus domi retineatur, puer parentibus foret remittendus; quia per illam violentam ſeparationem nihil ſui iuris patria amiſit poteſtas.

Gravior tamen difficultas quæ in negotio hoc verſatur, eſt, num filii Iudæorum aliorumque infidelium non baptizatorum qui Principibus Chriſtianis civiliter tantum, id eſt non ſerviliter ſubduntur, licite baptizari poſſint invitis Parentibus. Et in hoc diſcrepat S. Thomas a Scoto, dum contra Scotum ſuſtinet non licere. Et hæc ſententia divinæ Chriſti Domini inſtitutioni videtur magis conſona. Chriſtus enim Dominus non præcepit Apoſtolis, ut aliquem ſacro initiarent Baptiſmo reluctantem & invitum, ſed iuſſit ut prædicarent gentibus Evangelium, & credentes baptizarent. Matth. ultimo. Neque dicas id intelligi ac valere de adultis, qui uſum habent propriæ libertatis, non de parvulis, qui donec uſum habeant rationis, ſunt aliorum iuris, ac poteſtatis. Verum ſi cogi nequeunt adulti ut baptizentur, nec baptizandi erunt, qui ipſis ſubiiciuntur: Alteri enim vis infertur non in propria duntaxat perſona, verum etiam in his, qui ad eius pertinent poteſtatem. Unde ſi fas eſſet baptizare infantes invitis parentibus, liceret quoque vi adultos ad fidem ſuſcipiendam compellere: quare Eſtius utramque quæſtionem cognatam appellavit. Et equidem

dem ſubiectio quam habent parentes infideles chriſtianis Principibus, eis non adimit ius quod habent educandi, & retinendi apud ſe ſuam prolem. Inſuper poteſtas ſæcularis nec ex ſe, neque ex Eccleſiæ conceſſione ſibi arrogat, ut ad huiuſcemodi negotium ſe extendat, ideſt baptizandi filios infidelium, qui ſibi civiliter dumtaxat ſunt ſubiecti. Non ex ſe; quia poteſtas ſæcularis ex ſe nullum ius habet circa ſupernaturalia, cuiuſmodi eſt ſuſceptio Baptiſmi; non ex Eccleſiæ conceſſione; quia cum Eccleſia nullam iuriſdictionem habeat in non baptizatos, nequit hanc alteri, ſeu Principibus ſuper eoſdem communicare, ſicuti concedere poteſt in Baptizatos. Nemo enim dare poteſt, niſi quod habet. Et hoc comprobat conſtans uſus ipſius Eccleſiæ, quæ ut obſervat S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 12. nunquam egit apud Imperatores, alioſve Principes etiam Religionis Chriſtianæ amplianda ſtudioſiſſimos, ut eiuſmodi infideles eorum politico Dominio civiliter tantummodo ſubditos, compellerent fidem catholicam amplecti, eiuſque ſacra ſuſcipere, ſuoſque parvulos iiſdem initiare; imo improbavit, ſi aliqui ex Principibus Chriſtianis minas aliquando pœnaſve pro re hac adhibuerint ad cogendos infideles ſibi civiliter ſubditos ad Chriſtianam Religionem amplectendam, ut patet ex Gregor. Magno l. 1. epiſt. 45. & ex Concil. Tolet. IV. quod ſanxit, ne quis Iudæus, ſeu quiſquam alter infidelis ad fidem cogatur.

Quare nullius ſunt momenti exempla, quæ pro oppoſita ſententia afferri ſolent; quia ſi ſine alio iure quam civilis ſubiectionis impulerunt aliqui Chriſtiani Principes ſuos infideles ſubditos ad catholicam fidem, fuerunt illi ab Eccleſia improbati; & alii hoc non ſola ratione civilis dominii fecere contra ſtatuta Concil. Tolet. ſed ſecundum iura, quæ habet Eccleſia contra Apoſtatas, & Hæreticos, ideſt eos compellendo ad ſe ſubiiciendum legi Eccleſiæ, a qua per apoſtaſiam receſſerant; vel hoc præſtiterunt erga belli captivos, ut contigit, quando Carolus Magnus devictis Saxonibus perdulionibus, ut apoſtatas a catholica religione iure belli cogere potuit, allicientia tamen benignitatis, prudentum prædicatorum opera potius quam vi, ut in gremium redderent Eccleſiæ, & eorum infantes ſacro regenerandos lavacro exhiberent, teſte Alcuino in ſua Epiſt. 7. ad Carolum Magnum, cuius erat familiaris, & in eius comitatu, in qua Epiſtola Imperatori gratulatur ob clementiam quam erga Saxones exercuerat.

Alias, ideſt ex ſola ratione dominii politici in infideles, nequeunt Principes licite efficere ut contra eorum voluntatem ipſorum infantes baptizentur, & eorumdem cura eos privare; quia ut rationem reddit D. Thomas art. 10. *Quamdiu .... uſum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali. Unde ſicuti bos, & equus eſt alicuius, ut utatur eo cum voluerit ſecundum ius civile ſicut proprio inſtrumento, ita de iure naturale eſt, quod filius antequam habeat uſum rationis, ſit ſub cura parentum. Unde contra iuſtitiam naturalem eſſet, ſi .... a cura parentum ſubtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus.*

Nec valet quod dicit contraria ſententia, Baptiſmum eſſe de iure divino, cui credere debet ius paternum in filios: Quod parentes teneantur iure divino tum ſibi, tum filiis providere de medio ad ſalutem neceſſario, cum Deus illis conceſſerit poteſtatem in filios in ædificationem, non in destructionem, ut 2. Corinth. 13.

Nam 1. falſum eſt quod ius naturale cedere debeat poſitivo Dei præcepto; cum non ſolum utrumque ſit divinum, cum Deus ſit auctor etiam legis naturalis: ſed naturale eſt magis neceſſarium quam poſitivum, ac ideo in concurſu, naturale eſt præferendum: Hinc eſt quod Uxor, & filius familias implere non debent votum repugnante marito, aut patre, licet obligatio voti ſit de iure divino. Ad aliud vero, mandavit quidem Deus unicuique de proximo ſuo, ſcilicet ut periclitanti ſubveniatur fraternæ charitatis correctione, & iuxta S. Gregorium prædicationis, & exhortationis ſuavitate, non vero violentia, coactione, niſi ſit Superior. Porro Eccleſia, ut antea notavimus, nullam habet iuriſdictionem in non baptizatos, & Principes Politici eam habent tantummodo in temporalibus, ut paulo antea diximus, quæ nullatenus extenditur ad ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis. Hactenus Habert.

§. XV.

De Monſtris, quando Baptiſmi ſint ſubiectum capax.

Si unquam contingat, mulierem parere monſtruoſum fœtum, inſpicere debet Miniſter, an naturam, ſpeciemque præſeferat humanam, quod potiſſimm dignoſcitur ex capite, utpote quod ſit ſuprema corporis pars, in qua ſenſus omnes vigent, ratioque in eo reſi-

reſidet, & præcipue animus ipſe immortalis, ut ſentiunt philoſophi; & tunc ei dandum eſt Baptiſma ſemel tantum, ſi non habeat niſi unum ſolum caput; quod ſi duo habeat capita, & duo pectora, non tamen ita bene diſtincta, ut certum non ſit eſſe duas perſonas tunc unum primum debet baptizari abſolute, & alterum poſtea ſub hac conditione; *Si non es baptizatus ego te baptizo* &c. Si autem monſtrum habeat plura capita, & plura pectora bene diſtincta, tunc profecto ſunt totidem animæ, ac ideo plures diſtincti homines, ac proinde omnes ſigillatim ſunt baptizandi. Si tamen urgeat extrema neceſſitas, abluantur ſimul pronomine plurali ſub hac forma: *Ego vos baptizo* &c. Si vero dubitetur num homo ſit, vel brutum, baptizetur ſub conditione; *Si tu es homo Ego te &c.* ſed in tali caſu ſi non immineat mortis periculum, monet S. Carolus prius conſulendum eſſe Epiſcopum. Monſtrum vero quod nullatenus humanam ſpeciem præſefert minime eſt baptizandum. Sic Ritual. Rom. Antoi.

§. XVI.

De Filiis excommunicatorum num baptizandi ſint.

De Filiis autem excommunicatorum nulla occurrere poteſt difficultas quod ſint baptizandi, cum minime in re hac dubium vertatur; quia ut ratiocinatur D. Auguſt. in Epiſt. *ad Auxilium* hoc eſt diſcrimen inter corporalem, & ſpiritualem pœnam, quod corporali pœnæ aliqui, qui divina contemnunt præcepta, ſubiiciuntur etiam cum omnibus, qui eiuſdem impietatis participes non fuerunt, quin ad terrorem viventium aliquando mortalia copora perimuntur, quandoque utique moritura: At ſpiritualis pœna infligi non poteſt, niſi ob proprium peccatum, ut haberur Ezechiel. 18. 20. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur*. Hinc cit. D. infert non recte anathematizari pro patris peccato filium, pro Mariti Uxorem, pro Domini ſervum; ac hortatur Auxilium ut certis rationibus, vel Scripturarum teſtimoniis oſtendat, quomodo, ſi puer eodem tempore, quo univerſa domus eſt anathemate obligata, naſcatur, non ei poſſit per lavacrum regenerationis in mortis periculo ſubveniri; teſtatur ſe nunquam id facere auſum fuiſſe: & hæc S. Auguſt. Doctrina relata eſt in canon. cap. *Si habes* 24. q. 3. n. 1. Imo nec in generali interdicto inhiberi Baptiſmum conſtat ex cap. *Quoniam de ſentent. excommunicat.* *in 6.* atque ex citatis in cap. *Quod in te de Pœnit. & remed.* Ea autem ratio S. D. clare oſtendit, quam imperite Farellus Erronum filios non intingeret, niſi prius ad omnem impietatem obnegandam adigerentur parentes, ut ipſe ſcripſit ad Calvinum, & quam impie Gerardus Voſſius diſput. 15. th. 7. contenderit, non poſſe filios ſine profanatione Sacramenti ad Baptiſmum admitti, *niſi mundi fuerint utriuſque, aut alterutrius parentis ratione*; nemo enim ſpirituali regeneratione privandus eſt propter aliena ſcelera. Hactenus P. Berti.

§. XVII.

De Baptiſmo mortuorum, & Campanarum.

Quamvis hæc duo baptiſmata non ſint certi momenti pro theologo morali, nihilominus ne talis etiam eruditio hic eſſet deſideranda hæc non omittere cenſui, quorum primum ideſt mortuorum iam antea improbatum fuit in antiquis hæreticis, & hic improbandum ſuſcipitur; alterum nempe campanarum propugnandum eſt contra Hæreticos recentiores, qui de hoc nos arguunt. Duplex circa hoc invaluit erroneus ritus, & maxime reprobandus; unus apud hæreticos Cerinthianos, & Marcionitas, quorum caput Cerinthus vivebat Apoſtolorum temporibus: & hic erat baptizandi vivos pro mortuis, ut ex Irenæo l. 3. adverſus hæreſes cap. 3. & Euſebio l. 3. Hiſtor. Eccli. cap. 22. alter Caraphrygiarum. Hi erant ſequaces errorum Pſeudo prophetæ Montani exorti tempore Antonii Pii circa annum Chriſti 156. iuxta S. Epiphan. hæreſ. 48. qui mortuos ipſos baptizabant; ſed qua ratione, aut intentione ad hunc vaniſſimum ritum inducti fuerint eſt prorſus incertum, ſicuti etiam incertum eſt, & controvertitur inter Scriptores an revera baptizarent mortuos, aut, ſicut Cerinthiani, vivos pro mortuis. Si enim mortuos baptizare in conſuetudinem traxeriſſent aliqui ante Cerinthi excogitatum errorem, ut putant aliqui ex verbis illis Apoſtoli 1. Corinth. 15. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* Eſt valde probabile, uſum huiuſcemodi ritus inductum fuiſſe ex uſitatiſſimis lotionibus Phariſæorum apud quos fertur morem fuiſſe receptum, ut ſi quis mortuus eſſet legaliter immundus, alter pro ipſo ablueretur, & huiuſcemodi fiebat cæremonia, ne immunditia noceret mortuis, ſimulque fides futuræ excitaretur reſurrectionis quæ negabatur a Saducæis.

Digitized by Google

Verum quidquid ſit de ratione, quæ moverit tales Hæreticos ad hunc morem inducendum, certiſſimum eſt, baptizare mortuos, vel vivos pro mortuis, erroneum eſſe ac prorſus damnabile, ut patet ex Cod. canonum Eccleſiæ Africanæ cap. 18. ubi ſic legitur; *Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistiam non detur; Scriptum eſt enim; Accipite, &c. cadavera autem nec accipere poſſunt, nec edere, & ne iam mortuos homines baptizari faciat Præsbiterorum ignavia*, ſive ut habetur in Collecti. Concilior. can. 6. Concil. III. Charthaginen; *Cavendum eſt ne mortuos baptizare poſſe fratrum infirmitas credat*. Et hoc ratio ipſa ad evidentiam demonſtrat. Nam mortuorum cadavera participare nequeunt divinæ gratiæ beneficium, & ſpiritualis regenerationis, quæ fit per Baptiſmi Sacramentum, cum deſtituta ſint rationali anima, in qua huiuſcemodi ſpiritualis operatio peragitur, neutiquam in corpore. Ideo enim actio Baptiſmi dicitur ſpiritualis regeneratio gratiæ, quia fit in anima, quæ anima, non vero corpus, cui competit ſola vita, & mors naturalis, mortua eſt peccato per originalem iniuſtitiam in Adamo contractam. Nec ſolum corpus mortuum baptizari nequit, ſed ne quidem vivum ſacro tingi poteſt lavacro pro mortuo; quia cum renaſcentia ex aqua & Spiritu Sancto fieri debeat in eo, qui natus ex carne, in ea vivit, & in eo qui ſacro abluitur lavacro; cum in forma baptiſmi dicatur: *Ego te baptizo*, baptiſmus acceptus a vivo nullo modo valere poteſt mortuo, pro quo ille ſumar: Alias ſi Baptiſmus a vivo acceptus pro mortuo, poſſet talem mortuum ad gratiam vivificare, poſſet ſimiliter ſacra Pœnitentiæ abſolutio accepta pro mortuo in læthali crimine, poſſet, inquam, eumdem mortuum iuſtificare & ſalvare, quod nec dicunt poſſe fieri ipſi Adverſarii Etherodoxi: igitur nec Baptiſmus, cum utriuſque Sacramenti par ſit ratio; cum Sacramentum quodcumque non proſit ad ſanctificationem niſi ſolis ſuſcipientibus. Præterquamquod defunctis abſque Baptiſmo, & ideo ab Eccleſia alienis, nihil iuvare poſſunt ſuffragia, quæ viventes ipſis applicent.

Quoad textum vero antea cit. Apoſtol. 1. Corinth. 15. quem hoc explicare remiſimus *alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* ſciendum varias eſſe eiuſdem textus PP. ac Theologorum interpretationes allatas & ab Eſtio in Paulum, & a P. Calmet Tom. 2. pag. 203. & tres ſunt præcipui momenti. Prima nempe eorum, qui aſſerunt ex conſuetudine aliquorum, qui viventes baptizabantur pro mortuis, demonſtrare Apoſtolum futuram corporum reſurrectionem argumento, quod dici ſolet *ad hominem*, non illam conſuetudinem approbando, ſed illa dictæ reſurrectionis fidem aſtruendo, & confirmando, & hanc propugnat P. Calmet. Altera eſt eorum, qui cenſent D. Paulum loqui de iis, qui decumbentes in lecto & morti proximi ſuſcipiunt baptiſmum, & re ipſa declarant, ſe baptizari pro mortuis, ideſt ut Baptiſmus ſibi proſit vita functis, & pro eo ſtatu, ad quem accelerant; quod pariter ad adſtruendam propandamque reſurrectionem eſt invictum argumentum & de hac legatur Eſtius loco cit. & Gerardus Voſſius. Tertia tandem eorum eſt, qui interpretantur ly *pro mortuis* pro corporibus morti obnoxiis, ut verborum Apoſtoli ſenſus ſit, ſi futura non eſt carnis reſurrectio, cur in ſpe, & fide reſurrectionis ea baptizant, quæ ita morti addicta ſunt, ut nunquam ſint immortalitate donanda. Sic interpretatus eſt verba illa D. Chryſoſtomus Homil. 40. in 1. ad Corinth. ubi obſervat S. D. *baptizandos recitatis verbis Symboli; Credo carnis reſurrectionem* in hac fide regenerari. *Hoc ergo* (ibi ait) *in memoriam revocans Paulum dicebat; ſi non eſt reſurrectio pro mortuis* (*ideſt corporibus*) *cur baptizaris? Propter hoc enim baptizaris, quia mortuum corpus reſurrecturum credis, & mortuum non manſurum*: & hæc Chyſoſtomi tertia interpretatio verborum Apoſtoli eſt cæteris præponenda.

Circa vero Campanarum Baptiſma, quem ut dixi reprobant Novatores ut ſuperſtitioſum ritum, ut Magdeburgenſes Centur. 10. cap. 6. Voſſius, aliive apud Ioannem Georgium; nobis ſatis erit breviter ſalvere, quæ contra talem ritum illi nobis obiiciunt. 1. videlicet quod Ioannis XIII. inventor fuerit huius ritus, qui primus omnium anno 968. ſacris cæremoniis conſecravit Lateranenſis Eccleſiæ Campanam. 2. eumdem ritum proſcriptum fuiſſe a Carolo Magno in ſuis Capitularibus pag. editionis Moguntinæ 266. ubi habetur quod *clocas non baptizent, nec chartas per perticas pendant propter grandinem*. 3. quod Campanæ ſunt omnino Baptiſmatis incapaces. 4. quod ridiculum videtur, ac ſuperſtitioſum in Campanarum baptiſmo ea omnia adhibere, quæ in hominis baptiſmate uſurpantur, ut eſt nominis impoſitio, inunctio, lavacrum, candida veſtis, nec non Patrinorum præſentia; quæ omnia, ut videbimus, ſunt maxime infirma, inutilia,

Digitized by Google

lia, ac nullius momenti ad exturbandum hunc ſacrum Eccleſiæ ritum.

Sed non inutile erit prius elucidare, quæ reſpiciunt initium uſus æris campani in Eccleſia. Certum eſt quod quovis tempore poſt redditam Eccleſiæ pacem, ex quo ſacris religionis officiis publica erigi cœperunt templa, ſigno aliquo fideles congregari fuere ad normam veteris legis, in qua tubis argenteis, & ductilibus populus convocabatur, ut Numer. 10. & his in Eccleſia ſubſtitutæ fuere Campanæ, ut ſcribit Albinus Flaccus *de divinis officiis*, quorum uſus, cum tam cito inductus non ſit, aliquo alio ſigno primis Eccleſiæ ſæculis vocabantur fideles ad Eccleſiam: quale tamen fuerit incompertum eſt: illud certe erat ſonorum, ut refert S. Ephrem Edeſſæ in Eccleſia Diaconus Pareneſi 43. & alii Graeci. Antequam Urſus Participatius circa annum 865. dono mitteret campanam ad Michaelem Imperatorem, ſolebant vocare ad Eccleſiam modo lignea tabula, quam malleis pulſabant, ſicuti hodie conſueſcit Eccleſia a feria V. maioris hebdomadæ quando ſuſpenditur ſonus æris campani uſque ad Sabatum Sanctum, & appellabatur *lymandrum*, modo vero lamina ferrea malleo pariter percuſſa, & vocabatur *Hagioſidirum*, ut habet Hieronymus Magius opuſcul. *de tintinnabulis* Eccleſia tamen occidentalis multo ante Campanis utebatur, ut meminit Auctor Ordinis Romani tit. *de Sabato Sancto*: S. Audenus in vita S. Eliſii ſcripta circa annum 650. Quis vero uſum Campanarum induxerit eſt prorſus incertum, alii ut Polydorus Virgilius l. 6. *de rerum invention.* cap. 12. Pavinus in Epitom. Rom. Pontific. aliique hunc tribuunt Sabiniano aſſumpto ad Petri ſedem anno 604. alii S. Paulino Epiſcopo Nolano, ac propterea dictæ ſunt *Campanæ* & *Nolæ* ab eadem urbe, Nola, & eſt vulgaris, & communior opinio. Utraque tamen reiicitur. Prima, quia citati Scriptores nullum proferunt illius aſſertionis momentum Altera, quia nullus veterum, qui mentionem faciunt de S. Paulino; imo nec ipſe Paulinus in Epiſt. ad Severum, deſcribens partes omnes Baſilicæ, quam erexerat, verbum ullum fecerunt de hac inventione; & addunt vocabulum *Nolæ* tribus fere ſæculis ante Paulinum uſum fuiſſe a Quintiliano, ut obſervat Sandinus. Nihilominus cum argumentum petatur a nominum ethymologia *Nolæ*, & *Campaniæ* cenſet P. Berti non eſſe contemnendum, cum certe non niſi a Campania vocabulum Campanæ ſit derivatum.

Ut igitur Hæreticorum argumentis ſatisfiat, reſpondetur, Ioannem XIII. non fuiſſe inſtitutorem conſecrationis Campanarum, cum conſentiant recentiores talem ritum eſſe Ioanne XIII. antiquiorem, & hoc probant ex Ritualibus libris editis ante eumdem Pontificem, ut habet Card. Bona *de rebus Liturgicis* cap. 22. Martene *de antiquis Eccleſiæ ritibus* l. 2. cap. 2. & alii; & conceſſo etiam, quod Ioannes XIII. fuiſſet auctor illius ritus, nihil evincerent adverſarii, cum Eccleſia plenam teneat poteſtatem novos ritus inſtituendi. Non impoſuit igitur Ioannes nomen ſuum Campanæ Lateranenſi, ut aiunt Voſſius, & Baleus, ſed conſecravit Campanam illam impoſito ei S. Ioannis nomine, ritu iam antea inſtituto. Ad 2. vero, dico reprobaſſe Carolum Magnum conſecrationem Campanæ peractam ſuperſtitioſo quodam ritu non recepto ab Eccleſia, ut advertit Victor Amerbachius apud Roccam pag. 163. quamvis norma fidei non ſit repetenda a capitular. Carolin. Ad 3. repono, benedictionem Campanæ dici Baptiſmum lato ſenſu, prout idem eſt ac ablutio, non Baptiſmum verborum formæ, ac Sacramentum gratiæ productivum. Non enim baptizantur Campanæ quaſi fidei, & gratiæ ſint capaces, ſed ut nos quadam ſacra voce ad Eccleſiam convocemur, & benedictione æris ſonantis intelligat populus ſe invitari ad fidei verbum, confortetur in Domino convocatus, pietas augeatur in eo, & devotio, procul pellantur omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, impetuſque tempeſtatum, cuius finis cauſa ex verbis ipſius Pontificalis Roman. & cap. 4. Concil. Colon. advertimus Campanas conſecrari. Ad 4. tandem dicimus in Campanarum Baptiſmo non adhiberi formam, quæ Sacramentum inſtituit, ſicuti non Sacramentum inſtituunt formæ aliarum benedictionum, puta Candelarum, aquæ luſtralis, ſacrorum vaſorum &c. nec in tali Baptiſmo adhibetur inſtructio, catechiſmus, ut bene notat Bellarminus l. 4. *de Rom. Pontific.* cap. 12. Imponitur vero Campanæ nomen, ut quaſi voce alicuius Sancti Chriſtiana Plebs convocetur; benedicitur, & inungitur, quemadmodum lapis; ait Durantus l. 1. cap. 22. quem Iacob erexit in titulum, nempe quia conſecratur in Dei cultum: extergitur linteo mundo in ſacri olei venerationem: admittuntur denique in quibuſdam locis, ut Cataloniæ (ac ideo non ubique, nec ex Ponf. Roman. præſcriptione) in tali Baptiſmo Patrini, ut Sacri Æris Campani, ideſt ipſius

Digitized by Google

Sacrationis præſint cuſtodes, atque eas pulſent iuxta Eccleſiæ conſuetudinem, ac finem talis ritus. Ita P. Berti cum quo hactenus.

§. XVIII.

De neceſſitate Baptiſmi poſt Evangelii promulgationem.

Nota, neceſſitatem duplicem eſſe, ſicuti antea iam diximus, alteram *medii*, ſeu finis; alteram præcepti. Hinc Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt Sacramenta neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. Et hoc probat a priori Chriſti Domini inſtitutio; vi cuius continent, ac conferunt gratiæ ſpiritualis effectum, qui per ſe ita neceſſarius eſt, ut ſine illo nemo poſſit ſalutem æternam obtinere. Unde nemo ſalvari valet ſine gratia, quæ vel regeneret in Baptiſmo, vel reparetur in Pœnitentia. Quocirca in rebus huiuſcemodi, nec ignorantia, nec impotentia excuſant, ita ut licet non ſit reus violati præcepti, qui baptiſmi præceptum invincibiliter ignorat, vel ipſi parere nequit; gratiam tamen Baptiſmo annexam non percipit, niſi in caſu martyrii, vel contritionis; & tum negative, ut iuxta phraſim loquar Theologorum, propter gratiæ illius defectum, tum poſitive propter peccatum ſive originale, ſive actuale non dimiſſum, ille æternæ damnationi eſt obnoxius.

Neceſſarium re neceſſitate medii fit etiam neceſſarium neceſſitate præcepti.

Hinc cum quiſque teneatur adhibere media omnia neceſſaria ad ſalutem conſequendam, ea quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii, fiunt neceſſaria etiam neceſſitate præcepti, non tamen ut ſuam habeant neceſſitatem ex præcepto, niſi, ut dicitur, præſuppoſitive; imo ex neceſſitate quam habent ex propria conditione fit, ut ex præcepto quoque ſint neceſſaria. Tournel.

Neceſſarium vero neceſſitate præcepti illud dicitur, quod ſine peccato omitti nequit, & in eiuſmodi rebus excuſat ignorantia, vel impotentia. Unde obſervatio præcepti neceſſaria fit neceſſitate medii reſpectu illius, qui capax eſt præcepti, quod obſervare tenetur; & obſervatio præcepti eſt neceſſaria negative ad ſalutem, ideſt ne propter tranſgreſſionem præcepti ſaluti impedimentum ponatur.

Aliquid poteſt eſſe neceſſarium dupliciter.

Nota 2. dupliciter aliquid poſſe eſſe neceſſarium, vel in re, vel in voto. Illud eſt neceſſarium in re quod ſecundum ſe, & neceſſario adhiberi debet, ita ut nihil ſit, quod eius vicem ſuppleat. Illud vero eſt neceſſarium ſaltem in voto, quod neceſſario debet adhiberi, vel ſecundum ſe, vel in eius defectum ſecundum aliquid eius vicem tenens propter ſuam eminentiam, & eius votum, vel implicitum, vel explicitum continens.

Circa neceſſitatem Baptiſmi varii in varios errores Hæretici impegerunt. Alii enim damnantes, vel reiicientes uſum Baptiſmi, ut prioribus ſæculis Caiani, Quintiliani, Manichei, Seleuciani &c. Alii negantes originale peccatum, ut Pelagiani Sæculo 5; alii autumantes Baptiſmum ut merum externum Symbolum nullius præſidii ad ſalutem, ut Wicleſus, Zuinglius, ex recentioribus, Calvinus negarunt Baptiſmum neceſſarium eſſe neceſſitate medii, ſed ad ſummum præcepti. Alii vero, ut Sociniani negarunt etiam præceptum baptiſmi, nempe Chriſtum hunc præcepiſſe, ſicut docent Catholici ex cap. Matthæi 28. His notatis ſit.

Baptiſmi Sacramentum poſt ſufficientem Evangelii promulgationem quibuſcumque generaliter neceſſarium eſt neceſſitate medii ad ſalutem in re, vel ſaltem in voto. Et adultis, qui uſum habent rationis, ac liberi arbitrii, eſt neceſſarium etiam neceſſitate præcepti; & hoc eſt de fide. Dixi *ſaltem in voto*. Nam quando Sacramentum percipi nequeat, ſupplet Baptiſmus flaminis, vel Sanguinis, ideſt martyrium, qui dicuntur Sacramentum in voto, ut ſuo loco res clarius exponetur.

Illud plane neceſſarium eſt neceſſitate medii, ſine quo haberi nequit remiſſio peccatorum, & præcipue peccati originalis, & regeneratio in vitam ſpiritualem, quæ abſolute omnibus hominibus ſunt neceſſariæ ad æternam conſequendam beatitudinem, in quam nihil coinquinatum ingredi poteſt; & nonniſi ut merces merito gratiæ ſupernaturalis ſempiterna regni Dei retribuitur felicitas. Quare cum huiuſcemodi effectus ab ullo homine obtineri nequeant ſine ſuſceptione baptiſmi, ex quo baptiſmus inſtitutus fuit, & promulgatus, apertiſſime conſequitur, Baptiſmum neceſſarium eſſe neceſſitate medii ad beatam vitam conſequendam; quidquid delirando excogitaverit Pelagius, qui ut eluderet illud Chriſti teſtimonium; *Niſi quis renatus fuerit &c. non poteſt introire in regnum Dei* diſtinguendo beatam æternam vitam a regno Dei, dixit, ſine baptiſmo haberi poſſe beatam vitam & æternam, ſed ad regnum Dei perveniri non poſſe ſine Baptiſmo; cum talis copioſa diſtinctio vitæ beatæ a regno Dei, omnino divinis opponatur Scripturis, quæ pro uno, eodemque, utuntur.

Digitized by Google

trumque tradunt, ut contra eamdem fictam diſtinctionem demonſtrat D. Auguſt. ſerm. 14. *de verb. Domini* nunc 294. Quod enim Chriſtus Dominus regnum vocat Matth. 25. v. 34. nominat vitam æternam v. 46. *ibunt* (ait) *hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.*

Quod vero Baptiſmus ad generationem & proinde ad ſalutem neceſſarius ſit, clariſſime teſtatur Chriſtus Dominus alias laudato loco Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei*; quæ Domini verba ſemper accepit Eccleſia pro aqua Baptiſmi, eiuſque neceſſitate, & conſtanter docuit in tali ſenſu eſſe intelligenda, & ſemper ſolicita curavit, ut hoc Sacramentum tanquam neceſſarium ab omnibus ſuſcipiatur, nec unquam pro Chriſtianis habuit, ac recognovit, qui ſacro Baptiſmatis lavacro tincti non eſſent. Hinc S. Fulgentius *de fide ad Petrum* cap. 3. ait; *Ex iſto tempore, quo Salvator noſter dixit, ſi quis renatus non fuerit &c. abſque Sacramento Baptiſmatis, nec regnum cælorum poteſt quiſquam accipere, nec vitam æternam.* Quid clarius deſiderari poteſt contra diſtinctionem Pelagii beatitudinis a Regno Dei, & pro neceſſitate abſoluta Baptiſmi ad vitam æternam in Dei regno, quod eſt cœlum, obtinendam.

Et hoc confirmat SS. Patrum perpetua Traditio, & auctoritas. Ita enim loquitur S. Auguſtinus tract. 11. Et 12. in Ioannem, Epiſt. 57. l. 1. ad Simplici: q. 2. l. 4. contra Donatiſt. & alibi S. Ambroſius l. 2. de Abram cap. 11. ubi verba Ioan. ſic exponit; *Itaque nullum excipit, non infantem, non aliquem præventum neceſſitate.* S. Hieronymi contra Vigilant. & aliorum penes innumera de hac Eccleſiæ veritatè habentur teſtimonia.

Quare damnavit Eccleſia cum Manichæis quoſcumque alios, qui venenum converterint contra Baptiſmi virtutem, ac neceſſitatem. Et præter Concilia Charthagin. IV. & Milevit. hanc inconcuſſam tradidere doctrinam recentiora, Florentinum ſcilicet in Decreto Armen. & Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. & 7 & ſeſſ. 7. can. 3. de Baptiſmo ubi ſic definit; *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem; Anathema ſit.*

Et ut magis manifeſtiorem redderet Chriſtus Dominus ſenſum ſuæ ſententiæ Ioann. 3. nempe ibi loqui de irrefragabili Baptiſmi neceſſitate, rationem etiam addidit per illa alia verba; *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt*, quaſi diceret: cum omnis homo carnalis, & peccato obnoxius naſcatur ex Adam; Spiritualis & iuſtus, ideoque ſalvus fieri nequit, niſi per Spiritum Sanctum renaſcatur; ſiquidem caro ſe ipſam ſpiritalem efficere nequit; hinc reſtat, ut ad illud adminiculum confugiatur, per quod Spiritus Sanctus inſtituit, & ſine quo non vult, homines facere ſpirituales. Et hoc eſt lavacrum baptiſmalis aquæ; quare conſequens ſit, debere unumquemque ex Spiritu Sancto per illam aquam renaſci. Ita Eſtius

Occurrit hic exponendum num ſeperari poſſint aliquæ exceptiones a generali Chriſti ſententia; *Niſi quis renatus fuerit &c.* in gratiam parvulorum, qui ob impoſſibilitatem, aut alias cauſas ad Baptiſmum pervenire non potuerunt; ſicuti ſperandum cenſent aliqui Recentiores, inter quos refert hic Ludovicus Habert Gabrielem Biel, ac Gerſonum, qui in Concione habita in feſto nativitatis B. M. V. in Concilio Generali Conſtantienſi, hortabatur parentes, Deum orare pro pueris in utero materno morituris. *Quis enim ſcit*, inquit, *ſi forte exaudiat?* Sic etiam ſenſit Card. Caietanus in 3. part. D. Thomæ ad art. 11. q. 68. qui docuit infantes in utero matris periclitantes ſalvari poſſe per baptiſmum ſuſceptum in voto parentum, modo SS. Trinitas invocetur, & parvulus benedicatur, ſeu Deo offeratur. Huic Caietani ſententiæ pepercit Concil. Trident. nec audire voluit, qui eam proſcribendam aſſerebant, referente Pallavicino in ſua Hiſtor. Ait enim Caietanus q 68. art. 11. in 3. part. D. Thomæ. *Dicendum, ſub conditione tamen, parvulos in uteris maternis periclitantes poſſe ſalvari, ſicut dictum eſt de infantibus, qui non poſſunt baptizari.* In propoſito tamen huiuſce privilegii, licet videatur multum favere, quod Deus ſua omnipotenti miſericordia ſine ullo Sacramento per ſpecialem favorem ſalvare poſſit quod vult; tamen cum nihil de hoc habeatur a Scriptura, nec a Traditione, non videtur quomodo hoc ſpeciale privilegium ſperari poſſit. Immo ex D. Auguſt. epiſt. 118. alias 23. nullatenus eſt ſperandum; ait enim S. D. *ex arbitrio noſtro ſalus æterna ſine Chriſti baptiſmo non mittenda infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus rationibus præferenda*: & alibi; *Noli credere, noli docere* (cum pertinacia) *infantes antequam baptizentur morte præventos pervenire poſſe ad indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Hinc Pius V. iuſſit ex-

pungi illam ſententiam ex commentariis Caietani, utpote contrariam doctrinæ Eccleſiæ, quæ nunquam pro infantibus ſine baptiſmo defunctis oravit; imo eos ita ex ſua communione fidedium excluſit, ut ne quidem ſepulturam Chriſtianorum ipſis unquam conceſſerit. Et ideo Concil. Trident. ſententiam Caietani expendere noluit, quia, ut teſtatur cit. Pallavicin. eius materia non pertinebat ad controverſias, ad quas ſopiendas Patres convenerant.

Et eſto etiam quod Deus extraordinarie nonnullis infantibus ſalutem conceſſerit ſine Baptiſmo, ut ab aliqua refertur Hiſtoria, & exinde laudati Theologi divinam enixius implorandam miſericordiam pro parvulis in utero perituris ſuaſerint; conſtans nihilominus perſiſtet catholica veritas, Baptiſmum inſtitutum eſſe a Chriſto Domino ut unicum, ac ſingulare remedium ad originalem delendam culpam, & æternam ſalutem in cœleſti regno conſequendam. Sic alimenta abſolute neceſſaria dicuntur vitæ corporali, tametſi Deus aliquos ſine cibo extraordinaria providentia in vita ſervaverit. Quocirca patet ad evidentiam, quod qui privilegium iſtud non baptizatis pollicentur, humano quodam affectu decipiuntur, cum non ſolum Concilia, & PP. ſed divina etiam Scriptura aliud, ſi conſulatur, reſpondeat.

Pars altera vero, quod Baptiſmus neceſſarius ſit Adultis, qui liberum habent rationis uſum, etiam neceſſitate præcepti, facile probatur. Etenim Adulti ſufficienter inſtructi, ſtatim ac poſſint cum debitis diſpoſitionibus tenentur ex iure divino Baptiſmum ſuſcipere; tum quia ratio naturalis dictat, & charitas exigit, ut quiſque conſulat propriæ ſaluti, ac proinde adhibeat media, quæ ad conſecutionem huiuſce finis ſunt neceſſaria; ita ut, ſi ea media negligat, ac contemnat, non ſecus ac qui omnem cibum reiiceret vitæ corporis, eſſet hic vitæ animæ homicida, ac ideo graviter peccaret; tum quia quiſque tenetur ex Chriſti præcepto ingredi Eccleſiam per Baptiſmum, qui eſt eius ianua, & fidem ſuam profiteri, quæ præcepta obligant ad non diu differendam eius obſervantiam, ſed de huiuſce debiti dilatione melius infra.

Dixi *Adultus*, quia parvuli ob defectum uſus rationis, ac propriæ voluntatis non ſunt capaces præcepti. Quocirca, ſi ſine Baptiſmo ii decedant ex hac vita, non damnantur tanquam præcepti tranſgreſſores, ideſt non præciſe propter omiſſum Baptiſma, ſed propter originalem maculam. Et hoc extenditur ad infideles negativos, hoc eſt ad illos, qui de Chriſto, eiuſque Evangelio nihil quidquam unquam audire potuerunt; hi quoque pereunt, non quia baptizati non ſunt, ſed quia moriuntur in ſuis peccatis.

§. XIX.

De Baptiſmi neceſſitate etiam quoad filios fidelium.

Inter errores Calvini hic etiam recenſetur, quem habet in l 4. ſuarum Inſtitutio. cap. 16 ubi negat fidelium liberis neceſſarium eſſe baptiſma, & hoc variis Scripturæ textibus per captioſam, malamque interpretationem abutendo firmare nititur; inter quos adhibet illud Gen. 17. ubi Deus fœdus ſtatuit cum Abraham his verbis: *Statuam pactum inter me, & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te*, hæc autem promiſſio, aiunt ipſe, & eius ſequaces, ſpectat ad filios baptizatorum, ut etiam conſtat ex D Paul. Rom. 11. ubi ait: *quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa, ſi radix ſancta eſt, & rami*, & 1. Corinthior. 7. v. 14. *Sanctos* vocat filios qui, oriantur etiam ex alterutro Coniuge fideli, per quem alter infidelis ſanctificetur, *Sanctificatus enim eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*. Idcirco concludunt Novatores cum ſuo Pſeudo-Magiſtro Calvino, quod filii, qui ex fidelibus parentibus, ideſt baptizatis orti ſunt, per ſolam fidem ſine viſibili Sacramento æternam promiſſionem poterunt adipiſci; igitur nullo indigent ſalutari lavacro. Contra quos ſit.

Eccleſia univerſalis perpetuo, ac conſtanter docuit ſacrum baptiſmi lavacrum omnibus quibuſcumque hominibus, ne quidem liberis Chriſtianorum exceptis, eſſe neceſſarium, ut ſpiritualis regeneratio gratiæ in eis operetur, & via ad æternam vitam conſequendam eis aperiatur. Et hoc conſtat manifeſte 1. ex Scriptura in ſæpe laudato teſtimonio Ioann. 3. *Niſi quis renatus &c.* ita univerſim ſe extendit hic textus ad omnes ſingillatim homines, ut locus ullus exceptioni, aut alienæ interpretationi omnino non relinquetur, & valde mirum videtur quomodo potuerint, & poſſint Novatores ſuper ſenſum huiuſce textus ſic allucinari. 2. ex Eccleſiæ Traditione, quæ ſemper tenuit, ac aſſeruit, non poſſe parentes Chriſtianos alio me-

medio providere ſuorum filiorum ſaluti, niſi per Baptiſma. Hinc SS. Patres graviter monuere parentes, ut ſolliciti ſint, ut ſui filii ſacro regenerentur lavacro, ac maxime improbarunt, damnaruntque, ut reos ſpiritualis hominis perditionis illos, ex quorum negligentia contingeret, infantem ſine baptiſmate ex hac vita excedere, ut inter alios declamat contra huiuſcemodi parentes æternæ ſpiritualis vitæ filiorum ſuorum proditores S. Cyprianus epiſt. 59. *ad Fidum*. Et ut claudatur omnis aditus adverſariorum cavillationi, quæ cæteroquin nullum prorſus habet locum, dicimus, S. Cyprianum non obiurgare parentes infideles, quod tanto bono ſuos privent filios, baptiſmum eis conferri denegando, dum in citata epiſtola parentes fideles alloquatur.

Conſulendus vero eſt S. Auguſt. qui *l. de dono perſeverant. cap.* 12. *n.* 13. luget miſeram ſortem parvulorum, qui e vita rapiuntur, dum pii Parentes ipſis ſubvenire feſtinant. Clare colligitur in re hac verſari etiam alios Patres erga parentes fideles, ex quorum negligentia fiat, ut filii e vita decedant ſine baptiſmate, vitamque proinde æternam, amitrant; *Quod etiam*, ait S. D. *aliquando parvulis infidelium filiis potuit ne irent in damnationem, & filiis fidelium non potuit ſubveniri?* Habert.

Facilis autem eſt reſponſio textibus, quos ex Scriptura opponit Calvinus. Nam in 1. quem deſumit ex Gen. 17. ibi Deus ſolum promiſit Abrahæ, quod eius poſteri ſibi futuri ſint in peculiarem populum. Quod autem hæc promiſſio non intelligenda ſit in ordine ad gratiam, advertere debuit Calvinus, non paucos ſucceſſores Abrahæ fuiſſe reprobos, ut Rom. 9. obſervat S. Paulus. *Non qui filii carnis hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis*, imo hoc fortius eſt argumentum pro catholica ſententia, cui certe nihil apte reponere poteſt Calvinus, nempe quod Iudæi procreati ex ſemine Abrahæ non erant participes ſempiterni fœderis, *niſi accepto ſigno circumcumciſionis*. Unde cum Circumciſio Symbolum eſſet Baptiſmi, & aggregatio populo Dei, ac participatio ſempiterni fœderis, ac promiſſionis, figura coaptationis fidelibus ſalvandis in Cælorum regno promiſſæ a Chriſto credentibus, & baptizatis. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit*; & ſic divinum fœdus cum Eccleſia in Lege gratiæ, ſequitur ad evidentiam, quoſcumque homines, etiamſi orti ſint a parentibus fidelibus, & iuſtis, non fieri filios promiſſionis, nec reputari in ſemine, *niſi per expoliationem carnis ſint conſepulti Chriſto in baptiſmate*; & ſicut delebatur anima pueri incircumciſi de populo Dei ob legis præſcriptum; *Maſculus, cuius præputii caro &c.* ita excluditur a regno Dei quiſque non eſt regeneratus baptiſmo iuxta Chriſti Domini teſtimonium toties laudatum Ioann. 3. *Niſi quis &c.* Ad 2. verba illa Apoſtol. Rom. 9. *& ſi radix ſancta &c.* intelligenda ſunt de religione Chriſtiana; illa autem & *rami* de filiis fidelium baptiſmate regeneratis, qui ſancti dicuntur ob renaſcentiam ſpiritualem, & Sacramenti virtutem. In textu tandem cap. 7. 1. Corinthior. Apoſtolus non loquitur de ſanctitate proprie dicta; nam maritus infidelis profecto non fit formaliter, & directe ſanctus per cohabitationem cum uxore fideli, & e contra, ſed diſpoſitive tantum, & indirecte, quatenus converſatio cum uxore fideli diſponit illum ad fidem, & ſic fit candidatus fidei, ut ſcribit S. Hieronym. L. 1. *contra Iovinianum*; idcirco eodem modo intelligendus eſt Apoſtolus de liberis; non enim deſunt exempla parvulorum, quos ait S. Auguſt. *ad chriſtianos faciendos voluntas unius* (parentis) *evicerat*. Et in hoc ſenſu interpretatur hunc textum Tertul. l. 1. *de anim.* cap. 39.

§. XX.

De neceſſitate Bap iſmi præponendi aliis Sacramentis.

Quod hic diſcutiendum proponitur eſt, num neceſſe ſit ſuſcepiſſe baptiſmum, ut alia Sacramenta quis & licite, & valide ſuſcipere queat.

Et 1. certum eſt, & commune apud omnes Theologos, ad licitam ſuſceptionem Sacramenti neceſſario præſuponi, quod ſuſceptum ſit Baptiſma; & hæc eſt doctrina Concil. Florentini in Decret. Union. in quo Baptiſmus vocatur vitæ ſpiritualis ianua, quod profecto non verificaretur ſi Confirmatio, ſive aliud Sacramentum licitum eſſet ſuſcipere ante baptiſmum; quandoquidem per illud primam ſpiritualem vitam conſequi poſſet. Et hoc temporalis vitæ ordine comprobatur. Etenim eodem ferme pacto, quo homo prius naſci debet corporaliter, quam in vita corporali nutriatur, augeatur, & roboretur; ſic pari paſſu dicendum fieri debere in vita ſpirituali, videlicet prius ad illam naſci debere ſpiritualiter per baptiſmum, quam in eadem vita ſpirituali confirmetur, creſcat, confortetur &c. quod fit per Confirmationem, Euchariſtiam &c. Sicuti vero

Digitized by Google

Baptiſmus neceſſario prærequiritur, ſeu præſuponendus eſt aliis Sacramentis, ut licite alia recipiantur; modo inquirimus, num ſit etiam neceſſario præſuponendus ad hoc ut recipiantur valide.

Dicimus neceſſario Baptiſmum præſuponi aliis Sacramentis, ut valide ſuſcipiantur, excepta ſaltem Euchariſtia, quæ licet infructuoſe, valide tamen ſuſcipitur etiam a non baptizato. Sic tenent SS. Patres, ac ſentiunt communiter Theologi omnes, uno, vel altero ex recentioribus excepto. Et hoc 1. patet ex cap. *Veniens* de Presbitero non baptizato, ubi Innocentius III. mandat, ut Presbiter, qui deprehenditur, quod non ſit baptizatus, baptizetur, & iterum ordinetur: quia, ut ait, taliter legitur conſtitutum in Concilio apud Compendium; Si autem Ordo non baptizato collatus valeret, Presbiter iſte non amplius ordinandus eſſet. Quando invalidus eſt Ordo, invalida utique erit etiam Confirmatio, invalidum Matrimonium, cum par in omnibus ſit ratio, & conditio. 2. ex SS Patribus Baptiſmus eſt fundamentum, & ianua omnium aliorum Sacramentorum: Unde cum non ſtante fundamento omnia ſuperædificata corruant; hinc ſine præcedente baptiſmo nulla ſunt alia Sacramenta, nullusque ingredi poteſt in Eccleſiam, & eius corpori tamquam membrum copulari. Et hoc aperte docet S. Thomas in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2 quæſtiuncul. 3. ubi ait; *Per characterem autem baptiſmalem efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum: unde qui characterem baptiſmalem non habet nullum alterum Sacramentum recipere poteſt.*

Si enim etiam tenuiter, ſic arguit inſignis Theologus ſcotiſta P. Henno, probabile eſſet, valere Sacramenta etiam ante Baptiſmum, ordinaſſet Eccleſia, vel ſaltem alicubi hæc praxis uſitata legeretur, ut in defectu aquæ, ſi hoc unquam contingeret, ut non difficiliter contingere poteſt, præberetur Euchariſtia, ſive aliud Sacramentum baptizari petenti. Hoc autem non ſolum nullibi invenimus uſitatum fuiſſe, ſed ne quidem fuit conſultum, aut a quovis Doctore doctrinaliter opinando traditum uſque ad recentiſſima tempora, quando ab uno vel altero Theologo hoc audiri cœpit, auctoritas quorum numero iam pauciſſimorum, ut nemo non videt, nullam vim aut fere nullam, ac pondus habere poteſt contra communiſſimum ſenſum SS. Patrum, Theologorum omnium cuiuſcumque claſſis tum præteriti, tum currentis ævi, & quod maximi eſt momenti ipſius Eccleſiæ, quæ in rebus fidei conſtituta eſt a Chriſto Domino magiſtra, & iudex, a cuius iudicio, & ſenſu fideles omnes & indocti, & docti pendere debent. Hæc enim nunquam hoc edocuit, nec ut verum cenſuit, ut perpetuus eius uſus, & etiam iudicium manifeſtiſſime demonſtrat, cum, ſicuti ſupra notavimus ex Innoc. III. in cap. *Veniens*, ſi contigerit aliquem recepiſſe Sacramentum aliquod imprimens Characterem ſine Baptiſmate, abſolute ait, ut baptizetur, & poſtea iterum Sacra in eo fiat Ordinatio, quia nullam tenuit, quæ ante baptiſmum erat peracta, ut habetur in eodem cap. *Veniens* de Præsbitero non ordinato.

Quare ſi non eſt recedendum a communi DD. ſententia, niſi ex gravi fundamento, aut ſaltem rationabili (quo prorſus carent recentiſſimæ opinionis Patroni) alias ſingularitatis, & temeritatis nota incurritur, multo longe minus recedendum erit a ſententia, iudicio & praxi Eccleſiæ, cuius ſenſus utpote univerſalis fidelium iudicis, & magiſtræ latiſſime prævalet cuiuſcumque auctoritati & iudicio.

Opponunt autem Adverſarii 1. cum S. Dionyſio, qui dubitanti, an valeret ſuum Baptiſma, ita reſpondit teſte Rufino l. 7. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 8. *Et ſufficere.... quod Euchariſtiæ recipiens donum reſponderet Amen, ex quo per ſingula potuiſſet ipſa Sacramentorum virtute purgari.* Cohortabatur igitur (ſequitur Dionyſius) *eum debere confidere fidei ſuæ, & conſcientiæ tam purgatæ quod tamdiu in Sacramentis nobis tam particeps fuiſſet.* 2. ex Innoc. III. ſupracitato, qui, licet mandaverit reordinandum Sacerdotem illum, oſtendit tamen probabilem eſſe ſententiam docentem illo caſu ordinem valere; nam, poſtquam rationes hinc & inde ibi expoſuit, ait; *In hoc dubitabili caſu quod tutius eſt ſequi mandamus, quatenus ipſum per ſingulos ordines uſque ad Sacerdotium promovere procures.*

Reſpond. ad auctoritatem D. Dionyſii. Non dixit ex quo purgatus eſt, vel ex quo potuit purgari virtute Sacramenti, ſed ex quo purgari potuiſſet, ſi valuiſſet Baptiſma, de quo dubitatur. Quod autem addat, ei confidendum ſe eſſe purgatum, eo quod in Sacramentis participaſſet, non eſt mirum, quia vix fieri poteſt, ut tamdiu participans Euchariſtiæ non fuerit purgatus ex opere operantis propter diſpoſitiones ad tantum ſuſcipiendum Sacramentum toties adhibitas. Hinc reſpond. 2. S. Dionyſium ſic locutum fuiſſe non ad probandam Euchari-

ſtiæ

Digitized by Google

ſtiæ virtutem reſpectu non baptizati, ſed ad diluendum ſcrupulum illius, quo S. Dionyſius credebat cæteroquin baptizatum, cum fateatur ipſe adverſarius, eum non rebaptizaſſe, quod proculdubio feciſſet, ſi vel minimum de valore Baptiſmi dubitaſſet. Ita Henno.

Ad illud vero Innocentii; reſpondeo, Pontificem per ly *in hoc dubitabili caſu* non dubitare, an valeat Ordo ante Baptiſmum collatus, cum reſolvendo immediate ante ex Concil. Compendienſi eſſe repetendum, reſolvat eſſe nullum, ſed dubitare an Sacerdos ille, quem maioris ſecuritatis gratia rebaptizari iuſſerat, fuiſſet baptizatus; quia natus ac commoratus erat inter fideles, ut ait poſtea, *præſumitur baptizatus, niſi argumentis quaſi evidentibus contrarium probetur*. Quocirca ſenſus verborum Innocentii eſt hic: Nos in caſu dubitabili de collatione baptiſmi tutius ſequentes, ordinando nempe præfatum rebaptizari, mandamus, ut eum ad Sacerdotium per ſingulos ordines promovere procures, *quia non intelligitur reiteratum, quod ambigitur factum*, id eſt quia propter dubium primi Baptiſmi, ſecundus cenſetur primus, adeoque ante illum irritos fuiſſe Ordines collatos. Percurratur Gloſſa, omniaque in ea diligenter expendantur, & dubitari non poterit hanc fuiſſe Innocentii mentem.

Dices 1. Credens ſe vere eſſe baptizatum per contritionem perfectam ſanctificatur, accedit ad S. Euchariſtiam, nihil certe impedit, quominus, huius Sacramenti fructum percipiat, cum capax ſit augmenti gratiæ.

Reſpond. eſſe quidem capacem augmenti gratiæ, non vero per Sacramentum recipiendæ, cum Sacramenta non operentur, niſi in ſubiecto capaci.

Dices 2. Baptiſmus quando dicitur ianua Sacramentorum ſemper intelligitur in re, vel in voto: igitur valere poſſunt alia Sacramenta etiam ante realem Baptiſmi ſuſceptionem. Eodem enim modo Baptiſmus dicitur ianua Sacramentorum, ſicuti in Decret. Unionis dicitur vitæ ſpiritualis ianua; ſed certum eſt etiam in voto eſſe vitæ ſpiritualis ianuam: Igitur ſicuti per Baptiſmum etiam in voto conſequi poteſt æterna vita, ita per Baptiſmum etiam in voto tantum ſuſcepto poteſt percipi effectus aliorum Sacramentorum. Igitur Sacramenta valere poſſunt vi ſolius Baptiſmi in voto, nempe etiam antequam re ſuſcipiatur.

Reſpond. neg. ant. & eius probationem. Certum eſt enim ex ſenſu communi Eccleſiæ, Baptiſmum aliter eſſe ianuam vitæ ſpiritualis, & aliter ianuam aliorum Sacramentorum. Nam cum doceat Eccleſia in Patribus, in Conciliis, in Ritualibus, & Catechiſmis &c. ſufficere ad iuſtificandum Baptiſmum flaminis, ubi deſit fluminis, conſequenter docet, poſſe etiam baptiſmum in voto ianuam eſſe vitæ ſpiritualis; nullibi autem nobis inſinuat ne quidem implicite, Baptiſmum in voto eſſe ianuam Sacramentorum. Satis eſt Baptiſmus in voto, ut conſequamur vitam æternam; quia hæc non plus exigit quam ſtatum gratiæ; non ſufficit tamen ad ſuſcipienda alia Sacramenta, eorumque fructum, quia hæc requirunt Baptiſmum realiter ſuſceptum.

§. XXI.

De Baptiſmi dilatione.

Quod hic agendum ſuſcipitur refertur & ad adultos reſpectu ſui, & ad parvulos reſpectu parentum, quibus incumbit procurare ſuis parvulis, ut ſuo tempore ſacro tingantur lavacro.

Mos differendi baptiſmum viguit antiquitus, & non ſolum quoad adultos, quibus ſerius Evangelicæ veritatis lumen effulſit, ſed etiam quoad quoſdam, qui iam catholica fide erant imbuti, quorum non pauci Chriſtianis parentibus progeniti erant; & inter perſonas illuſtris nominis recenſetur Conſtantinus, qui licet agnoverit Chriſtum, eiuſque fidei animum dederit ante annum 312 non niſi anno 324. Romæ, ſi credere velimus Baronio, per S. Sylveſtrum, Nicomediæ, ſi aſſentiamur Euſebio, aliiſve, ſacrum Baptiſmi lavacrum ſuſcepit paulo ante mortem, quæ contigit anno 337. Ad ſui genitoris exemplum Conſtantius baptizatus eſt Antiochiæ circa ſuæ vitæ finem anno 361. Theodoſius quoque tinctus fuit baptiſmali lavacro dum gravi morbo decumberet Theſſalonicæ, a quo tamen morbo convaluit. S. Ambroſius paulo ante Ordinationem, S. Auguſtinus anno trigeſimo, S. Paulinus Nolæ Epiſcopus anno quadrageſimo ſecundo, & ſic de quamplurimis aliis illuſtribus viris habetur in Eccleſiaſt. Hiſtoria, quod matura ætate baptiſmum ſuſcepere, quem morem innumeri ex omni alia conditione tenuere, quod, ut initio notavi, contingebat extra neceſſitatem non ſolum in adultis etiam profeſſione fidei iam provectis; verum in fidelium parvulis etiam, quibus genitores nullo imminente periculo ad adultam ætatem Baptiſmum protrahebant.

De more antiquo differendi Baptiſmi.

Non

Digitized by Google

Non ſine gravibus rationibus procul dubio hoc veteres facere debuere, quorum tamen nihil compertum habemus, non ſecus ac contingit in pluribus aliis, quæ antiquitus erant in uſu. Nihilominus tamen non extra propoſitum dici poteſt reſpectu parvulorum adhibitam fuiſſe hanc praxim, ſicuti exiſtimant Eſtius, & P. Berti differendi Baptiſmum infantibus extra mortis periculum, uſque ad adultam ætatem, ut poſſent, ait Eſtius, & intelligere myſteria baptiſmi, & ipſi pro ſe reſpondere, & percepti Sacramenti ſimul & ſponſionis factæ ſemper poſtea meminiſſe, & hac ratione futurum quoque, ut ſponſores minori periculo ſeſe obiiciant; & ob hanc rationem hunc morem approbavit Tertull. l. 1. *de Baptiſmo* cap. 18. Idemque conſilium placuiſſe videtur etiam Gregor. Nazianzeno ut ſententiam ſuam explicat in orat. 40. quæ eſt in S. Baptiſma.

Ratio praxis differendi Baptiſma infantibus extra mortis periculum ad maturam ætatem.

Quoad adultos, vero, quando hi etiam ſufficienter inſtructi erant de Chriſtianæ religionis myſteriis, ac præceptis eſt eorum fide iam imbuti quare tam diutius baptizari diſtulerint, in quibuſdam cenſeri poteſt hoc contigiſſe forſan, quia erant perterriti ex falſa Novatianorum ſententia, qui ex male intellectu Apoſt. ad Hæbreos 6. colligebant nullam ſpem veniæ iis ſupereſſe, qui ſemel illuminati, & accepta baptiſmi gratia iterum deliquiſſent. Differebant etiam bene morati timentes noſtræ infirmæ naturæ imbecillitatem, uſque ad valde provectam ætatem, in qua ſperabant ob minorem paſſionum æſtum facilius poſſe in accepta Baptiſmi gratia uſque ad mortem permanere. In aliis vero cauſa talis dilationis probabiliter eſſe debuit voluptuoſa eorum vita, ob quam noluerint in florente ætate valedicere illecebris, & arctiori vivendi genere obſtringi; ſicuti in moribus ſuorum initiatorum exigebat Baptiſmus; unde tantum differebant hi, ut in extremo vitæ periculo infirmi in lecto baptizarentur, ex quo vocati fuere *Clinici*, ideſt baptizati in lecto infirmi decumbentes, quod maxime a SS. Patribus fuit exprobratum.

Quare adulti fide instructi different Baptiſma.

Quidquid tamen ſit de veterum conſilio in differendo ſuis infantibus baptiſmo (quod conſilium iam non placuerat etiam primis ſæculis S. Cypriano, quem cum nihil commoverint allatæ ratiunculæ, ut loquar cum Eſtio, conſtantiſſime ſuſtinuit cum ſententia aliorum ſexaginta octo Epiſcoporum contra quemdam, qui volebat infantes non baptizandos ante octavum diem ex horum ortu, ut citius etiam, quo fieri poſſet, baptizarentur) Laudabiliſſimum eſt, & antea etiam fuit Eccleſiæ praxis, ut parvuli omnes quoad fieri poteſt quamprimum baptizarentur, ne inter tot præſertim tenellæ iſta ætate vitæ diſcrimina contingat, quempiam mori deſtitutum tam neſtario originalis peccati remedio, & eo magis, quod ſi expectaretur ad ſuſcipiendum adulta ætas, non pauci male educati, ac voluptatibus dediti, aut recuſarent omnino baptizari, aut in ſeram uſque ætatem, ſicuti iam quando hoc fieri conſueverat, non in paucis contigit, ut antea notavi, baptiſmum protraherent, ne cito carni, & mundo valedicere compellerentur. Denique ut per hunc morem proteſtetur Eccleſia fidem ſuam, qua credit parvulos etſi propria fide deſtitutos aliena tamen fide poſſe ſalvari, & ne cedere videatur Anabaptiſtis, qui pædobaptiſmum, ideſt Baptiſmum parvulorum prorſus eliminatum volunt tanquam inutilem, inefficacem, ac omnino ſupervacaneum.

Quocirca iure merito dici poteſt ob tam graves rationes, graviter teneri parentes filiis ſuis brevi poſt eorum ortum tempore procurare Baptiſmum, ita ut mortaliter peccent ſi diutius eumdem differant; quia conſuetudo univerſalis Eccleſiæ baptizandi parvulos brevi poſt eorum nativitatem tempore, vim habet legis graviter obligantis, ob materiæ gravitatem; & ex decretis particularium Eccleſiarum tenentur illud exequi intra triduum, vel quatriduum, prout ab Eccleſia propria præſcribitur. Imo in aliquibus diœceſibus excommunicantur ultra octavum, aut nonum diem differentes; & merito; quia præterquam quod indecens eſt, ac chriſtiano indignum diu relinquere filium ſuum mancipium Diaboli, & inimicum Dei; tali dilatione eos exponunt periculo mortis, quæ facilius contingit in illa debilima ætate, quam in adulta, ac ideo perpetuæ damnationis.

Quando teneantur Parentes filiis ſuis Baptiſmum procurare.

Adulti porro ſufficienter inſtructi tenentur ex iure divino baptiſmo initiari ſtatim ac moraliter poſſunt cum debitis diſpoſitionibus, ut diu non differant; quia quiſque tenetur ex iure divino, & naturali, imo etiam ex charitate ſibi ſalutem procurare, adhibendo media, quæ ad eam ſunt neceſſaria. Item quiſque tenetur ex Chriſti præcepto eſſe membrum Eccleſiæ in eam per baptiſmum ingrediendo, non ſolum ut in ea moriamur, ſed etiam ut in ea vivat; quapropter unuſquiſque tenetur non ſolum in periculo mortis, ſed ſtatim ac commode fieri poteſt ſuſcipere Baptiſmum. Et certe aliud tem-

Quando teneantur adulti ſuſcipere baptiſmum.

tempus rationabiliter aſſignari nequit; quia ſicuti ridiculum eſſet velle militare finito bello, ita foret irrationabile militiam chriſtianam, in qua tenetur quilibet adſcribi, tantum ingredi velle finitis huius vitæ bellis, ac periculis.

De Baptiſmo Sanguinis, & Flaminis, quando ſuppleant vices Baptiſmi fluminis.

Iam vidimus in diviſione Baptiſmi tria eſſe Baptiſmata; unum proprie & formaliter, quod appellatur fluminis, ideſt Baptiſma, quod fit in aqua naturali, & eſt primum Eccleſiæ, ſeu legis novæ Sacramentum; alia duo improprie, & virtualiter ſcilicet quæ virtutem ſupplent, & vices veri, & proprii baptiſmatis quando huius receptio impediatur; & unum dicitur Sanguinis, & eſt Martyrium, alterum flaminis ideſt deſiderii coniuncti cum Charitate. De primo hactenus, nunc de aliis duobus breviter agemus.

Baptiſmus Sanguinis eſt martyrium ante ſuſceptionem Baptiſmi fluminis cum huiuſce tamen voto ſaltem implicito perlatum. Baptiſmus vero Flaminis eſt perfecta cordis contritio includens votum ſaltem implicitum Baptiſmi fluminis, & de utroque hic demonſtratur ſupplere vices, diverſo tamen modo, veri Baptiſmatis quoad effectum primarium, nempe gratiæ ſanctificantis, ſeu iuſtificantis conſequtionem: verum quoad alterum effectum videlicet Characterem certum eſt, illos non ſupplere, cum iuxta Trident. Synod. ille non imprimatur, niſi per Sacramenta iriterabilia, & neuter ex illis eſt verum Sacramentum.

De virtute Baptiſmi flaminis ſeu deſiderii coniunct. cum charitate.

Baptiſmus Flaminis, ideſt Baptiſmi votum cum perfecta charitate coniunctum in caſu neceſſitatis, ideſt quando impediatur ſuſceptio Baptiſmi ſupplet vices Baptiſmi aquæ quoad gratiæ infuſionem in Adultis, non autem in parvulis, qui nec charitatis actum, nec votum Baptiſmi concipere poſſunt. Et hoc quoad primam partem patet, ac probatur ex Scripturis, ubi æterna ſalus promittitur credentibus in Deum & ſperantibus, nec non eum ardenti diligentibus charitate, ut habetur Ioelis 2. Actor. 2. & ad Rom. 10. *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*; Pſalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*; Lucæ 2. *Pax hominibus bonæ voluntatis*. Ex his enim conſtat remiſſionem peccatorum cum fide, & converſione ad Deum eſſe coniunctam, ſi voluntas humana Sacramenta ardenter exoptet, eaque ob deficientiam materiæ, vel Miniſtri re ipſa recipi nequeant. Et conſone divinis Scripturis loquuntur etiam de virtute huius baptiſmi SS. Patres inter quos S. Auguſt. ita habet l. 4. *de Baptiſm.* cap. 22. n. 29. *Non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id quod ex Baptiſmo deerat ſupplere poſſe, ſed etiam fidem converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt*. Ita S. Ambroſius in orat. de obitu Valentiniani Imperatoris ante Baptiſmum, & S. Bernard. in epiſt. ad Hugonem Victorinum.

Dices ex S. Ambroſio l. de initiand. cap. 4. *Credit catechumenus, ſed niſi baptizetur remiſſionem peccatorum non poteſt obtinere*. Ita S. Auguſt. tract. 13. in Ioann. S. Fulgentius l. de Fide ad Petrum cap. 3. & alii ſic loquuntur.

Reſp. diſt. Anteced. *Niſi baptizetur* &c. SS. Patres loqui de Baptiſmo vel actu, vel in voto, non vero de Baptiſmo in ſolo actu, vel de voto, quod non excludat voluntatem peccandi, nec ſit in charitate perfectum. Sic generatim dicimus, lapſos poſt baptiſmum portare ſarcinam peccatorum donec eam depoſuerint beneficio clavium, quamvis ex eis aliqui operibus bonis ſeſe diſponant; quia raro perfecta contritio Sacramentum præcedit; quanto magis igitur hoc dicendum de iis qui, de die in diem differunt; alii ad annum, alii ad extremum vitæ, interimque propriis indulgent concupiſcentiis. Prorſus ſimilis erat catechumenorum cauſſa, hiſce exceptis, qui tamen reſpectu aliorum erant perpauci, qui ad regenerationis gratiam ſe parabant: cæteri enim baptiſmum differebant ad multos annos, aliquando ad ultimam ægritudinem, ut ſi in ea ſpes refulgeret recuperandæ ſanitatis, etiam in morbo baptizari negligebant, quaſi per Baptiſmum peccandi tempus amitterent. Contra huiuſcemodi procraſtinantes ſæpiſſime invehebant PP. quin Eccleſia a Sacris Ordinibus eos arcebat, qui a nomine Græco dicebantur Clinici, ideſt abluti in lecto periculoſe decumbentes; & Eccleſia, ut huic malo per terrorem efficaciter mederetur, prohibuit præcipue in Concil. Bracarenſi pro iis procraſtinantibus ſi in catechumenatu decederent, ne ſacrificium offerreretur, ſicut nunc privat eos eccleſiaſtica ſepultura.

Diximus Baptiſmum Sanguinis, & flaminis non ſupplere eodem modo Baptiſmum fluminis; quia votum, ſeu deſiderium Baptiſmi 1. non extenditur ad parvulos qui, cum non habeant uſum liberum rationis, & arbitrii,

Digitized by Google

trii, non ſunt capaces ullius actus 2. non ſupplet in adultis niſi ſit charitate perfectum. 3. etiamſi charitate perfectum non tollit, niſi extraordinarie omnem pœnæ temporalis reatum, quemadmodum Baptiſmus in ſe ſuſceptus. Contra vero Martyrium ſupplet etiam in parvulis, tollit ex opere operato etiam in adultis omnem reatum ſive culpæ, ſive pœnæ temporalis, vincenteſque ſtatim coronat; unde S. Auguſt. ſerm. 159. alias 57. de verb. Apoſtol. ait; *iniuria eſt .... pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendare*. Et hoc eſt certiſſimum ex Scriptura. Nam 1. Matth. 10. dicitur; *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo*, & cap. 16. *Qui perdiderit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam*. 2. perpetua Traditio, ac communis fidelium conſenſus, nec non unanimis SS. Patrum ſententia pariter hoc comprobat. Nam Eccleſia a primis ſæculis ſemper venerata SS. Martyres Innocentes ab Herode in odium Chriſti interfectos, utpotequi fidem non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt; *Iſtorum memoria* (ait Origines homil. in varia evangelii loca) *ſemper ut dignum in Eccleſiis celebratur, ut ipſa Betlehem, in qua natus eſt Dominus primitias Martyrum obtuliſſe videatur*; & S. Cyprian. epiſt. 73. ad Iulianum; *Catechumenos pro Chriſto occiſos non privari Baptiſmi Sacramento, utpotequi baptizentur glorioſiſſimo, & maximo Sanguinis Baptiſmo*. Et S. Auguſt. de iiſdem Catechumenis ita habet l. 13. de Civit Dei cap. 7. *Quicumque non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi ablueventur ſacro fonte Baptiſmate; qui enim dixit: Si quis non renatus fuerit &c. alia ſententia non minus generaliter dixit; qui me confeſſus fuerit coram hominibus &c.*

Dices nihil valere ad propoſitum de iuſtificatione per Martyrium ſine Baptiſmo exemplum infantium, quos interfecit Herodes; quia illi ſalvati ſunt beneficio Circumciſionis, quam receperant, non martyrii. Igiturnunc quoque ſalvare non poteſt, niſi Baptiſma.

Reſp. negando anteced. Nam Herodes occidit pueros omnes Bethlemiticos; unde eos etiam, qui non pertingerant octavum diem, ut recipere potuiſſet Circumciſionem, & tamen omnes ut ſanctos, ac ſalvos veneratur Eccleſia. Unde martyrium iuxta ſenſum Eccleſiæ ſanctos fecit omnes generatim infantes ab Herode interfectos, & ſalvos eos quoque fecit, qui cum non pertigiſſent ad octavum diem non erant adhuc circumciſi; igitur horum exemplo iuſtificare poteſt Baptiſma videlicet ſanguinis, non ſecus ac Baptiſma fluminis.

De Martyrii natura, ac eſſentia.

Martyrium ſi ſtemus etymologiæ vocabuli, quod Græcum eſt, latine importat, ac dicit teſtimonium, ut legimus Matth. 24. *In teſtimonium omnibus gentibus*. Unde Martyr idem proprie ſignificat ac teſtis, ut Actor. 1. habet verſio noſtra, *Eritis mihi teſtes*; & Apocalyp. 1. *Qui eſt teſtis fidelis*. Quare, qui propter Chriſti teſtimonium mortem obiere, martyres appellantur. Præclare enim huius vocabuli explicationem comprobat S. Auguſt Serm. 9. in Pſal. 118. n. 2. *Teſtimonia græce martyria nuncupantur, quo verbo utimur iam pro latino: unde illos, qui propter teſtimonium Chriſti diverſis paſſionibus humiliati ſunt, & uſque ad mortem pro veritate certarunt, non Teſtes, quod latine utique dicere poſſemus, ſed græce Martyres appellamus*. Ad hoc vero, ut omnis tollatur ambiguitas, quæ oriri poteſt ex diſtinctione, quam quidam faciunt inter *Confeſſores*, & *Martyres*, ut Confeſſores cenſendi ſint, qui coram Tyrannis confeſſi Chriſtum tormentis ſuperſtites tranquille ultimum clauſerint diem; & Martyres, qui ad mortem uſque cum ſupliciis decertabant; nunc autem Confeſſores eos dicimus, qui ſine martyrio, ſingulari virtutum exercitio Deum confeſſi ſunt. *Martyres* vero alii *deſignati* vocantur, quibus mortis ſententia indicta eſt; *conſumati* alii, qui vitam in tormentis fortiter conficiunt: alii *vindicati* quorum felix exitus diſcuſſus, & approbatus eſt ab Eccleſia, ut celebris noſtri ævi ſcriptor tradit l. 1. *de Servorum Dei Beatificatione*. Antiquitus Martyrum nomine donabantur ii etiam, qui quacumque ex cauſa innoxii necabantur, ut habet P. Mabillonius Præfat. 2. in Sæculum 3. Benedictinorum de Carolo cognomento *ſimplex* & de aliis. Dicta fuere pariter Martyrum templa in martyrum memoriam erecta, & altaria illorum cineribus impoſita ab eorumdem Martyrum nomine, ut habent S. Hieronymus adverſ. Vigilant. S. Auguſt. l. 22. de Civit. Dei cap. 10. aliive.

Quid nomine Martyrii.

In quo differant Martyres a Confeſſoribus.

Martyrium vero de quo loquimur, ut eſt Baptiſmus Sanguinis ſupplens vices Baptiſmi fluminis ex praxi Eccleſiæ eſt *mors vera, aut mortale ſupplicium, ſeu cruciatus propter fidem Chriſti aut veram virtutem perpeſſus, & in odium eius a Tyranno illatus*.

Dici-

Dicitur 1. *mors vera* ad innuendum, Martyres non efficere ſolum Martyrii quantumvis efficax deſiderium. Dicitur 2. *Supplicium, ſeu cruciatus*: non tam quia neceſſe ſit, ut Martyr dolorem ſentire debeat, ſed quod cauſſa ſit doloris, quidquid poſtea ſit, quod Athletha ex Dei diſpoſitione nihil omnino ſentiat. Dicitur 3. *mortale* ita ut in rigore vere Martyres non ſint, qui vulnera quidem receperunt pro Chriſto, non tamen lethalia, ideſt apta ad mortem inferendam: non eſt tamen neceſſe, ut ex lethali vulnere mors ſequatur, ſed quod ſecuta fuiſſet, ſi Deus miraculoſe morti non obſtitiſſet. Unde & tres pueri immiſſi in ardentem fornacem, & S. Ioannes Evangeliſta in ferventis olei dolium vere fuerunt Martyres. Dicitur 4 *propter fidem Chriſti*; idcirco Hæretici morientes pro tuendis falſis dogmatibus non ſunt Martyres, tametſi pro aſſerendis myſteriis Trinitatis, Incarnationis, alteriuſve articuli veræ fidei mortem inter cruciatus ſubirent, cum illa omnia fide credant humana, dum ad verum Martyrem conſtituendum requiritur, ut patiatur quis mortem propter myſteria, & ea credere debeat divina fide, & ſupernaturali. Dicitur 5. *aut veram virtutem* nempe exercendam, vel exercitam. Hinc qui moriuntur pro ſervanda caſtitate, vel Eccleſiaſtica tuenda libertate, uno verbo pro aliquo religionis exercitio, vel aliquo præcepto divino, vel Eccleſiaſtico ſervando, hi, cum verum teſtimonium Deo, ſeu Chriſto exhibeant quatenus profuſo ſanguine Dei legem, & Chriſti doctrinam de virtutibus traditam approbant, ſunt veri Martyres. Dicitur 6. *perpeſſus*, ſeu toleratus, videlicet ſine reſiſtentia; quia reſiſtens occumbendo cenſetur potius victus, quam victor. Quocirca occiſi in bello fidei ab Hæreticis, vel infidelibus licet multum mereantur, non ſunt vere Martyres. Non ſunt tamen excludendi, qui aliqualiter reſiſtant; non malum perſecutori inferendo, ſed ſolummodo lethale ictum vel fugiendo, vel quovis alio modo caute declinando ex naturali terrore mortis. Dicitur tandem *& in odium eiuſdem illatos*; quia ſi ſupplicium ob quamvis aliam cauſſam tametſi iniuſtam inferatur, non erit verum Martyrium; quia ut docet D. Auguſt. ſerm. 2. in Pſalm. 34. *Martyrem non pœna* (ſupple *ſola*) *ſed cauſſa facit: pœna enim communis eſt Latroni, & Martyri, ſed cauſſa diſpar.*

Colligitur ergo ex dictis tres eſſe præcipuas cauſſas veri Martyrii; 1. videlicet efficiens, ſeu Tyrannus, ac perſecutor Chriſtianæ fidei, a quo quis ob teſtimonium Chriſti, & fidei cruciatus patiatur, & mortem. Dixi *ob teſtimonium fidei*, quod eſt præcipuum requiſitum ad conſtituendum verum Martyrem, & quo deficiente deficit vera martyrii ratio. 2. motiva, ſive ad martyrium impellens, nempe fides ſive chriſtianæ Religionis univerſim, quam fidelis profiteatur coram Pagano, ſive alicuius eiuſdem articuli, quem propugnet Catholicus contra Hæreticum; quia, ut iam diximus, Martyres Chriſti teſtes ſunt, ut Actor. 1. Alia martyrii cauſſa eſt cuiuſcumque virtutis officium, quod Deus requirat, idcirco virtutem illam exercens, & vitam pro eius defenſione tradens, practice, & facto teſtatur ſe verum Deum profiteri, eiuſque cultum tenere. Quocirca *Beati* vocantur Matth. 5. *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Hinc inter martyres recenſetur S. Ioannes Baptiſta, occiſus *pro lege quidem veritatis* (ait S. Auguſt. in Pſalm. 140. n. 26.) *pro equitate, pro iuſtitia; ſed non tamen pro illo nomine, quo chriſtiani ſumus*. 3. Finalis ideſt Dei gloria ad quam ut alibi, ubi de fine, iam diximus. Dixit olim de falſis Martyribus S. Auguſt. epiſt. 185. n. 8. *Inſaniunt, qui dividunt membra Chriſti, & exſuſſlant Sacramenta Chriſti, & de perſecutione gloriantur, & iactant fallaciter innocentiam ſuam, & quam non poſſunt a Domino accipere, ab hominibus quærunt Martyrii gloriam.*

Tres ſunt cauſſæ Martyrii.

De Diſpoſitionibus ad Martyrium.

Variæ diſpoſitiones ad martyrium requiſitæ recenſentur.

Inter diſpoſitiones, quæ requiruntur ad Martyrium 1. eſt Baptiſmus ſive in re, ſive in voto, ideſt ſi Baptiſmum recipere ei impediatur, habeat ſaltem ipſius efficax votum, ut iam antea notavimus 2. conſenſus in mortem ſaltem habitualis, aut interpretativus, idque ob motivum honeſtum, & pium, cum nemo exercere poſſit actum virtutis, ut eſt etiam Martyrium nempe fortitudinis in Adultis, niſi in illum aliquo modo conſentiat, dum omnis actus virtutis debet eſſe moralis, adeoque voluntarius. Dixi *in Adultis*; quia martyrium in parvulis non eſt actus fortitudinis formaliter, ſed ſolum materialiter in quantum exhibet paſſione, quod alii exhibent profeſſione. Dixi *ſaltem habitualis, & interpretativus*, quia non plus, ait hic P. Henno, requirunt DD. itaut ſi Titio in Deum credenti, virtutemque exercenti comminetur mors, niſi deſiſtat, & perſeveret, tametſi nihil de Martyrio cogitans, ſi etiam dormiens occidatur, Martyr occumbit: nam qui vult id, ex quo prævideat effectum aliquem ſecu-

ſecuturum, cenſetur velle & effectum, niſi aliud obſiſtat. 3. Eccleſiæ unitas, ut ex S. Cypriano l. *de unit. Eccleſiæ*, ut ex S. Auguſt. epiſt. 185. Et revera ſicuti olim extra arcam Noe, ſic nunc extra Eccleſiam, quæ figurata fuit per arcam, non datur ſalus. Hinc Schiſmatici Martyrio coronari nequeunt. *Quiſque extra Eccleſiæ unitatem*, (ait S. Cyprianus) *occidi poteſt, coronari non poteſt*. In Martyre præterea requiritur Charitas, non quidem habitualis, nec adeo vehemens, quæ ſecum trahat gratiam ſanctificantem, ſed quæ dicat aliquem ſincerum affectum erga Deum, ut cum aliis docet Sylvius. Quantum vero ſpectat ad Eccleſiæ iudicium, ipſius vitæ profuſio, qua nullam rem homo habet prætioſiorem, eſt maximum Charitatis argumentum.

Quod ſi Martyr anteà in culpam lapſus ſit, ut Martyrii fructum conſequatur neceſſe eſt, ut dolorem habeat ſupernaturalem ſaltem attritionis ſuorum peccatorum, &, ſi adſit copia Confeſſarii, per Pœnitentiæ Sacramentum reconcilietur, quæ Sacramenti Pœnitentiæ reconciliatio intelligitur de Martyre Baptizato, non de Catechumeno, qui, ut diximus, ante Baptiſmum non eſt capax alia Sacramenta recipiendi. Si autem deficiat copia Confeſſarii, ſatis eſt ut conteratur de patrato crimine, nec ullatenus ſive lapſus, ſive iuſtus ſit Sacramentà Dei contemnat, cum ex S. Auguſt. l. 4. *de Baptiſm.* cap. 22. *Non eſt interioris hominis pietas, ubi contemnitur Sacramentum*. Quod vero dolor de commiſſis peccatis requiratur ad fructuoſe ſubeundum Martyrium patet ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi docet, dolorem quovis tempore neceſſarium ad remiſſionem actualium peccatorum obtinendam. Igitur etiam tempore Martyrii. Hæ autem diſpoſitiones non ſunt neceſſariæ in parvulis, qui vel recens nati ſunt, vel etiam in uteris matrum in odium fidei trucidantur, & hoc conſtat ex alias iam dictis.

§. XXI.

De effectibus Baptiſmi.

Varii ſunt Baptiſmi effectus, qui cæteroquin ad duo generatim capita revocantur, ad gratiam videlicet, & ad Characterem per Baptiſmum productum, in quibus duobus omnes alii Baptiſmi effectus continentur. Verum priuſquam de iiſdem agamus opere pretium eſt, ut conſuetum morem ſervando prius errores, quos in hac re excogitarunt Heterodoxi, quorum alii peccant per defectum, alii vero per exceſſum, recenſeamus.

Per defectum contra Baptiſmum errarunt Origeniſtæ, Maſſiliani, Pelagiani, quorum primi dixerunt peccata per Baptiſma tegi, ſopiri, non tolli, & eradicari; alii vero nihil ſuſcipientibus prodeſſe, & præcipue quoad Pelagianos, qui negantes dari peccatum Originale, conſequenter tolli per Baptiſmum negabant.

Errorem Origeniſtarum ex recentioribus ſequutus eſt Lutherus, cui adhæſit fere omnino Calvinus, dum in Antidoto Concil. Trident. ſeſſ. 5. ait *Quia deletur reatus, peccatum non extinctione, ſed imputatione nullum eſt*.

Errarunt per exceſſum Sociniani exiſtimantes, ita peccatum radicitus per Baptiſmum evelli, ut nunquam repullulare poſſit; idcirco legitime Baptizatum non poſſe peccare. Item Novatores, ſeu Pſeudoreformati, qui hoſce effectus Baptiſmo affingunt 1. quod baptizatus non poſſit etiamſi velit gratiam amittere, quantumcunque peccet, niſi nolit credere 2. quod liberat ab omni lege tum divina, tum humana 3. quod ſolvit ab omni votorum obligatione. 4. quod ſola Baptiſmi memoria iuſtificat a culpis, quæ fiunt poſt Baptiſmum. His erroribus tot oppoſuit canones Concil. Tridentinum ſeſſ. 7. de Baptiſmo, ut notat hic Tournel. Hi omnes errores fortiter refelluntur a Theologis ſuo loco, & præcipue a Bellarmino l. 1. de Bapt. cap. 12.

Primus tamen effectus, quem catholica Eccleſiæ doctrina tribuit Baptiſmo eſt gratiæ interioris ſanctificantis collatio ex opere operato, per quam baptizatus regeneratur ſpiritualiter, & renaſcitur, ac innovatur, 1. Corinth. 6. *ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*, ita alloquitur baptizatos Apoſtolus. Unde Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. ſic concludit contra Pſeudoreformatos; *Iuſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis . . . . dum per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret*. De primo Baptiſmi effectu.

2. Baptiſmus mundat, quantum eſt de ſe, ac delet, & remittit omne peccatum ſive originale, ſive actuale antea commiſſum, dummodo in adultis non ponatur obex. Eſt communis de Fide contra Origeniſtas, alioſve iam notatos Æterodoxos contrarium ſentientes. Et apertiſſime hunc Baptiſmi effectum

Digitized by Google

ſtum teſtantur Scripturæ, & Traditio. Habetur enim Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu*; & Act. 2. ait D. Petrus: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*, & canitur in Symbolo Conſtantinopol. *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*, & ſimilia leguntur in aliis quamplurimis Scripturæ locis. Hæc autem peccatorum remiſſio eſt plena, & perfecta; quia peccata omnia quantumvis multa, & enormia condonantur, & unumquodque omnino, & perfecte remittitur ſine alicuius pœnæ reſervatione. Ita enim docet etiam perpetua Traditio, quæ allatos Scripturæ textus in hoc ſenſu explicat; ait enim inter alios PP. S. Auguſt. Enchirid. cap. 64. *Hac ergo magna indulgentia . . . . . incipit hominis renovatio, in qua ſolvitur omnis reatus, & ingeneratus, & additus.*

Adverte tamen, Adultos, non ſolvi ab omni reatu penæ temporalis per Baptiſmum, niſi fuerint ad id ſufficienter diſpoſiti, qui enim abluitur cum affectu ad aliquod peccatum etiam leviſſimum, donec eum penituerit ligatus remanet reatu illius culpæ, ac conſequenter reatu pœnæ illi debitæ. Hinc Eccleſia conſuevit, non ſtatim Cathecumenos regenerare, ſed diuturnis pœnitentiæ, aliarumque virtutum exercitationibus ad gratiam præparabat, ut dicetur. Nec officit exemplum Apoſtolorum, qui ſine ulla mora baptizabant; quia ita ſtupenda erat populorum converſio, ut recenſenda deſcribatur Actor. 4. inter miracula.

Per baptiſmo-lem nulli ficatio-nem eſſi cimur conſortes divinæ naturæ & filii Dei.

Mundati vero per Baptiſmum ab omni prorſus peccati labe, & ſpiritualiter regenerati, ac penitus renovati in anima per iuſtificationem, quam nobis contulit tam pretioſum gratiæ ſanctificantis donum, divinæ conſortes efficimur naturæ, ut loquitur D. Petrus, & inter PP. S Leo; *Divinæ conſors factus naturæ* conſtituimur in eſſe divino, ac proinde Filii Dei evadimus non per deputationem externam, & moralem, ut fit in adoptione humana, ſed per communicationem eiuſdem Spiritus; *Miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra*. Et Rom. 8. *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba* (Pater) *ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei*: membra evadimus Chriſti cui iungimur tanquam capiti 1. Corinth. 15. Templum Spiritus Sancti, & organa, in quibus non ſolum inhabitat ſicuti Dominus in domo ſua, ſed ſicuti anima in proprio corpore, quod vivificat, & agit; unde oritur meritum, & valor actionum baptizati: Dei hæredes, cohæredes autem Chriſti, ut Rom. 8.

Quæ in Baptiſmo cum gratia infunduntur?

Verum quia, ut aiunt Philoſophi, operari ſequitur ad eſſe, infunduntur cum gratia ſanctificante virtutes, & Spiritus Sancti dona, veluti quædam eius appendices, & facultates ſupernaturales, ac divinæ, quibus baptizatus fit expeditior ad officia omnia pietatis, & intuitu gratiæ adoptionis renatos auxiliis neceſſariis adiuvat Deus, ut vitam, quæ filios Dei, & hæredes regni eius decet, inſtituant. Et hæc auxilia ſunt gratiæ actuales, quæ dicuntur Sacramentales ad illum finem, ideſt ſanctæ, ac chriſtianæ vitæ ducendæ accommodatæ, ideoque in opportunis circumſtantiis conferendæ. Et ex quo Baptiſmus nos Chriſto tanquam membra coniungit, ſequitur per illum nobis patere viam ad reliqua Sacramenta, & quodammodo ex illo, tanquam ex incorporatione in Eccleſiam, ac novæ generationis primordiis conferri nobis gratiam ad evitanda peccata, &, ſi in ea prolabamur, expiari per Pœnitentiam; ſed hanc futuram fuiſſe inutilem, niſi Baptiſmum ipſum, vel ſaltem votum eius ſupponeret. *Quid enim prodeſſet pœnitentia* (ait S. Auguſt. in Epiſtol. ad Bonifacium 50. nunc 185.) *niſi Baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet*, & alibi; *Neque enim aliquid prodeſt non baptizato dicere, dimitte nobis debita noſtra &c.* Per Baptiſmum enim ius accipimus ad alia Sacramenta, tanquam ad paterna bona.

Baptiſmus non delet Pœnalitates peccatorum.

Licet Baptiſmus omnes peccatorum pœnas deleat, non delet tamen peccatorum pœnalitates, ut ſunt concupiſcentiæ motus, corporis infirmitas, neceſſitas moriendi, miſeriæ &c. ut ex ipſa conſtat experientia: etenim homo per baptiſmum non reſtituitur integritati ſtatus innocentiæ, quæ præter gratiam ſanctificantem complectebatur ſubordinationem partis inferioris cum ſuperiore, immortalitatem in corpore, & immunitatem a quacumque miſeria; initiatus enim quacumque gratia ſanctificante ornatus patitur, membrorum inobedientiam, & corporis miſerias. Verum huiuſmodi mala non ſunt in eo pœna proprie dicta; *quia caret reatu omnium malorum*, nec remanent ad peccati vindictam, ſed ad virtutis exercitium, ut docet Concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 5. Unde notat hic P. Henno ob triplicem præſertim rationem remanent in baptizatis illæ pœnalitates. Primo ad virtutis exercitium, & coronæ augmentum. Secundo ad maiorem humiliationem, ac noſtræ a divino auxilio indigentiæ recognitionem. Tertio, ut homo con-

conſiderando lapſus ſui teſtimonium, magis agnoſceret Redemptionis beneficium.

Si forte quis ob Contritionem charitate perfectam cum voto Sacramenti Baptiſmi, effectum Baptiſmi, ideſt internam renovationem cum remiſſione peccatorum conſequeretur ante ſuſceptum Baptiſmum in re, & etiam extra caſum Martyrii, & neceſſitatis, ut contigit in Cornelio; adhuc tamen per ipſum regenerationis lavacrum, quod nemo contemnere debet, plura gratiarum emolumenta perciperet, nempe characterem baptiſmalem, incrementum gratiæ, plenam remiſſionem pœnæ, quam nemo ſine reali Baptiſmi ſuſceptione conſequi poteſt, in altera vita ſubeundæ, maiorem conſcientiæ tranquillitatem externam ſui viſibilis incorporationem inviſibili Chriſti Eccleſiæ; nam quamvis per gratiam iuſtificationis antea perceptam quiſpiam ſit incorporatus Chriſto, vivumque eius membrum effectus, non tamen ab Eccleſia inter fideles, & membra Chriſti reputabitur, priuſquam Sacramento Fidei ſit imbutus. Ita Eſtius. Item ius perciperet ad cætera Sacramenta, quibus Fideles in unum Religionis nomen coadunati, roborati in fide nutriuntur, ſanantur, alioſque paſſionis Chriſti Domini fructus ubertimos conſequuntur, quæ omnia ſunt Sacramentales gratiæ, ideſt aliorum Sacramentorum effectus, quorum ſinguli cum deriventur a ſuo proprio Sacramento, tanquam rivuli a ſuo fonte, ſine reali Sacramenti Baptiſmi ſuſceptione haberi nequeunt, cum Baptiſmus in voto non ſuppleat vices Baptiſmi in re, niſi quoad primarium ſuum effectum, remittendi ſcilicet peccati, & conferendi gratiam iuſtificationis.

Nota 1. quod licet iuxta Concil. Tridentini definitionem ſeſſ. 6. cap. 7. gratia ſanctificans minuatur, & augeatur *ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem*; nihilo tamen minus in baptiſmate tum in parvulis, tum in Adultis æqualis habetur effectus non ſolum quoad characteris impreſſionem, & peccatorum remiſſionem, ſi ab adultis obex non apponatur, ſed etiam quoad gratiæ ſanctificantis perceptionem, ut oſtendit S. Cyprianus exemplo mannæ, quæ ab omnibus æqualiter, videlicet ad menſuram gomor, colligebatur Exod. 16. & hoc ratione etiam comprobari poteſt; quia videlicet effectus Baptiſmi magis pendet a conferente, quam a ſuſcipiente, quemadmodum generaliter effectus quicumque magis dependent a cauſſa efficiente, quam a materia. Unde cum inæqualitas Miniſtrorum nihil efficiat ad inæqualitatem effectus Baptiſmi, ita nec inæqualis diſpoſitio ſuſcipientium quicquam efficiet. Eſtius. Hoc tamen intelligendum eſt de effectu Baptiſmi per ſe, ideſt de eo, ad quem præcipue eſt inſtitutus, qui eſt ſpiritualis regeneratio, non vero de effectibus accidentalibus, ad quos non eſt Baptiſmus inſtitutus, & quos divina virtus aliquando extraordinarie in Baptiſmo operatur, puta liberatio aliqua a Dæmone obſidente: hi enim effectus non ſunt plane in omnibus æquales, cum diſpenſentur ſecundum occultam divinæ providentiæ diſpoſitionem.

Nota 2. quod Baptiſmus tum in hæreſi, tum in ſchiſmate, tum in ipſa Eccleſia catholica ficte, ideſt cum obice peccati ſuſceptus, recedente fictione per pœnitentiam, peccata omnia, quæ ipſum præceſſerunt, pœnitus tollit; peccata vero Baptiſmum ſubſequuta delentur per pœnitentiam. Et hoc conſtat tum ex doctrina S. Auguſtini l. 3. *de Baptiſ. cap.* 13. l. 1. ſimiliter *de Baptiſmo* contra Donatiſtas cap. 12. tum ex ratione: etenim peccatum Originale, cæteraque ante Baptiſmum, & ſimul cum perceptione Baptiſmi commiſſa non ſubiacent clavibus Eccleſiæ; nam Sacramentum Pœnitentiæ non eſt per ſe inſtitutum in remedium peccati Originalis, aut actualium, quæ Baptiſmum præcedunt, ſed eorum tantum, quæ ſubſequuntur, ac proinde vocatur a Theologis ſecunda tabula poſt naufragium, ſecundum Sacramentum mortuorum, quo reviviſcuntur homines ad gratiam ex morte peccati, in quam lapſi ſunt poſt Baptiſmum. Unde cum remittantur eiuſmodi peccata iuxta S. Auguſt. cit. recedente fictione, neceſſe eſt per Baptiſmum remitti. Commiſſa vero poſt Baptiſmum delenda ſunt per pœnitentiam, aut per contritionem perfectam: quia Sacramentum Pœnitentiæ, non vero Baptiſmi a Chriſto inſtitutum eſt in remedium peccatorum, quæ poſt Baptiſmum commiſſa ſunt; iſta enim ſubiacent Eccleſiæ clavibus; quod dicendum videtur etiam de peccato ipſo fictionis, quo quis Baptiſmum ſuſcepit, cum tale peccatum natura ſit poſterius Baptiſmo, adeoque verum ſacrilegium ex indigna Baptiſmi ſuſceptione, ac proinde perfecta charitate, vel Pœnitentia expiandum. Tour.

§. XXII.

Digitized by Google

§. XXII.

De Charactere Baptiſmi, & de Baptiſmo non reiterando.

De effectibus Characteris baptiſmalis.

Alter Baptiſmi effectus eſt character, de quo iam egimus ubi de Sacramentis in genere. Duo tamen propria Characteris baptiſmalis hic addenda ſunt, 1. nempe Characterem baptiſmalem non ſolum diſtinguere, ſed etiam ornare, & illuſtrare baptizatum; nam eſt quodam inſigne eximiæ dignitatis, quam per baptiſmum conſecutus eſt, ut obſervat S. Ioann. Chryſoſtom. homil. 2. in Epiſt. ad Epheſ. non enim ſignamur ſicuti antiquitus Iſraelitæ nota corporalis Circumciſionis veluti pecora, & bruta, ſed tanquam filii Spiritus Sancti ante nobis promiſſi. 2. Character baptiſmalis eſt potentia veluti paſſiva recipiendi alia Sacramenta non ex Eccleſiæ diſciplina, ut contra Maldonatum reclamant omnes Theologi, ſed ex divina inſtitutione, ut conſtat ex cap. *Si quis* de Presbytero non baptizato, ubi decernit Pontifex primo eſſe baptizandum, deinde reordinandum. Hab.

Iam vidimus loquendo de Sacramentis in genere, ubi de iis qui imprimunt Characterem inter quos recenſuimus Sacramentum Baptiſmi, de quo nunc agimus, non eſſe iteranda. Unde longe a veritate aberrarunt & Marcionitæ, qui teſte Epiphanio hæreſi 42. tertio eumdem hominem baptizabant, nempe ſemel in infantia, & bis in adulta ætate ſi in peccata actualia fuiſſet prolapſus, & Donatiſtæ qui alium adhibebant Baptiſmum pro iuſtis, alium pro impiis, ut ex S. Auguſt. l. 2. contra Petilianum cap. 27. & qui nunc etiam redeunt ad fidem quam deſeruere rebaptizant, ut faciunt quidam Anabaptiſtæ.

Non defuere ex Catholicis etiam, qui cenſuerunt rebaptizandos eſſe hæreticos, quando ad veram Eccleſiam e ſua ſecta converterentur, inter quos ita ſenſit labente Sæculo 2. Agripinus Carthaginenſis Epiſcopus, ut tradit S. Epiphanius in ſuo libro brevis catholicæ fidei expoſitionis n. 23. Volunt aliqui eiuſdem ſententiæ fuiſſe Tertullianum, quem tamen ab hac ſuſpicione aliqui vindicant, cum ea quæ in tali propoſito ab eo tradita leguntur ſint valde obſcura. Certum quidem eſt, quod ſub finem tertii ſæculi verſata fuit acris controverſia inter Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum, Firmilianum Ceſareæ in Capadocia ex una parte, & Stephanum Pontificem Romanum ex alia, contra quem ſtrenue illi decertarunt propugnando Hæreticos ad Eccleſiam Romanam converſos eſſe rebaptizandos. Verum cum etiam ab initio tenuerit Eccleſia baptizatos ab Hæreticis non rebaptizandos, ſi ad catholicam fidem convertantur, prævaluit veritas quam fortiter defendit Stephanus, ac proinde firmam eam ſemper inter Catholicos remanſit. Quocirca

Baptiſmus, de quo conſtat valide receptum fuiſſe, non eſt iterandus.

Dicendum cum Eccleſia catholica, Baptiſmum de quo conſtat valide receptum eſſe, unquam nec valide nec licite iterari poſſe, & hoc eſt de fide, utpotequod clare comprobatur tum a Scriptura, ut Epheſ. 4. habetur, quod ſicuti unus eſt Deus, una fides, ita unum ſit etiam Baptiſma. *Unus Dominus* (ait ibi Apoſtolus) *una fides, unum Baptiſma*, & legitur in Symbolo *Confiteor unum Baptiſma*; tum ex Traditione, & praxi Eccleſiæ, quæ nunquam conſuevit eos rebaptizare, qui ſemel a quocumque ſive fideli, ſive infideli, Ethnico, ſive hæretico valide iudicatus fuit baptizatus, ideſt quando in Baptiſmate omnia ad verum Baptiſma concurrerint, ſeu adhibita fuerint requiſita. Et Concilia Florentinum, ac Tridentinum hanc veritatem docuere, & definiere, ut præcipue Trident. ſeſſ. 7. can. 11. in quo ſtatuit ſub pœna anathematis ita eſſe a fidelibus credendum. Et patet etiam ex multiplici ratione Baptiſmum eſſe initerabilem, videlicet & quia Sacramentum Baptiſmi, ut antea dicebamus, imprimit Characterem, qui indelebilis eſt, & quia eſt ſpiritualis regeneratio, quæ non minus una eſt, quam nativitas corporalis, & quia tandem principaliter inſtitutus eſt ad delendum originale peccatum, quod non eſt niſi unum in ſingulis, & ſemel remiſſum, cum non ſit amplius revocabile, non eſt iterum remittendum, & quia Circumciſio, quæ erat figura Baptiſmi repeti non poterat; ergo nec Baptiſma eius figuratum. Quare Baptiſmi iteratio facta ſcienter eſt graviſſimum Sacrilegium, tum ex parte dantis, tum ex parte ſuſcipientis ex cap. 108. & 118. *de conſecrat.* diſt. 4. & S. Auguſtinus epiſt. *ad Maximum* hoc vocat immaniſſimum ſcelus, quia fit contra inſtitutionem Chriſti Sacramentum applicando incapaci, ac per hoc ſignificatur Chriſtum denuo ſubiectum eſſe morti, & ſepulturæ Hæbreor. 6. cum per Baptiſmum commoriamur, & ſepeliamur Chriſto Rom. 6. Huic crimini decernitur iure Civili ſupplicium mortis, & iure Eccleſiaſtico irregularitas tam pro baptizante, quam pro baptizato.

Digitized by Google

Quod ſi dubium exurgat de Baptiſmi validitate, & facta diligenti inquiſitione, adhuc prudens ideſt rationabile dubium remaneat, tunc ſub conditione iterari debet Baptiſma, ut conſtat ex S. Leone cap. 212. & 213. *de Conſecrat. diſt.* 4. & ex aliis canonibus, & ex Alexandro III. cap. 2. *de Baptiſmo*, & ex praxi hodie communi ita formam proferendo conditionate, *Si baptizatus es non te baptizo, ſed ſi nondum es baptizatus, ego te baptizo &c.* Et hæc conditio externa voce exprimere convenit, eſto etiam ſola mente concipi poſſit dum non timetur offenſio præſentium puſillorum; Et id ſive dubium ſit poſitivum, quia ſcilicet ſint rationes in utramque partem probabiles; ſive ſit negativum, quia ſcilicet nulla ſint indicia ad iudicandum hominem eſſe baptizatum, Cap. *Parvulos de Conſecrat. diſt.* 4. quia alias homo probabili exponeretur periculo damnationis ob carentiam Baptiſmi, & aliunde talis neceſſitas impedit omnem irreverentiam in Sacramentum, quod propter hominum ſalutem inſtitutum eſt. Neque in tali caſu cenſetur reiterari; quia ut ait S. Leo epiſt. 37. non poteſt in iterationis crimen devenire *quod factum eſſe omnino neſcitur*, & iuxta Innocentium III. *non intelligitur iteratum, quod ambigitur factum.*

Dicitur *dum prudens*, & *rationabile dubium remanet*; quia ſi tantum eſſent leves quidam ſcrupuli quales eſſent ſi de nato, & educato inter Catholicos quis hæſitaret an ſit baptizatus, quia non conſtet nec per Regiſtrum baptiſmale, vel omiſſum fuerit a baptizante, vel combuſtum, nec per Parentes quia mortui, vel ita longe abierint, ut ignoretur ubi morentur, ut curari poſſit ab ipſis aliqua inſtructio, vel per alios teſtes quia vel mortui ſunt, vel prorſus ignorantur, nec ullatenus tandem de tali veritate certior fieri poſſit; vel quia baptizatus a Paſtore ſene timeret num formam propriam, materiamque Baptiſmi adhibuerit; tunc non eſſet repetendum baptiſma, & multo minus ſi de Baptiſmo collato etiam unicus tantum habeatur teſtis omni exceptione maior, cum in tali caſu nequeat prudenter dubitari. Quando enim Concil. Carthaginenſe V. cap. 6. vult baptizandos eſſe ſub conditione infantes de quibus ignoratur an ſint baptizati, nec ſunt teſtes certiſſimi, qui id teſtentur, loquitur tantum de iis, qui vel per infideles ſunt a parentibus abrepti, vel ab infidelibus deſcendunt, ut inſinuat finis capitis. Nam ſi a fidelibus, & inter fideles fuerint nati, & educati, pro baptizatis habendos eſſe declarat Innocentius III. cap *Veniens* niſi contrarium probetur.

Si autem ſit probabile dubium an Baptiſmus datus ſit cum ſufficienti materia, forma, vel intentione, ſub conditione reiterandus eſt: nam tunc æque ac in alio dubio caſu periclitatur ſalus hominis, & Canones qui expreſſe loquuntur de dubio facti, intelligendi ſunt etiam de dubio iuris, quod eſt hic æquivalens dubio facti. Nam qui dubitat ſi datus ſit Baptiſmus cum debita forma, aut materia, aut intentione, æquivalenter dubitat an vere ſit collatus. Unde advertit S. Gregor. l. 12. epiſt. 31. & ait; *Ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur recte peractum.*

Non eſt facile repetendus Baptiſmus collatus ab obſtetricibus.

Non eſt autem repetendus Baptiſmus Parvulorum, qui ab Obſtetricibus in neceſſitate fuerunt baptizati, ſi facto diligenti examine, ad quod ex præcepto tenentur Parochi, deprehendatur Obſtetrices omnia requiſita rite ſervaſſe. Si autem de veneficiis fuerint ſuſpectæ, aut in ſuis reſponſionibus inconſtantes, ita ut vir prudens ſuſpicari poſſit, quod in aliquo eſſentiali vel inadvertenter, vel per ignorantiam, aut malitiam peccaſſent, Baptiſmus repetendus eſt ſub conditione. Non debent tamen Adulti ſcientes ab Obſtetrice eſſe baptizatos, ſcrupulis angi circa ſuum baptiſma; quia ſupponere debent ſuum Parochum proprias partes impleviſſe, ac proinde ſi non iteravit, validum inveniſſe.

Quid de pueris expoſitis ad fores Templi.

Pueri expoſiti ad fores Templi, vel alibi, ſive ſchedulam habeant, ſive non de Baptiſmo collato, ſemper rebaptizandi ſunt ſub conditione, quando aliunde de eius Baptiſmo conſtare nequit. Ita Sylvius & alii cum Concilio Mediolanenſi ſub D. Carolo Borromæo; quia teſtimonium Schedulæ relinquit aliquod dubium de valore Baptiſmi cum tunc ordinarie conferatur ab Obſtetrice, a Matre, vel ab aliqua forſan ignara muliere. Præterea non magis credendum eſt ſchedulæ, quam ſchedulam ſcribenti, quem non conſtat eſſe teſtem omni exceptione maiorem.

Antiquitus formula baptizandi ſub conditione non erat in uſu.

Formula baptizandi ſub conditione antiquitus ut antea notavimus, non erat in uſu, ſed quando prudenter, ſeu cum gravi fundamento hæſitabatur aliquem eſſe revera baptizatum illico baptizabatur ſine ulla difficultate, etiam cum periculo reiterandi Baptiſmum potius, quam illum relinquere ſine tam neceſſario Sacramento cum gravi periculo æternæ illius ſalutis. Et ita ſtatuit, & declaravit Concil. Carthaginenſe V. can. 6.

nem-

Digitized by Google

nempe pueros, quorum Baptiſmi non habetur teſtimonium *abſque ullo ſcrupulo eſſe baptizandos*; quia timor reiterandi Baptiſmum non debet eos privare illo beneficio, quo purificandi ſunt. Ita conſueverunt veteres in huiuſmodi circumſtantia. Poſtea tamen ad evitandum inconveniens reiterandi baptiſmum ut ſignificaretur horror ad rebaptizationem, addi cœperunt conſuetæ formæ baptiſmi verba conditionalia, quæ præſcribuntur a Papa Ioanne XXII. idest *Si non es baptizatus ego te &c.* Unde notat P. Martene decipi eos qui putant hanc formulam baptizandi excogitatam eſſe a Scholaſticis; quia illius uſus invenitur ab octingentis, & amplius annis.

Non facile tamen rebaptizandi ſunt Hæretici etiam ſub conditione ubi fidem catholicam amplectuntur, cum de fide ſit validum eſſe baptiſmum ab Hæreticis collatum, ubi omnia eſſentialia adhibeant. Aliqui tamen putant baptizatos a Sectariis eſſe rebaptizandos, non quia dubitent de eius validitate ſi rite, & recte fiat; ſed quia cum recentiores Eterodoxi cenſeant Baptiſmum non admodum neceſſarium ad ſalutem, facile contingit tum circa ablutionem, quam dicuntur ſæpiſſime leviuſcula aſperſione perficere, tum circa intentionem &c. non parum eſſe incurios, ac proinde dubitari poteſt an adhibita ſint neceſſaria omnia ad legitimum Baptiſmum. Porro Paſtoralia SS. PP. imitata quorum regula erat, *Tene certum, & dimitte incertum* in hoc, & in ſupra allatis caſibus præcipiunt Baptiſmum conditionate reiterari, ne forte contingat quemquam ex hac vita abſcedere cum incerto, adeo tamen neceſſario peccati originalis remedio. * .

Adverte, quod ſi contingat quod fieri debeat Baptiſmi iteratio, ſemper præferenda erit receptioni cuiuslibet alterius Sacramenti, ne illud periculo nullitatis exponatur. Unde ſi quis in culpam poſt Baptiſmum dubium incidiſſet, deberet iterato prius Baptiſmo abſolvi ſub conditione, quia peccata illa forte eſſent materia Pœnitentiæ, forte non.

§. XXIII.

De diſpoſitionibus ad ſuſcipiendum Baptiſmum requiſitis.

Quod attinet ad diſpoſitiones requiſitas ad ſuſcipiendum Baptiſma, ex ipſa infantium infirma conditione, qui cum uſu careant rationis, carent proinde omni ſufficientia ad quemvis humanum ſeu rationalem actum, cenſeo omnibus ſatis, ſuperque compertum, hic non loqui de exigentia cuiuſvis diſpoſitionis in parvulis per ipſos præmittendæ dum initiandi ſunt Baptiſmate, cum fides ipſa, quæ eſt primum requiſitum ad Baptiſma in ipſis ſuppleatur per fidem Eccleſiæ, & illorum, qui offerunt eoſdem parvulos ad Baptiſmum, ita ut ſicuti per voluntatem primi parentis conſtituuntur peccatores, ſic in fide præcipue Matris Eccleſiæ regenerantur. Unde hic ſolum agitur de diſpoſitionibus, quæ requiruntur in Adultis. Et cum a pluribus ſæculis vix aliquando contingat aliquem Adultum baptizari, ſic mutata eſt circa hoc Eccleſiæ diſciplina, ut aliæ ſint diſpoſitiones Adultorum ad Baptiſmum veteris diſciplinæ, aliæ hodiernæ; & utriuſque diſciplinæ aliæ ſunt diſpoſitiones requiſitæ in initiandis ad validam ſuſceptionem Baptiſmi, aliæ ad fructum eius percipiendum. Ad valide recipiendum Baptiſmum in utraque diſciplina requiritur ſolummodo conſenſus, ſeu intentio recipiendi Baptiſmum, ſine qua certe non reciperetur; unde aliæ diſpoſitiones omnes de quibus hic agemus reſpiciunt licitam tantum, & fructuoſam huius Sacramenti receptionem. Et licet nunc non ſint amplius in uſu, breviter tamen illarum hiſtoriam hic exponere cenſeo, quibus olim præparabantur Cathecumeni, idest Adulti ad Baptiſmum.

Cathecumenus græce, latine autem dicitur a verbo inſtruo, *inſtruendus*, ſicuti inſtruens, *cathechizans*. Tres autem erant cathechumenorum claſſes, *Audientium* ſcilicet, Quid ſibi velit nomen Cathecumeni. *Competentium*, quæ ab aliquibus dicitur Genuflectentium, & *Electorum*. Verum ſecundum Martene Genuflectentes non conſtituebant claſſem diſtinctam, ſed erant Cathecumeni lapſi, qui manuum impoſitione expurgabantur, & Dei verbum flexis genibus audiebant, & erant ut vult P. Berti, in eadem claſſe ac Competentes. Non conveniunt tamen Theologi in hoc, cum Martene Competentibus præponat Electos, & Tourneli Competentes Electoſque confundat. Verum communiorem iam allatam nos ſequi cenſuimus.

Infidelis qui adulta ætate ſe dare Chriſto ſtatuerat, explicabat hoc ſuum votum alicui probatæ fidei, ac pietatis viro, qui illum præſentabat Epiſcopo, ac pro eo fidem faciebat. Epiſcopus autem paucis expoſita candidato chriſtiani inſtituti perfectione, exquirebat num talem vivendi regulam amplecti vellet: & ut reſponderat hoc in votis habere, Epiſcopus eum inter Catechumenos recipiebat facto illi ſigno in fronte, & ali-

alicubi etiam in pectore, in oculis, in ore, in ſcapulis, in auribus addita cum precibus manuum ſuper caput eius impoſitione, nec non inſufflationibus & exorciſmis, ut infra ſuo loco de Baptiſmi Cœremoniis, videbimus, & inter *audientes* conſtituebat ad verbum Dei audiendum, ideſt in ea Eccleſiæ parte, quæ hodie *Navis* dicitur, & in qua olim certum eſt fuiſſe conciones, & talis locus *Auditorium* dicebatur. Alii vero volunt locum Catechumenorum Audientium, ſive Auditorum fuiſſe ſuperiorem Eccleſiæ porticum, quæ loca dicebantur *cathecumenia*. Volunt vero aliqui porticus, ſeu Catechumeniæ locum fuiſſe ubi ſtarent mulieres ad audiendas conciones, & ſacras Liturgias excipiendas. Audita concione Cathecumeni, quibus iam Eulogiæ ideſt panis benedictus non denegabantur, ab Eccleſia dimittebantur clamante Diacono ex ambone: *Catechumeni diſcedite* ne illis myſteria pateſcerent ob diſciplinam arcani. Interrogabantur ante diſceſſum an ſectari vellent eamdem vitæ rationem, fuſis pro ipſorum ſalute precibus, iiſdemque abeuntibus ſequebatur Miſſa Fidelium ab offertorio; hinc pars Miſſæ præcedens dicebatur *Miſſa Catechumenorum*.

Expleto Catechumenatu, ſive tempore audientium pro Epiſcoporum diſcretione, & initiandorum qualitate longiori, aut breviori, qui deſiderio Baptiſmi exardeſcerent ad illum admitti ſupplici demiſſione petebant. Hi ſunt, qui ad ſecundam Catechumenorum ſtationem mittebantur ſcilicet competentium. Competentes ex S. Iſidoro l. 8. Orig. cap. 4. vocantur, qui poſt fidei inſtructionem competunt gratiam Chriſti, & ex S. Auguſtino dicuntur ſimul petentes Baptiſmum: humi proſtratos refert S. Gregor. Turonenſis l. 5. Hiſtor. gratiam hanc efflagitaſſe, & in huiuſce rei ſignum infantes humi prope fontem collocabant, & tunc, non tempore Audientiæ nomen dabant. In hac autem claſſe duris ſubiiciebantur pœnitentiæ laboribus, & aſſiduis dabant operam orationibus, ut conſtat ex Tertull. l. de Bap. cap. 19. ex quo habetur etiam, quod ſua confiterentur peccata non Confeſſione Sacramentali, ſed ea quæ eorum converſionis, meliorisque propoſiti foret indicium, atque ita ſe præparabant omni ornatu ad gratiam regenerationis recipiendam. Eccleſia e contra omnem adhibebat diligentiam ne initiarentur indigni, inſtituto circa competentium mores examine, quod appellabatur *Scrutinium* quod multiplex erat plus & minus ſecundum particularem Eccleſiarum conſuetudinem quæ tamen ordinarie erant ſeptem diverſis temporibus, & ſi lapſi deprehendebantur in aliquod grave peccatum, remittebantur ſecundum aliquos ad claſſem audientium, & ſecundum aliquos ad claſſem in qua iam erant competentium, ubi per quinquenium ſecundum Concilium Eliberitanum can. 75. retinebantur, per trienium vero poſtea iuxta Concil. Nicænum can. 14 Quod ſi prioribus ſcrutiniis Competentes non inveniebantur indigni, illis tradebatur recitandum Symbolum Apoſtolorum, deinde Oratio Dominica, & dicebantur *electi*. Die Dominica Palmarum quæ dicebatur *Capitilavium* ſi tales viſi erant ut proximo Paſchate eſſent baptizandi, lavabantur eorum capita ne ſordidi ad unctionem accederent.

Præcipuum ſcrutinium, & erat poſtremum, habebatur feria 4. maioris hebdomadæ, quæ proprie dicebatur *dies ſcrutinii*, & qui via ſcrutinii digni fuerant inventi admittebantur ad Baptiſmum, & ideo erant nuncupati electi, & hæc eſt vere, ac proprie tertia claſſis Catechumenorum.

Electi Epiſcopo offerebantur a ſponſoribus probatæ virtutis die ad Baptiſmum præſtituto, qui erat ex ſolemnioribus, ideſt pervigilio Paſchæ, & Pentecoſtes: ſed de hoc infra. Reddebant Catechumeni Symbolum in Eccleſia Romana ſabbato Sancto paulo ante Baptiſmum, alibi feria 5. maioris hebdomadæ. Eſt autem *reddere Symbolum* illud memoriter recitare, & Chriſtianam fidem ante Baptiſmi ſuſceptionem profiteri, & orationem Dominicam reddebant in proxima Paſchatis ſolemnitate poſt Euchariſtiam, ut habetur ex Tertulliano, & S. Auguſtino. Hæc erat vetus diſciplina Eccleſiæ pro initiandis ad Baptiſmum, quæ tamen cum clare & diſtincte quoad omnes ſuas circumſtantias ad poſteriora tempora quando iam mutata erat non pervenerit, ex hoc contigit quod in aliquibus auctores non prorſus conveniant, quoad aliquos ipſius diſciplinæ modos, & ordinem. In hac re ſequutus ſum ſere penitus P. Berti, quia cum ſe præbeat virum magnæ eruditionis, veroſimilius cenſui, quod idem de his tradit.

Diſpoſitiones vero ad hoc ut cum fructu Baptiſmus ab adulto ſuſcipiatur præcipue ſt præter Originale habeat etiam peccata actualia, exponuntur a Concil. Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. nempe requiri, ut ſe diſponat per Fidem, Spem, & Charitatem; Fides nempe qua credat explicite exiſtentiam unius Dei remuneratoris, Myſteria Trinitatis, & Incarnationis, & generatim vera, & divinitus

Diſpoſitiones ad licitam ſeu fructuoſam Baptiſmi receptionem in adultis.

tus revelata, ac promiſſa, & in primis iuſtificare Deum per merita Chriſti; nam horum fides explicita eſt neceſſaria neceſſitate medii; Spes iuſtificationis, & vitæ æternæ; Dilectio, qua Deum tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiat. Inſuper requiritur, quod habeat propoſitum efficax ſervandi omnia mandata, & chriſtiane vivendi. Adultus enim non poteſt admitti ad Dei amicitiam niſi in illam conſentiat, nec poteſt ſincere talem præbere conſenſum, niſi omnia facere velit, quæ ad iſtam amicitiam ſervandam, & mutuum amorem ſignificandum neceſſaria ſunt. Requiritur pariter voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum. Item pœnitentia ſeu dolor de peccatis commiſſis cum propoſito non peccandi de cætero Actor. 2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Æquum eſt enim, ut qui propria voluntate Deum offendit in eius amicitiam non recipiatur ſine peccatorum retractatione, & dolore. Huiuſmodi autem pœnitentia debet eſſe ſupernaturalis, abſoluta, univerſalis, efficax, incompoſſibilis cum ullo affectu ad mortale, & appretiative ſumma. Non tamen requiritur perfecta contritio; quia cum Baptiſmus ſit inſtitutus ad remittendum peccatum originale, & omnia actualia ante ipſum commiſſa, non requiritur talis diſpoſitio, quæ hunc effectum producat. Adultus vero, qui ſolum habeat originale peccatum, elicere debet eoſdem actus excepta contritione, quæ ſola exigitur pro peccatis perſonalibus, propria ſcilicet voluntate phyſice commiſſis.

Quod ſi adultus iuſtificatus ſit per perfectam contritionem, ſeu charitatem, ut per Baptiſmum ſolum recipiat gratiæ augmentum, debet nihilominus habere voluntatem, ſeu intentionem ex motivo ſupernaturali recipiendi Baptiſmum; cum ad gratiam recipiendam requiratur conſenſus qui ſit eidem gratiæ accommodatus. Verum hæc voluntas ſufficit cum iam alia ideſt Fides, Spes, & Contritio, & Charitas præceſſerint.

Quod ſi ſine prævus diſpoſitionibus cum ſola voluntate Baptiſmum quis ſuſcipiat, ideſt ficte, iam antea attigimus valide ſuſcipere Baptiſma, ſed infructuoſe, ideſt ſine gratia iuſtificante, quam tamen recipit recedente fictione, nempe reviviſcente Baptiſmo per contritionem perfectam, vel per Pœnitentiæ Sacramentum. Hactenus P. Antoine.

§. XXIV.

De loco, & tempore quibus Baptiſma conferebatur.

Circa locum Baptiſmi de quo hic dicere inſtituimus, nemo ambigere poteſt, tempore perſecutionum, quando nondum templa erant erecta, & quando fideles raro ſimul conveniebant, & nonniſi cum magna difficultate, baptiſmum collatum fuiſſe ubique eo meliori modo quo poterat. Imo etiam poſt redditam Eccleſiæ pacem ſæpe ſæpius non pauci, ut habetur ex Euſebio, & Theodoreto, curabant baptizari in Iordane, cuius aquæ a Chriſto Domino fuerant ſanctificatæ. Generaliter tamen loquendo cum ceſſavit Paganorum perſecutio Baptiſma publice conferri cœpit in Baptiſteriis Eccleſiarum ad hunc finem conſtructis; & Baptiſteria erant quædam ædificia figuræ orbicularis ſeiuncta a corpore Eccleſiæ, & veſtibuli eidem coniuncti, ad dexteram ipſius veſtibuli, in aliqua tamen diſtantia poſita, ut plurimum ad plagam meridionalem, cum tunc temporis mos vigeret ædificandi templa prout ſitus loci permittebat cum Altare verſus Orientem. Dixi *ut plurimum*; quia non in omnibus hic ritus ſervabatur, cum multæ aliter poſitæ inveniantur ſive quia loci conditio non concederet, ſive quia aliqua Idolorum templa in Eccleſias fuerint converſa.

Baptiſteria porro tantæ erant magnitudinis, ac amplitudinis ut in ipſis magna hominum turba convenire poſſet: cuiuſmodi fuerat Baptiſterium Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ut in ipſo habitum ſit Concilium congregatum a Flaviano contra Eutichianam hæreſim. Videntur nunc etiam quoque in ipſa noſtra Italia hæc Baptiſteria extra, & prope Eccleſiam conſtructa, ut Florentiæ, Piſis, Parmæ, Patavii, Tarviſii, & alibi. Erant in his ſacris baptiſmalibus fontibus plures gradus per quos ex una parte in ipſos deſcendebant Catechumeni, & aſcendebant ex altera, & fere omnes hi fontes, uti dicebam, erant figuræ rotundæ, ſicuti tradit in ſuo Gloſſario Du-Cange. Hæc autem Baptiſteria ſæpe ſplendide ornabantur, ut refert Anaſtaſius Bibliothecarius, & in ipſis erigebantur altaria pro ſacrificio celebrando, & ſacra adminiſtranda Euchariſtia Neophitis, qui poſtquam receperant ſacram Confirmationem, quæ ſtatim poſt Baptiſmum eis conferebatur, aſſiſtebant ſacris miniſteriis, eorumque participes reddebantur.

tur. Quamvis tamen ædificarent Baptiſteria extra Eccleſiam, aliqua tamen intra ipſarum Eccleſiarum ambitum conſtructa erant prope ſiniſtram januam ipſius Eccleſiæ, ut eſt Vercellis.

Cum autem adminiſtratio Baptiſmi olim præcipue prioribus ſæculis reſervata eſſet ſolis Epiſcopis, ſic nun dabatur niſi unum tantum Baptiſterium prope principalem Eccleſiam, in qua ſedes erat Epiſcopi, ac proinde in ſolis Cathedralibus erant Baptiſteria, quorum veſtigia nunc quoque habentur, cum non ſolum in omnibus Cathedralibus extet Baptiſterium, ſed adhuc uſus perſeverat in non paucis Civitatibus, ut non baptizentur infantes niſi in Cathedrali non ſolum totius Civitatis, ſed etiam ad certam diſtantiam extra Civitatis mœnia, ut Florentiæ, Bononiæ, Piſis, Vicetiæ, Tarviſii. Excipitur inter alias Civitates ab hac regula Romana, ubi ob miram multitudinem incolarum, & eorum, qui ſe convertebantur ad Chriſtianam Religionem fuerunt etiam a prioribus temporibus multa Baptiſteria in principalioribus Baſilicis, ut S. Ioannis in Laterano, S. Petri, S. Pauli, & Damaſi, S. Agnetis, S. Pancratii, & in aliis.

Quando poſtea etiam Rurales fidem amplexati ſunt erecta fuere extra Epiſcopales Civitates Baptiſteria, cum licentia tamen Epiſcopi, in cuius Diœceſi erigenda erant; ſed non tamen in omnibus locis, quos nos curam, Parochiamque vocamus erecta fuere, imo & in inferioribus Civitatibus quoque, ubi non erat Sedes Epiſcopalis, & plures extabant Curati, ſeu Parochi non baptizabatur niſi in Eccleſia principaliori. Eccleſiæ in quibus fontes erant pro Baptiſmate vocabantur Tituli Baptiſmales, ut diſtinguerentur ab aliis Eccleſiis quæ illos non habebant. Nec multæ erant Eccleſiæ Baptiſmales in Civitatibus, vel in Pagis, ut ex can. 48. Concil. Meldenſis, & ex Brocardo, qui ait; *Plures baptiſmales Eccleſiæ in una terminatione eſſe non poſſunt, ſed una tantummodo cum ſubditis Cappellis*. Eccleſiæ igitur quæ fontem baptiſmalem non habebant, vocabantur Cappellæ, ſeu Sacella, ſive Oratoria, ubi non permittebatur erigere Baptiſterium, nec ſtatuere Parochum Cardinalem, aut Titularem, ut docet S. Gregor. in ſua Epiſt. ad Epiſcopum Ariminenſem cui iubet ut Oratorium a nobili fœmina in eadem Civitate extructum conſecret ſine publicis miſſis, ut in poſterum non fundetur in ipſo Baptiſterium, nec ibi deputet Sacerdotem Cardinalem.

De Eccleſiis Baptiſmalibus ſeu matricibus.

Fideles, qui in hiſce Oratoriis congregabantur ter in anno adire debebant Eccleſiam Matricem, in Paſchate ſcilicet, Pentecoſtes, & Natali Domini, ut plura ſtatuerunt Concilia; & hæc ſancta conſuetudo ex Baluſio perduravit in Eccleſia uſque ad 11. Sæculum. Eccleſiæ igitur baptiſmales ab aliis diſtinguebantur. Unde & Carolus Magnus, & Leo IV. ſtatuerunt, ut Decimæ Rurium ubi edificarentur novæ Eccleſiæ ideſt Oratoria, ſeu Cappellæ pertinerent ad Eccleſiam antiquam, intra cuius fines erigerentur, ex quo infert Gratianus, quod Decimæ nonniſi ad Eccleſias baptiſmales debebantur, utpote quæ erant Eccleſiæ antiquæ & principales, ſeu Matrices, quod privilegium nunc vocatur *iura Curatorum*. Hinc vi huiuſce iuris annexi Eccleſiis baptiſmalibus exigunt Eccleſiarum Decimas quibus non ſerviunt, & antiquitus erant Cappellæ dependentes a principali Eccleſia, quæ erat propria illorum. Habuerunt etiam Monachi in eorum Eccleſiis Baptiſteria, ex privilegio tamen, & indulto, quod eorum ſanctitate ſibi aquiſierant. Eccleſiæ vero baptiſmales antiquitus appellabantur Plebs ob populi affluentiam, qui ad eam concurrebat, ut debito religionis ſatisfaceret, & exinde haud dubie deductum eſt nomen *Plebani*, quod nunc abuſive datur aliquibus in locis etiam Curatis, ideſt Vicariis. Privilegium autem Eccleſiarum Baptiſmalium antiquitus erat, quod ubi Oratoria inſerviebantur ab uno tantum Sacerdote Eccleſiæ, Baptiſmalibus ſive Matricibus præter Sacerdotem eſſe debebat ad eius ſervitutem etiam Diaconus, ut præſcriptum legitur in quibuſdam manuſcriptis Vaticani, & Montis Caſſini editis a P. Sirmondo. Adde ulterius quod Concil. Aurelianenſe vetuit aliquem in Eccleſiis Baptiſmalibus ſepeliri; tanta erat veneratio, quæ pro iſtis ſanctis locis habebatur.

Baptiſmus autem a prioribus ſæculis miniſtrabatur per trinam immerſionem, qui ritus perduravit uſque ad ſæculum decimum quintum, quando immerſio iam variari cœperat. Circa initium ſæculi decimiquarti penitus invaluit ritus infuſionis, quem poſtea ſemper adhibuit Eccleſia.

Catechumeni ſe expoliabant, & mulieres ſpoliabantur per Diaconiſſas, vel per alias pias mulieres, ut ſemper corpus tectum haberent vel ab aqua in fonte dum functio Baptiſmi peragebatur, vel a linteo ante & poſt ingreſſum in fontem. Scendebant autem in aquam viri ſuſtentati a Diacono, vel ab alio Clerico, & patrino, mulieres

De ritu baptizandi per immerſionem.

vero

Digitized by Google

vero a matrinis, & dum in aqua deſcenderant a Sacerdote baptizabantur trina immerſione, quæ ſecundum D. Auguſt. Homil. 3. *ad Neophit.* fiebat totius corporis in aquam. Quando vero baptizabantur mulieres, quæ vel in alio fonte, vel in eodem poſt viros baptizabantur, pendebat velum inter mulierem, & Sacerdotem ut nullatenus eam videre poſſet Sacerdos, imo cum tali etiam velo eas ſub brachiis excipiebat ad eas in aquam immergendas.

De tempore, quo olim conferebatur Baptiſma extra caſus neceſſitatis.

Baptiſmus ſolemniter conferebatur, ſive extra caſum neceſſitatis die Sabbati Sancti, & Sabbati ante Pentecoſtes, ut veluti abuſus antiquitus improbaretur, ſi aliis temporibus licet aliqua feſtivitate ſolemnibus peracta fuiſſet Baptiſmi collatio. Et primo Romani Pontifices ex perantiqua Traditione ſtatuerunt ut nonniſi diebus *exceptis ægritudine laborantibus* præſumant Epiſcopi Baptiſmum Catechumenis tradere. Ita definivit Siricius Epiſt. 1. *ad Himerium* cap. 2. anno 385. S. Leo Epiſt. 16. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 3. anno 447. Gelaſius Epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 10. circa annum 493. Conſuetudine tamen alicuius Eccleſiæ Baptiſma collatum fuit die etiam Epiphaniorum, ut teſtatur Walfridius Strabo in l. *de rebus Eccleſiaſt.* cap. 26. & in l. 2. *de perſecutione Vandalica* Victor. Vitenſis; & Avitus Viennenſis refert epiſt. 7. Clodovæum Francorum Regem baptizatum fuiſſe eo die, *quo natum Cæli Dominum Mundus accepit*. Tempore tamen perſecutionum, ut reputabatur hic caſus neceſſitatis, ſolebant baptizare Catechumenos non expectato præſcripto die; & ſic quando prævidebatur, aut ex ſuperna revelatione cognoſcebatur brevi fore accenſuram perſecutionem.

Videtur Pontifex Siricius excepiſſe a conſueta regula etiam parvulos, ac permittere baptizari quando a ſuis conſanguineis præſentarentur, cum poſtquam dixerit ſtatutum tempus baptizandi eſſe Paſcha, & Pentecoſtes, addit ſubveniendum eſſe pueris, qui carent uſu ſermonis, & eos conſtituit in eadem eorum claſſe, qui ſunt in caſu neceſſitatis. Hinc oſtenditur quod non retardaretur pueris Baptiſma, tametſi non eſſent in vitæ periculo, quando a ſuis Genitoribus præſentabantur, cupientes, ut Baptiſmus eis confereretur. Laudatus tamen Pontifex non imponit debitum Genitoribus ut eos paulo poſt ortum baptizandos præſentent, imo colligitur ex SS. PP. illorum temporum, quod Genitores non erant ita ſolliciti, ut extra caſum neceſſitatis ita cito baptizarentur; & D. Gregor. Nazianzenus inſinuabat differre eorum Baptiſma uſque ad tertium eorum annum, ut aliquo modo intelligere valerent myſtica baptiſmi verba, ac per ſe ipſos interrogationibus Sacerdotis reſpondere. Unde qui ita cum S. Gregorio ſentiebant, non præſentabant ſuos parvulos baptizandos quovis tempore, ſed libenter expectabant dies ſolemnes huic cæremoniæ ſtatutos.

De miraculoſa impletione fontium baptiſmalium quando facienda erat eorum benedictio.

Et quam laudabile, & ſanctum ſit celebrare Baptiſmum certis ſtatutis ſolemnioribus diebus anni comprobavit Deus ipſe ſenſibilibus miraculis, præcipue efficiendo ut illis diebus Fontes Baptiſmales miraculoſe ante horam benedictionis aqua implerentur, ut ex epiſt. S. Paſchaſii ad Leonem habetur in quodam humili loco hoc quolibet anno fieri conſueviſſe. Nec ibi ſolum, ſed alibi etiam ex Eccleſiaſticis documentis id contigiſſe perhibetur, ut Embruni, ſicuti refert S. Gregor. Turonenſis.

In Eccleſia vero Orientali non ſervabatur tanto rigore mos baptizandi ſolemniter bis in anno, in Paſchate ſcilicet, & Pentecoſtes; imo videtur quod ſemper conſueverint baptizare etiam in Epiphania, quæ prioribus ſæculis erat eadem die cum feſto Natalis, quem ritum recepit etiam Eccleſia Occidentalis; imo hæc ulterius morem induxit baptizandi etiam in feſtivitate S. Ioannis Baptiſtæ.

De hora qua fiebat Baptiſmi collatio.

Hora vero in qua ſolemnis celebrabatur Baptiſmi collatio erat in nocte præcedente, ideſt in Vigiliis dictarum ſolemnitatum, & credunt Scriptores quod hoc contigeret ſub initium noctis ante celebrationem Liturgiæ, quæ longa erat in Vigiliis magnarum ſolemnitatum; quia cum Neophiti participare deberent cum aliis fidelibus de divinis myſteriis, & præcipue de ſacra Euchariſtiæ communione, eorum Baptiſma, & Confirmatio præcedere debebat Liturgiam. Hæc omnia habentur in P. Chardon in ſua Hiſtor. de Sacrament. l. 1. ubi *de Baptiſmo*.

Viget nunc quoque in multis locis vetus Eccleſiaſtica diſciplina circa Adultorum Baptiſma; nempe quod adultus Paganus, aut alter Infidelis, ſive baptizatus in hæreſi abſque præſcripta forma verborum non ſtatim abſque delectu tingitur, ſed explorata eius voluntate datur opera, ut rite ad iuſtificationis gratiam diſponatur, ut præſcribit Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. Unde ponitur in domo vulgo iam dicta Catechumenorum inſtruendus in rebus fidei, & exercitiis Chriſtianæ pietatis: & quando ſit ſuffi-

Digitized by Google

cienter diſpoſitus, admittitur ad Baptiſma, quod ex Rituali Romano ei conferendus eſt, quando nullum obſtet impedimentum, in Sabbato Sancto Paſchatis, vel Pentecoſtes.

§. XXV.

De obligationibus baptizatorum.

Certiſſimum eſt baptizatum maximam ex Baptiſmo contrahere obligationem, quæ ex duplici capite eſt repetenda, nempe 1. ex amplitudine donorum, quæ in Baptiſmate recepit; 2. ex eius promiſſionibus, quas fecit in Baptiſmo.

Et quoad primam, nempe ex donorum amplitudine, quæ in hoc Sacramento baptizato conferuntur patet ex illo Lucæ 12. ubi Chriſtus Dominus ait; *omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Et Apocalyp. 3. advertuntur omnes Eccleſiæ Fideles, ut recognoſcant magnum beneficium receptum dum mediante Dei miſericordia vocati fuerunt ad Baptiſmum, quod idem eſt ac a Dæmonis captivitate, & æterna damnatione ad ſtatum filii Dei, & hæreditatem cæleſtis regni, quod omne decus, & bonum in ſe continet, & comprehendit; *in mente ergo babe qualiter acceperis, & audieris, & ſerva.*

Quoad ſecundam vero, ſcilicet quoad obligationem ex ſponſionibus factis in Baptiſmo, hæc tanta eſt, ut ex D. Thom: 2. 2. q. 87. art. 2. ad 1. & ex S. Auguſtino epiſt. 149. alias 59. æquivaleat voto, imo ſit eiuſdem rationis cum voto: *voventis.* (ait S. Auguſt.) *quæ offeruntur Deo, maxime ſancti Altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur noſtrum aliud votum maximum, quo nos vovimus in Chriſto eſſe menſuros.*

Triplex promiſſio in Baptiſmi ſuſceptione. Votum porro ſeu promiſſio Baptiſmi triplex eſt; 1. enim ſpondemus ſeu vovemus nos Chriſto perpetuo adhæſuros, eiuſque Evangelium ſecuturos veluti regulam, ac normam morum noſtrorum, & vitæ a nobis agendæ. 2. profitemur obedientiam Eccleſiæ, eiuſque Paſtoribus. 3. renunciamus penitus omnibus, quæ non ſunt conſentanea Chriſtiano inſtituto.

Vovent qui Baptiſmo initiantur ſe Chriſto, eiuſque Evangelio perpetuo obſequuturos, quia Baptiſmus eſt quædam ſolemnis chriſtianæ Religionis profeſſio; unde ſicuti Circumciſione ſecundum Apoſtol. ad Gal. 5. ita ſe dabat homo, ac ſubdebat moſayco inſtituto, ut debitor fieret univerſæ legis Moyſis ſervandæ, eo quia Circumciſio eſſet legis Moſaycæ profeſſio; ita per Baptiſmum nos adiungimus Chriſto, & religionem ab ipſo inſtitutam profitemur, eiuſque vitæ inſtitutum, ſeu Evangelii legem amplectimur, & exinde Chriſtiani nomenclaturam recipimus. Hinc inter prima Fidei rudimenta docemur Chriſtianum appellari, qui Chriſti doctrinam credit, ac profitetur.

Profitemur inſuper in Baptiſmo obedientiam Eccleſiæ eiuſque Paſtoribus, quia per Baptiſmi generationem coniungimur tamquam membra corpori Eccleſiæ cuius myſtici corporis Chriſtus eſt caput; ut non vivamus ſpiritu capitis Chriſti niſi maneamus in corpore Eccleſiæ, quod fieri nequit niſi patiamur ab Eccleſia regi, quæ vitæ chriſtianæ eſt magiſtra, & dux. Sic fruſtra quis profiteretur regulam alicuius Ordinis, qui miniſtro, qui ipſi regulæ tuendæ, vel diſpenſandæ præpoſitus eſt, ſubeſſe recuſaret. Hinc advertit Chriſtus Matth. 18. *Si autem Eccleſiam non audierit ſit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus.*

Quicumque vero initiari velit Baptiſmati, ac Chriſtianæ Religioni, cogitur ſolemniter renunciare iis, quæ chriſtiano inſtituto adverſantur, nempe Satanæ, omnibuſque operibus eius, ac pompis, quod idem eſt ac renunciare Mundo, vanitati, omnibus carnis illecebris. Et hic ritus abrenunciationis fuit ſemper univerſalis in Eccleſia tam Græca, quam Latina, uti teſtantur omnia utriuſque Eccleſiæ Euchologia.

APPENDIX

De Cæremoniis Sacramenti Baptiſmi.

§. I.

De Cæremoniis, quæ Baptiſmum præcedebant.

Cæremoniæ Baptiſmi multæ & variæ fuere antiquitus, quarum multæ etiam nunc ſervantur; & ex his aliæ, ſicut hodie quoque fit, præcedebant Baptiſmum, aliæ comitabantur, ſubſequebantur aliæ. Et de iis, quæ Baptiſmum præcedebant aliqua iam diximus, nempe de Catechumenatu, quem qui præſentabantur Epiſcopo pro accipiendo Baptiſmate dato tunc eidem eorum nomine, percurrere debebant ad capeſſendam inſtructionem myſteriorum, & præceptum chriſtianæ Religionis; ſicuti opus erat ſi quis ex adultis optabat per tale Sacramentum ingredi in Eccleſiam, ideſt inter Chriſtianos aggregari; quod

Digitized by Google

quod nunc pariter ſervatur quando aliquis infidelis accedit ad poſtulandum Baptiſma. Multis probabantur laborioſis operibus, inſtruebantur ſacræ doctrinæ elementis, explorabatur vitæ eorum probitas ſeptem ſcrutiniis. Renunciabant Satanæ & eius Angelis, & pompis Mundi. Sæpe requirebatur eorum fides eos interrogando, ſi crederent in Deum Patrem, & Filium &c. Imprimebatur ſignum Crucis in eorum pectore, variis exorciſmis, ideſt adiurationibus factis certis precibus, Dœmonem a baptizando abigebant; quibus exorciſmis addebatur quædam exſufflatio, quæ Dœmonis expulſionem ſignificabat, & boni Spiritus inſpirationem. Sal deguſtandum datur, quo vitæ incorruptæ, ac bonorum operum ſapor figuratur: Nares, & aures ſaliva tanguntur, ac in tali actu dicitur *Epheta*, quod idem ſonat, ac adaperire; liniuntur enim oculi baptizandorum ſaliva ob myſticam ſpiritualis luminis ſignificationem. Sacerdos manus imponit, & benedicit. Ritus manuum impoſitionis meminit S. Auguſtinus l. 2. *de Peccator. merit. & remiſs.* cap. 26. n. 42. ubi ſic ait; *Nam, & Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Crucis, & Orationem, ac manus impoſitionem puto ſanctificari*. Unguntur baptizandi ante Baptiſmum oleo Catechumenorum in pectore, & ſcapulis, ungendi poſt Baptiſma Chriſmate in vertice.

Varia ſunt myſteria huius unctionis. S. Auguſt. in Pſalm. 44. n. 19. ait, adhiberi *oleum viſibile* in ſignum *inviſibilis unctionis*. Et S. Ambroſius l. *de Sacrament.* ait; *Unctus es quaſi athleta Chriſti, quaſi luctam huius ſæculi luctaturus*. Et Rabanus l. 1. *de Inſtitut. Cleric.* cap. 27. in *can. 70. de conſecrat. diſtinct. 4.* inquit; *ungitur ſiquidem baptizandus in pectore, ne lateant in eo ullæ inimici reliquiæ, atque inter ſcapulas, ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur*.

De huiuſcemodi Cœremoniis teſtimonia habentur in Patribus, Baſilio ſcilicet, Tertulliano, Cypriano, Auguſtino, Ambroſio, Chryſoſtomo; in veteribus Conciliis præcipue Carthaginenſibus III. & IV & in aliis antiquis monumentis. Et hæ Cœremoniæ fere omnes nunc quoque ſervantur.

§. II.

De Cœremoniis quæ Baptiſmum comitabantur.

Ex Cœremoniis, quæ antiquitus Baptiſmum comitabantur, multæ etiamnum ſervantur ab Eccleſia, cuiuſmodi ſunt Litaniæ, benedictio Fontis, Chriſmatis perunctio in ſignum unionis cum Chriſto, cuius bonum odorem ubique baptizatus diffundere debet.

Quoad locum vero, & tempus Baptiſmi, iam dictum eſt ante, quod talis cœremonia collationis Baptiſmi licet tempore Apoſtolorum fieret quolibet in loco, ut conſtat ex exemplo Eunuchi baptizati a Philippo in ipſo itinere quo ſimul gradiebatur, & ita ſervatum fuerit tempore perſecutionum, dum tunc non poterant Fideles habere Templa ubi ſuos cœtus, divinaque officia celebrarent: habita tamen ab Eccleſia pace non conferebatur Baptiſma ſecluſo caſu neceſſitatis, niſi in illis datis locis, quæ Baptiſteria dicebantur.

Quoad tempora autem Baptiſmum ſolemniter miniſtrandi non una fuit Eccleſiarum diſciplina. Nam aliæ, ut Romana, & Africana, ipſiſque adiacentes conſueverunt conferre Baptiſmum tantummodo in Paſchate, & Pentecoſtes, ut patet ex Tertulliano, Siricio Papa, ex Sacramentario S. Gregorii Magni. In Eccleſia vero Africana additus poſtea fuit dies Epiphaniæ, ut refert Victor Vitenſis l. 2. *de perſecut. Vandalica*: Et in Eccleſia Gallicana ſæculo 6. additi ſunt dies Natalis Domini, & S. Ioannis Baptiſtæ, ut conſtat ex Epiſt. 44. Aviti Epiſcopi Viennenſis. Talem morem indicat miraculum quod Ebroduni in Natali, & Cœna Domini quotannis circa Baptiſterium erectum in ea urbe a S. Marcellino contigebat, & relatum habetur a Gregor. Turonenſi l. *de glor. Confeſſor.* cap. 6. Verum mos baptizandi in Natalitiis Domini, & feſtivitatibus Apoſtolorum, & Martyrum Sæculo 6. abrogatus fuit a Concil. Matiſconenſi anno 581. quæ abrogatio non obtinuit extra Galliam.

Hæc vero diſciplina, quam hactenus expoſuimus circa tempus miniſtrandi Baptiſmum iuxta teſtimonium Ruperti Abbatis, qui obiit anno 1135. deſiit apud Occidentales circa ſæculum 12. ut iam antea notavimus. In Eccleſia Orientali ſolemnis collatio Baptiſmi erat tantummodo diebus Paſchæ, Pentecoſtes, & Epiphaniæ Domini, ut colligi-

ligitur ex Epiſt. 61. S. P. Hieroymi, ex S. Ioanne Chriſoſtomo ſerm. 36. *de Pentecoſt.* ex Goario in ſuis notis ad Euchologium Græcorum, & præcipue ubi deſcribit ritum maioris benedictionis aquæ in Theophania. Cæterum Baptiſma, ut notat Tertull. l. *de Baptiſm.* cap. 19. quolibet tempore valide miniſtrari poteſt.

In Baptiſmatis collatione duæ aliæ cæremoniæ obſervantur, nempe nominis impoſitio, & Patrinorum ſeu ſponſorum electio, & uſus.

De nominis impoſitione.

Ritus & conſuetudo imponendi nomen baptizandis orta eſt ex antiquo ritu Catechumenorum, qui, ut iam vidimus, ante Baptiſmum nomen dabant; nomen autem cuique hominum ad perſonarum diſtinctionem imponi debet, & id ab ipſo Mundi exordio obſervatum eſt in Adamo, & filiis eius. Romani conſueverunt imponere nomen maribus nono die poſt nativitatem, & fæminis octavo; licet aliquando nomen datum ab initio immutaretur, ſicuti fit in Summo Pontifice a Sergio II. ſive potius a Ioanne XII. electo anno 956. item in Mulieribus latinis ſi tranſeant ad connubia Græcorum, cum legamus de Berta, quæ poſt nuptias appellata fuit Irenes. In nomine imponendo ſervanda eſt regula tradita a canone Arabico, in quo ſic habetur; *Fideles nomina Gentilium filiis ſuis non imponant*: Primo quia veteres conſuevere nominare filios ſuos nomine alicuius Sancti iuxta teſtimonia S. Io: Chriſoſtomi homil. 12. in Epiſt. ad Corinth. & primis Eccleſiæ ſæculis communia Fidelium nomina erant nomina Apoſtolorum. Deinde quia, ut ex Dionyſio Alexandrino apud Euſebium l. 7. Hiſtor. Eccl. cap. 25. Sanctorum nomina ſerviunt ad tutelam, & ad exemplum virtutum, & notiora quoque ſunt quam domeſtica, & propria.

De Sponſoribus, ſeu Patrinis.

Sponſores demum, qui & fideiuſſores dicebantur, & nunc communiter Compatres, Patrini, conſtat etiam ab initio ſumptos fuiſſe, ut habemus ex Tertulliano l. *de Baptiſm.* cap. 8. Itaque in Baptiſmate infantium ſuſcipiendo primo eliguntur qui illos levent e ſacro fonte, quoniam cum Baptiſmus *Sacramentum ſit regenerationis*, decet eos, qui Chriſto gignuntur inſtrui, ac doceri, ut tradit D. Thom. q. 67. art. 7. Inſuper parvuli fidem per *verba geſtantium* profitentur, & Eccleſia eis per fideles ſuos præſtat *os maternum*, ut ait S. Auguſt. Epiſt. 23. nunc 98. ad Bonifacium. Ita vetus eſt conſuetudo adhibendi Patrinos, ſeu Sponſores in Baptiſmate, ut Eſtius, & Sylvius ſtatuant eam haberi ex Traditione Apoſtolica, cum poſt Apoſtolorum tempora eius inſtitutio non inveniatur, quod eſt argumentum Traditionis Apoſtolicæ. Secundum veterem diſciplinam ordo erat, ut nec viri fæminas, nec fæminæ viros levarent, ut patet ex cap. 22. inter Nicænos Arabicos.

De numero Patrinorum.

Circa numerum Patrinorum ſtatuit Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. ut unus tantum ſive vir; ſive mulier iuxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant. Et ita definitum eſt, ne inter multos contrahatur cognatio ſpiritualis, quæ eſt impedimentum Matrimonii, ut declarat citato loco Tridentinum. In ſuſceptoribus requiritur ex can. 3. Concil. Metenſis celebrati anno 888. ut *teneant profeſſionem chriſtianæ Fidei* ex cap. *In Baptiſmate de conſecrat. diſt.* 4. *n.* 102. & ita declaravit Concil. Mediolanenſe III. anno 1579. nec non ex Rituali Rom. ut *ſint ſacro chriſmate confirmati*. Prohibentur ibidem, & alibi ſuſcipere de Baptiſmo filios, aut commatores habere Monachi, & cuiuſvis Ordinis Regulares, Præsbyteri vero, & Clerici, cum olim adhiberentur, nunc etiam adhiberi poſſunt, cum a iure communi non excludantur, & revera pluribus in locis adhibeantur. Attendenda eſt tamen praxis, & uſus cuiuslibet Eccleſiæ.

Obligationes Patrinorum.

Patrini tenentur habere erga filios curam, & impendere *ſolicitudinem veræ charitatis*, & eos admonere, ut Caſtitatem cuſtodiant, Virginitatem ſervent uſque ad nuptias, a maledicto, vel periurio linguam refrenent &c. uno verbo ut pie, ac chriſtiane vivant. Sic habetur ex Auctore ſermonis inter Auguſtinianos de tempore 163. nunc 168. Appendice n. 3. ex quo videtur deſumptum eſſe cap. *Vos ante omnia de Conſecrat. diſt.* 4. *n.* 105. & de hoc fuſius etiam tractat ad hæc officia exequenda Patrinos exhortans Catechiſmus Romanus part. 2.

§. III.

De Cæremoniis, quæ ſubſequebantur Baptiſmum.

Poſt collatum antiquitus Baptiſma Catechumenis, videtur quod ritus fuerit dare eis oſculum pacis in ſignum unionis, ac fraternitatis cum Baptizato. Sic S. Cyprianus in epiſt. *ad Fidum*; poſtea perungebantur ab Epiſcopo ſacro Chriſmate, qua unctione conferebatur Sacramentum Confirmationis. Hoc ſtatim poſt Baptiſmum conferebatur quando

Epi-

Epiſcopi baptizabant, ac ut plurimum in Sabbato Sancto Paſchæ vel Pentecoſtes. Cum vero munus baptizandi demandatum fuit Presbyteris, ut omnes veteres complerentur cœremoniæ, inducta fuit hæc verticalis unctio a Sacramento Confirmationis diſtincta, ut habetur in lib. Pontifical. de Sylveſtro; & hic conſtituit; ut baptizatum liniret Presbyter Chriſmate levatum de aqua. Referunt hunc locum Rupertus Abbas l. 5. *de Divinis officiis* cap. 16. Amalarius l. 1. cap. 27. & Scriptores, qui de hac unctione facienda a Sacerdote baptizatis poſt collatum eis baptiſmum aſſerunt fieri in vertice, non in fronte, ut hæc inunctio diſtinguatur a Sacramento Confirmationis. Sic notat Innocent. I. in ſua epiſt. *ad Decentium* cap. 3. *Presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſive præſente Epiſcopo baptizent, chriſmate baptizatos ungere licet; ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Spiritum Sanctum.* Donec perduravit mos baptizandi ſolemniter in Paſchate, & Pentecoſtes, & demandatum fuit Presbyteris conferre baptiſmum, poſtquam Catechumeni, & infantes hunc receperant a Sacerdote cum unctione verticali Chriſmatis, mittebantur ad Epiſcopum, qui eos attendebat in Sacriſtia ad recipiendum per unctionem Chriſmatis in fronte Sacramentum Confirmationis.

Exponit Ivo Carnotenſis ſerm. 4. *de Sacram.* myſterium huius unctionis, nempe, *ut Charitas, quæ per Spiritum Sanctum datur ſemper abundet in corde ſecundum verbum illud Eccleſiaſtici 9. oleum de capite tuo non deficiat.*

Poſt inunctionem verticis imponitur baptizato linteolum candidum loco veſtis albæ, qua olim poſt Baptiſmum induebantur Neophiti, & ferre ſolebant a Sabbato Sancto uſque ad Dominicam in Albis, ut habetur ex S. Dionyſio, ſeu quovis alio auctore lib. Eccleſiaſt. Hierarch. cap. *de Baptiſm.* ex SS. Ambroſ. Auguſt. & aliis induebantur hac candida veſte baptizati, & nunc iis profertur linteolus albus, ſive ut ait Albuinus Flaccus *propter gratiam regenerationis*, ſive ad commonſtrandam vitæ innocentiam, animique candorem in quibus regeneratus perpetuo incedere debebat.

De antiquo birretto baptiſmali. Veſti candidæ additum fuit birettum chriſmate. Huius mentionem faciunt Theodulphus Aurelianenſis Auctor divinorum officiorum ſub nomine Alcuini, Rabanus, aliive, ac eum diſtinguunt a veſte alba. Alii *Galeam*, alii *Capam* vocant; quia volunt aliqui quod eſſet veſtis linea cum capuccio ad inſtar Mytræ clauſæ, qua caput unctum tegebatur ob reverentiam S. Chriſmatis. Sed in deſuetudinem hæc abierunt poſtquam inductus fuit mos abſtergendi caput eorum cum bombace in parte chriſmata.

Traditur pariter baptizato cereus accenſus ex antiquiſſima conſuetudine, cuius meminit Nazianzenus Orat. in S. Lavacr. S. Auguſt. & Ivo Carnotenſis ſerm. *de Sacrament. Neophyt.* ubi exponit huiuſce ritus myſterium his verbis. *Ad ultimum datur cereus ardens in manus baptizati, quatenus impleri doceatur illud Evangelii; ſic luceat lux veſtra coram hominibus &c. datur enim in ſignum fidei, & gratiæ acceptæ, & translationis ipſius a poteſtate tenebrarum ad lumen, & ſortem Sanctorum.* His cœremoniis hodie abſolvitur ſolemnis Baptiſmi adminiſtratio ſic Miniſtro alloquente baptizato; *Vade in pace, & Dominus ſit tecum.* Et hoc quoque eſt veſtigium, ac indicium veteris cœremoniæ, qua olim baptizans pacem Neophyptis deprecabatur, & aliquibus in locis addebatur oſculum, ut colligitur ex Epiſtola S. Cypriani *ad Fidum.*

In Sacramentario D. Gregorii edito a D. Hugo Menardo ſermo eſt de pannis, quos Patrini paratos tenere debebant ut ſuos *filiocios* exeuntes de fonte poſt Baptiſmum reciperent, qui ſine dubio erant deſignati ad eos abſtergendos, & ſimul ob decentiam tegendos. Hic mos erat antiquus, & hi panni cum magna diligentia ſervabantur ut memoriale inſignis beneficii, quod Chriſtiani a Baptiſmate receperant, & ut ſignaculum fœderis contracti cum Deo.

Antiquitus, videlicet quando Baptiſmus conferebatur in Paſchate, vel Pentecoſtes poſt ipſius collationem, ſi collatus erat per Sacerdotem poſtquam Sacerdotibus demandatum fuit baptizare, & expletis conſuetis cœremoniis, ſe in ordine omnes diſponebant prout ſcripta erant eorum nomina: Infantes tenebantur in brachio dextero, & Adulti pedem ponebant ſuper unum pedum Patrinorum. Committebatur Cantoribus intonare Litanias quinarias, & Epiſcopus occurrebat baptizatis, ipſiſque Sacramentum conferebat Confirmationis. Sic in laudato Sacramentario. Poſt collationem Confirmationis miniſtrabatur baptizatis etiam infantibus S. Euchariſtia. Hinc ſicuti adulti ſe abſtinere debebant a re aliqua ſummenda nutritionis ante Communionem, ita & matres advertebantur ne ante illam lac infantibus præberent. Sed non ſolum communica-

nicabantur die Baptiſmi, ſed quotidie per totam octavam Paſchatis, vel Pentecoſtes, in cuius vigilia erant baptizati. Sic ordinat Rituale Roman. ducebantur enim Neophyti per dies octo ad Eccleſiam, quo præcedebat columna cerea accenſa, quæ erat Cereum Paſchale, & ſummo mane canebatur Miſſa in qua communicabant, ut ex eodem Rituali Roman. Et quia difficile erat communicare ſpeciebus panis pueros lactantes ob periculum quod Euchariſtiam evomerent, illis dabatur ſub ſpecie vini, ut ex S. Cypriano l. *de lapſis*.

Alia quoque cœremonia, & hæc antiquiſſima, erat lotio pedum, quæ pluribus in locis fiebat Neophytis poſt Baptiſmum, & etiam Confirmationem; ut diſponerentur ad S. Communionem, in quo ritu imitabant Epiſcopi Salvatorem, qui ante myſticam cœnam lavit pedes diſcipulorum. Alicubi hæc cœremonia fiebat ante Baptiſmum feria V. in cœna Domini, ſed communius fiebat poſt Baptiſmum. Sic Auctor libri Sacramentorum, qui creditur D. Ambroſii. Sæculo 12. ad evitandum omne inconveniens miniſtrando Infantibus Euchariſtiam calicis, Sacerdos tingebat digitum in calice conſecrato, & ſic madefactum ponebat in os infantis, qui illum lambebat, & ſic ei miniſtrabatur S. Communio: Et Ugo S. Victoris conſulit, ut ſic fiat. Et revera habetur quod talis praxis in aliquibus Eccleſiis ſervabatur. Chordon t. 1. *de Baptiſ.*

In Occidente mos erat dare Neophytis poſt Communionem lactem & mel, ut cognoſcerent, quod Sacramenta, quæ receperant poluerint eos in poſſeſſionem terræ promiſſionis, cuius ſymbolum erat Paleſtina: & conjicitur hunc morem fuiſſe perantiquum, dum huius meminit Tertullianus l. *de Corona Milit.* cap. 3. ac D. P. Hieronymus in ſuo dialogo contra Luciferianos.

Neophyti tamquam ſibi debitum imputabant ſemper meminiſſe ſingularis beneficii ſuæ ſpiritualis regenerationis per Baptiſmum; imo ſolebant omnes quotannis celebrare diem feſtum ſui Baptiſmi, quem vocabant *Paſcha Annoſinum*, ut ait auctor Micrologii cap. 76. *Baptizati celebrabant anniverſarium ſuæ regenerationis ſubſequentibus annis eo die quo Baptiſmum receperant*, qui cum eſſet dies affixa ſæpe contingebat, ut diſtans eſſet a die mobili Paſchæ in qua Baptiſmum receperant. Videtur quod hoc feſtum ceſſaverit in Eccleſia ſimul cum ritu ſolemnis Baptiſmi Catechumenorum in Sabbato Sancto, ſicut & uſus quod comparerent Neophyti in veſtibus albis per totam octavam Paſchatis.

Neophytiſmum perdurabat integro anno a ſuſcepto Baptiſmate. Unde iuxta talem morem ſtatutum fuit a pluribus Conciliis, & præcipue in Arelatenſi anno 524. & in III. Aurelianenſi, ut niſi tranſacto anno poſt converſionem admitterentur ad Ordines, ſi aliqui horum relicto ſæculo Eccleſiaſticæ militiæ nomen ſuum darent. Hinc mos receptus fuit ab univerſa Eccleſia ne Neophyti promoverentur ad Ordines.

§. IV.

De ſupplendis cœremoniis prætermiſſis in Baptiſmo.

Grave peccatum eſt omittere non urgente neceſſitate cœremonias Sacramentorum, ut iam dicitur agendo de Sacramentis in genere. Certum vero eſt, quod ſupplendæ ſint quamprimum, quæcumque fuerit ratio quare fuerint omiſſæ. Sic præſcribunt Rituales iuxta antiquæ Eccleſiæ Traditionem. S. enim Cornelius Papa & Martyr medio 3. ſæculo reprehendit Novatianum baptizatum in lecto poſtquam convaluerat, qui nec reliqua percepit, quæ iuxta Eccleſiaſticum ritum ſunt percipienda, neque ab Epiſcopo conſignatus erat. Sic apud Euſeb. l. 6. *Hiſt. Eccle.* cap. 43.

Difficultas eſſe poteſt circa Exorciſmos, num hi quoque ſint ſupplendi, cum videatur fieri iniuria Baptiſmo, quaſi non haberet vim per ſe delendi peccata, & liberandi a Dæmonis ſervitute. Quocirca aliqui Rituales prohibent ſuppleri exorciſmos, & noviſſime vetitum fuit in Concil. Meldenſi anno 1691. Nihilominus communiter docent Theologi Exorciſmos etiam ſupplendos eſſe; quia, ut docet D. Thomas 3. p. q. 73. art. 3. ad 3. non tantum Dæmonem coercent, ne impediat Baptiſmi collationem, ſed etiam ne ab audiendo Dei verbo avertat fideles, & eius impetus per concupiſcentiam quam accendit, ſi non enervant, ſaltem reprimunt. Igitur & Exorciſmi ſupplendi ſunt non minus ac aliæ cœremoniæ. Sic docet etiam Gulielmus Antiſiodorenſis. Cæterum, ait Ludovicus Habertus, quiſque ritum ſequatur Eccleſiæ in qua degit: quod ſi liber nihil præſcribat, ſatius eſt, magiſque conforme veteri diſciplinæ exorciſmos ſupplere.

Baptiſmus ſuſceptus ficte, ideſt ſine debitis diſpoſitionibus ratus eſt, idcirco non repetendus; quia caruit effectu propter malæ vo-

voluntatis obicem, quo remoto per veram pœnitentiam reviviſcit, hoc eſt delet antecedentia peccata etiam quoad omnis pœnæ reatum. Sic S. Auguſt. l. 3. *de Baptiſm.* cap. 13. Dixi *antecedentia peccata*; quia ſubſequentia, & ipſa fictio, quæ in ſuſceptione Baptiſmi gravis culpa fuit, ſubiicienda ſunt clavibus Eccleſiæ: quia ſicuti peccata quæ præcedunt Baptiſmum non ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, ita quæ ſubſequuntur Baptiſmum non ſunt Baptiſmi materia. Habert.

TRACTATUS
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

POſt Baptiſmi Sacramentum, ut mos eſt apud Theologos, numeratur Sacramentum Confirmationis. Verum non conceditur Confirmationi talis præcedentia aliis Sacramentis ratione dignitatis (cum inter alia Sacramentum Euchariſtiæ, utpote auctorem rerum omnium, ac ideo etiam gratiæ realiter continens, ſit indubie valde præſtantius) ſed ordine tantum accepto ab analogia naturalis hominum vitæ, ad cuius ſimilitudinem voluit Chriſtus Dominus, ut vitam ſupernaturalem homo reciperet a Sacramentis; unde cum generationi naturalis vitæ ſubſequatur eius firmatio per vires, quæ ei adiiciuntur, hinc poſt regenerationem ad vitam ſupernaturalem gratiæ, quæ habetur per Baptiſmi Sacramentum, ſuccedit eius roboratio, ac ſtabilitas per Sacramentum Confirmationis, quæ ideo poſt Baptiſmum adminiſtratur: & ſic appellatur quia gratiam in Baptiſmo acceptam auget, confirmat, ipſumque baptizatum contra fidei hoſtes corroborat. Huius autem Sacramenti naturam virtutem, cæteraque alia ad ipſum ſpectantia breviter exponemus.

§. I.

De notione, & variis Confirmationis nominibus.

Variis, ac multis nominibus, quæ ab illius materia, forma, aut effectu petita ſunt ſolet hoc Sacramentum ab Eccleſiaſticis Auctoribus deſignari. Primo enim ab ipſius materia dicitur *manus impoſitio*, ut Actor. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum; Chriſmatis unctio, Unguenti myſterium*, ut a S. Dionyſio l. *de Eccleſiaſt. Hierarch.* cap. 4. a Theodoreto *Chriſma ſpiritualis unguenti*: *Chriſma Sanctum, & ſupercæleſte*; a Concil. Laodicen. can. 7. & 48. *Chriſma ſalutis*; a S. Leone ſerm. 4. Nativit. Domin. *Chriſmatis, & unctionis Sacramentum* a S. Auguſt. l. contra litter. Petilian. cap. 104. & paſſim a Patribus aliis.

2. A forma, ſeu quaſi forma, qua adminiſtratur dicitur *Signaculum Dominicum*, ut a S. Cypriano epiſt. 71. ad Iubaianum; *Signaculum ſpirituale* a S. Ambroſ. l. de initiand. cap. 7. *Signaculum vitæ æternæ* apud S. Leonem loc. cit.

3. Ab effectu tum a Græcis, quam a Latinis Patribus dicitur *perfectio*; ita S. Ambroſ. ſeu Auctor l. 3. *de Sacram.* & Concil. Eliberitanum can. 47. ubi de baptizatis a Diacono ita ſtatuit; *Epiſcopus eos per benedictionem perficere debet*. Communi tamen & uſitato nomine dicitur Confirmatio, quia robur, & vires præbet ad fidem Chriſti intrepide profitendam. Confirmationis nomen non eſt novum in Eccleſia, ſed etiam a veteribus eſt uſurpatum, & præcipue a Concil. Arauſicano anno 442. ab Arelatenſi anno 455. ab Hilario Arelatenſi, ac ab aliis antiquis Patribus. Quare variæ fieri poſſunt huius Sacramenti notiones, ſeu deſcriptiones a materia, a forma, vel effectu deſumptæ, quod ſit v. g. Signaculum Spiritus Sancti, aut impoſitio manuum, qua baptizatus accipit Spiritum Sanctum, aut Sacramentum perfectionis, quo efficimur plene, ac perfecte Chriſtiani. Ad hoc tamen ut totum in una complectatur ſit cum Tourneleio.

Definitio Sacramenti Confirmationis.

Sacramentum Confirmationis definitur, ſeu potius deſcribitur *Sacrum, & ſenſibile ſignum a Chriſto Domino inſtitutum a ſolis Epiſcopis tamquam ordinariis miniſtris collatum, in Religione perpetuum ad conferendam homini baptizato gratiam roborantem ac confirmantem, qua Chriſti fidem conſtanter, & intrepide profiteatur*. Ita Tourneleius: quæ ſane definitio omnes partes, virtutem, & requi-

requiſita huius Sacramenti complectitur. Eſtius vero, Habert, aliique rembrevius ita explicant, *Confirmatio eſt Sacramentum novæ legis, quo baptizatis additur robur Spiritus tum ad firmiter credendum, tum ad fidem intrepide confitendam.*

Dicitur 1. *Sacramentum novæ legis*, quod ſe habet loco generis; unde Confirmatio convenit cum aliis Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutis. Dicitur 2. *quo baptizatus &c.* quibus verbis oſtenditur differentia Confirmationis a Baptiſmo, qui nullum præſupponit in ſuſcipiente Sacramentum, Confirmatio vero neceſſario præſupponit Baptiſmum. Dicitur 3. *robur Spiritus Sancti* per quod deſignatur abundantior gratiæ copia, quæ per Confirmationem confertur. Datur quidem in omni Sacramento novæ legis gratia ſanctificans, & Spiritus Sanctus, ſed proprium eſt Confirmationis illam gratiam dare ad robur, ſcilicet cum tali amplitudine, quæ ſuſcipientem adhuc parvulum in Chriſto perficiat, ac corroboret. Dicitur tandem *ad firmiter credendum &c.* ut diſtinguatur Confirmatio a Sacramento Ordinis, in quo datur quidem Spiritus Sancti robur, ſed ad munia eccleſiaſtica rite peragenda, cum hic detur ut baptizati tentationibus contra fidem irruentibus viriliter reſiſtant, eamdemque contra quaſcumque ſæculi minas, ac blanditias data occaſione libere, ſortiterque profiteatur. Habert.

§. II.

De vera, & propria natura Sacramenti quam habet Confirmatio, & de iis, qui circa talem veritatem errarunt.

Ex veteribus Eterodoxis veniunt in ſuſpicionem Novatiani, quod negaverint veritatem Sacramenti Confirmationis. Dixi *in ſuſpicionem*, cum hoc certum & omnino exploratum non ſit; quia habetur quidem ex Cornelio Rom. Pontifice ipſum non recepiſſe Confirmationem, ignoratur tamen an ex negligentia, vel ex mentis errore contra Confirmationem eam non ſuſceperit, cum per hoc non clare ſe exponat cit. Pontifex. Theodoretus tamen l. 3. *Hæreticar. Fabular.* Novatianis hunc errorem tribuit, verum alii, qui contrà Novatianos ſcripſere, ut Pacianus, Epiphanius de Confirmatione ab ipſis negata nihil referunt.

Videntur argui de errore contra Confirmationem Wicleſus, & Ioannes Hus; verum inter articulos Wicleſi, quem iam in omnibus ſequutus eſt Hus damnatur 28. a Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. in quo de Miniſtro Confirmationis, non de ipſa Confirmatione agebatur; unde nihil certi ſuper hoc de iiſdem affirmari poteſt. Maior difficultas eſt de Valdenſibus, qui exierunt circa annum 1160. num Confirmationis Sacramentum reiecerint, ſicuti de his referunt cum Rainero alii quoque Scriptores. Sed in confeſſione fidei quam Ulaiſlao Hungarorum Regi miſerunt iidem Confirmationis Sacramentum agnoſcunt. *Sacramenta* (inquiunt) *ſeptenario incluſa numero Eccleſiæ Chriſti utilia eſſe dicimus*: Et ſolum hi errarunt ſicuti Wiclefitæ, & Huſſitæ propugnantes ſimplicem Sacerdotem eſſe ordinarium huius Sacramenti Miniſtrum. De Luthero, & Calvino iam extra omne dubium certum eſt, quod non ſolum negarunt Sacramentum Confirmationis, ſed etiam impudentiſſime ſubſannarunt, & impie contempſerunt; cum Calvinus l. 6. Inſtitut. vocet Confirmationem *oleum Diaboli mendacio palliatum*, & plura evomat convicia contra S. Melchiadem Papam, quem Eterodoxi faciunt huius cæremoniæ inventorem, pro quorum erroris confutatione ſit.

Confirmationis Cœremonia eſt verum Sacramentum.

Confirmationis cœremoniam eſſe proprie dictum novæ legis Sacramentum eſt de fide, ut conſtat tum ex Scriptura, tum ex conſtanti Traditione, & uſu Eccleſiæ. Actor. 8. ad quem locum huius Sacramenti initium omnes referunt, habemus Petrum, & Ioannem manus impoſuiſſe Samaritanis, qui a Philippo Baptiſmum receperant, & hos accepiſſe Spiritum Sanctum; *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, & cap. 19. habetur pariter *cum impoſuiſſet illis manus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos.* Hæc autem Scripturæ loca maniſeſte deſignant & ſignum corporale, & effectus eius, ſpiritualem nempe infuſionem gratiæ in collatione Spiritus Sancti, ex quo intelligitur illud fuiſſe ſignum practicum ideſt cooperatorium gratiæ, & non tantum ad inſtar orationis, quæ fit ſuper hominem, quia Philippus Diaconus, qui baptizaverat gentes Samariæ illud exhibere non potuit, ſed eius adminiſtrandi gratia Ieroſolymis Apoſtolos evocari oportuit, cum alioquin nihil prohibebat Diaconum ſuper baptizatos orationem fundere, etiam adhibito ritu aliquo externo. Eſtius. Ecce igitur ſignum ſenſibile, nempe practicum, & perpetuum gratiæ ſanctificantis: unde nihil illi deeſt ad novæ legis Sacramentum; conſtat quippe rebus, & verbis, impoſitione videlicet manuum, & oratione. Miniſtri adſunt huius

Sacra-

Sacramenti nempe Apoſtoli, ac eorum ſucceſſores Epiſcopi.

Hiſce divinæ Scripturæ teſtimoniis accedit perpetua & univerſalis Eccleſiæ Traditio, uſus Scripturarum, & praxis quæ eſt optima interpres. Nam ex ſententia Sanctorum Patrum & continuato Eccleſiæ Scripturarum uſu, ſemper intelliguntur allata Scripturarum loca de Confirmationis Sacramento, & hanc tanquam verum Sacramentum ſemper ſuis fidelibus poſt Baptiſmum miniſtravit Eccleſia, ut ſpiritualem gratiæ fortitudinem contra fidei oppoſitiones a Spiritu Sancto in hoc Sacramento ſuſciperent. Conſtat igitur ad evidentiam, Eccleſiam perpetuo habuiſſe Confirmationem inter legis novæ Sacramenta, & exinde hanc includendo ſemper agnoviſſe ac tradidiſſe ſeptenarium Sacramentorum numerum.

Reſpondent Adverſarii allatos textus Scripturæ, & præcipue Actor. 8. loqui de dono miraculorum, non de graria ſanctificante, ut de illo dono prædixit Ioel Propheta interprete S. Petro Act. 2. quod collatum eſt Apoſtolis die Pentecoſtes, quod proinde aliis miniſtrabant.

Verum hæc explicatio eſt prorſus nova, & omnino aliena a mente omnium SS. Patrum, qui laudata loca; & præcipue notatum ab Adverſariis Act. 8. unanimes intellexerunt de Confirmationis Sacramento, ut ex ſequentibus aperte patebit.

Et cum de perpetua Eccleſiæ Traditione melius certiores fieri non valeamus quam a ſenſu Patrum primæ Eccleſiæ ætatis; S. Ireneus, qui eſt ex vetuſtioribus cum floruerit 2. Eccleſiæ ſæculo, & habuerit præceptorem S. Polycarpum S. Ioannis Evangeliſtæ verum auditorem & diſcipulum, l. 4. cap. 75. refert eos, quibus Apoſtoli manus imponebant ut cit. loc. præcipue Actor. 8. per huiuſmodi manuum impoſitionem accepiſſe Spiritum Sanctum, qui eſt vitæ Spiritualis alimentum. Unde non ſolum clare dignoſcitur, Confirmationem in uſu fuiſſe etiam primo ſæculo tanquam verum Sacramentum, ac proinde non eſſe *abortivam larvam Sacramenti*, ſicuti nugatur Calvinus; ſed etiam non deceptam fuiſſe Eccleſiam in uſu talis Cœremoniæ tanquam veri novæ legis Sacramenti, quia revera taliter erat edocta ex dicto teſtimonio Actor. 8. ex quo aperte colligitur, & ibi agi de hoc Confirmationis Sacramento, non de gratia miraculorum, quæ tempore S. Martyris ſtabilita iam Eccleſia fere defierat, & illam manuum impoſitionem eſſe ſignum permanens in Eccleſia ad Fidelium ſanctificationem.

S. Dioniſius Areopagita l. *Eccleſiaſt. Hierarch.* cap. 45. p. 3. meminit de hoc Sacramento, & gratiæ baptiſmalis perfectione, quæ in hoc tribuitur; *Sacræ* (ait) *regenerationis donum, & gratia Unigeniti ſacratiſſima conſumatione perficitur*. Tertullianus l. *de Reſurrect. Carnis* ita habet. *Caro ungitur, ut anima conſecretur, caro ſignatur, ut anima muniatur, caro manus impoſitione adumbratur*. Ponit autem ibi Confirmationem inter Baptiſmum, & Euchariſtiam. S. Cyprianus l. 1. epiſt. 1. & 12. impoſitionem manuum diſerte Sacramentum eſſe teſtatur; Euſebius quoque Pontifex, & Martyr epiſt. 3. ad Epiſcopos Tuſciæ & Campaniæ clarum teſtimonium huic Sacramento præbet, quem ſecutus eſt Melchiades Papa cum de maiori excellentia inter Baptiſmum, & Confirmationem conſuleretur. S. Ambroſius in opere de Sacramentis, & in l. de iis, qui Myſteriis initiantur diſſerens ex profeſſo de Sacramentis; Conſignationi ideſt Confirmationi proximum a Baptiſmo locum tribuit. Similia habet S. Hilarius in fine can. in Matth. D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, ac S. Auguſt. l. 2. contra litteras Petil. cap. 104. apertiſſime pro hoc Sacramento pronunciat: explicans enim illud Pſalm. 132. *Sicut unguentum in capite*, in hoc unguento Sacramentum Chriſmatis vult interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt ſicut ipſe Baptiſmus, ſed & in hominibus peſſimis. Idem l. 19. *contra Fauſt.* cap. 14. Signum Chriſti ideſt Sacramentum Confirmationis, Baptiſmo, & Euchariſtiæ connumerat, & alibi etiam de hoc Sacramento loquitur ut Tract. 3. & 118. in Ioannem, & expreſſius l. 15. *de Trinit.* cap. 26. item l. 3. *contra Donatiſt.* cap. 16. & ſerm. 19. de *Sanctis*. Alii quoque meminerunt huius Sacramenti, qui videri poſſunt in iis, qui ex profeſſo hoc tractant, ut Eſtius, Du-Hanuel, Ludovicus Habert, & Tournel.

Hanc porro veritatem de Sacramento Confirmationis, quam docet Scriptura, & perpetua Eccleſiæ, ac Patrum Traditio confirmarunt, & Eugenius IV. in ſuo Decreto, & Concil. Tridentinum, quod ſeſſ. 7. can. 1. de Confirmatione definivit de fide credendum illam cœremoniam eſſe verum, & proprie Sacramentum; ita enim habet in cit. can. *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otioſam cœremoniam eſſe, & non potius verum, & proprium Sacramentum, anathema ſit.*

§. III.

Digitized by Google

§. III.

De tempore, & modo, quo Chriſtus Dominus Sacramentum Confirmationis inſtituit.

Notatum iam fuit agendo de Sacramentis in genere, hoc quoque Confirmationis Sacramentum a Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum iuxta Tridentini definitionem, & quidem immediate ſicuti iam probavimus; ſed quando, vel quomodo, cum ſaltem clare non legatur in Scriptura, non conveniunt Theologi. Alii enim putant inſtitutum fuiſſe in ultima cœna; alii cum pueris Chriſtus Dominus manus impoſuit Matth. 19. Alii Ioann. 20. cum dixit Diſcipulis, *Accipite Spiritum Sanctum*; ſed hæc circumſtantia non videtur accomodata Confirmationi, cum tunc contulerit Chriſtus Diſcipulis Spiritum Sanctum ad remittenda peccata, ideſt ad primam gratiam conferendam, non ad ipſam augendam ſicuti fit in confirmatione. Alii volunt hoc inſtituiſſe Chriſtum per ſe, & immediate ante Paſſionem inchoate promittendo, & complete in die Pentecoſtes exhibendo iuxta illud Ioannis 16. *Si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero mittam eum ad vos*, & hæc eſt ſententia D. Thomæ p. 3. q. 72. art. 1. & attingit modum & tempus, & quod a Chriſto Domino inſtitutum fuerit inchoate ante eius Paſſionem per ſe immediate, & ut probabilius in ultima cœna ut colligitur tum ex Epiſt. Fabiani ad Epiſcopos Orientales cap. 1. ubi ita habet; *In illa die Dominus Ieſus poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes ſicut a SS. Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt nobiſque relinquerunt, Chriſma conficere docuit*; ideſt modum conferendi Sacramentum Chriſmatis, ſeu Confirmationis, tum ex Epiſt. 4. Clementis ubi de hoc Sacramento eiuſque effectu loquens, addit; *ut a B. Petro accepimus, & cæteri SS. Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt.*

Inſtitutum fuit a Chriſto Domino hoc Sacramentum; quia inſtitutio Sacramenti pertinet ad poteſtatem excellentiæ, quam ſolus Chriſtus habuit, ut iam antea fuit notatum. Inſtitutum fuit ab illo inchoate ante eius Paſſionem promittendo, & complete ſolummodo exhibendo die Pentecoſtes; ita ut nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis ante hunc diem in uſu poſitum fuerit; quia ut recte notat, & docet D. Thomas q. 72. art. 1. ad 1. in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quam dari non expectabat ante Chriſti reſurrectionem, & aſcenſionem, ut Ioann. 7. Nondum erat Spiritus Sanctus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus; ita Salmatic. cum aliis.

§. IV.

De materia remota Confirmationis.

Vidimus iam agendo de Baptiſmi Sacramento, & præcipue ubi de Sacramentis in genere, duplicem in omni Sacramento diſtinguendam eſſe materiam; unam remotam, quæ conſiſtit in certa, ac determinata re, quæ in Sacramenti uſu, ſeu confectione adhibetur, & eſt pars eſſentialis Sacramenti, ut aqua in Baptiſmo; alteram proximam, quæ conſiſtit in uſu ſive applicatione eiuſdem rei. Circa materiam remotam magna eſt controverſia non ſolum cum Novatoribus, qui iam cum negent Confirmationem eſſe verum Sacramentum, tum manus impoſitionem, tum ſacram unctionem quibus conſtat Confirmatio irrident, contemnunt, ac execrant; ſed etiam inter ipſos Ortodoxos DD. qui cæteroquin unanimes in acriter propulſandis erroribus, ac dicteriis Novatorum, valde inter ſe diſentiunt in aſſignanda eſſentiali, propria, & neceſſaria remota huius Sacramenti materia. Alii enim volunt Apoſtolos effectum huius Sacramenti contuliſſe ſine Sacramento, contendentes, ut Scotus, Apoſtolos per manuum impoſitionem ſolummodo Spiritum Sanctum, non vero Sacramentum Confirmationis contuliſſe. Alii ſolam manus impoſitionem agnoſcunt eſſe materiam eſſentialem, unctionem vero partem ſolummodo integrantem ut Eminentiſſimus Petrus Aureolus in 4. diſt. 7. q. 1. Gulielmus Pariſienſis, ut refert Syrmundus, Iacobus de Vitriaco. Alii e contra unctionem eſſentialem eſſe, manuum vero ſentiunt impoſitionem olim neceſſariam, nunc ſolum eſſe cæremoniam, ſubſtituta in eius locum unctione; alii vero tenent utramque eſſe partem eſſentialem, & neceſſariam, unctionem videlicet, & manuum impoſitionem; imo non deſunt qui opinantur, manuum impoſitionem eſſe ſpecialem actionem diſtinctam ab unctione tempore, & natura; & alii e contra cum unctione eam confundunt. Vide in re iſta hic Tourneleium a quo diſerte hoc exponitur.

Obſervandum hic occurrit, quod ex ſententia eorum, qui volunt unctionem eſſe partem eſſentialem Sacramenti Confirmationis, ſive partialem, & integrantem ut aliqui, ſive totalem ut alii, oritur difficultas a-

rium

num ſcilicet mixtio balſami, & olei ſit ex divino inſtituto, ac exinde ad ſubſtantiam pertinens Sacramenti. 2. an benedictio Epiſcopalis, quæ fit in Eccleſia cum magna ſolemnitate ſit pariter de neceſſitate Sacramenti.

Nos hac in re ut mentem noſtram aperiamus, dicimus quod materia eſſentialis adæquata, & totalis Sacramenti Confirmationis eſt impoſitio manuum, & unctio Chriſmatis.

Patet hæc veritas tum ex Scriptura, tum ex conſtanti totius Eccleſiæ traditione, quæ utrique huic ſenſibili externo ſigno tribuunt virtutem conferendi baptizatis Spiritum Sanctum, ſeu gratiam confortantem, ac roborantem ad fidem Chriſti intrepide, conſtanterque profitendam, qui effectus non tribuitur niſi rei quatenus eſt vel forma, aut materia totalis & adæquata Sacramenti idest illi eſſentialis. Unde cum hoc prædicetur a Scriptura, & Traditione æque de manuum impoſitione, & unctione in Sacramento Confirmationis, utraque, impoſitio nempe manuum, & unctio Chriſmatis in hoc Sacramento eſt eſſentialis adæquata, & totalis illius materia; quod ut clarius aperiatur ſingillatim, ſeiunctimque utraque pars eſt demonſtranda.

§. V.

De eſſentiali ratione manus impoſitionis tamquam partialis materiæ remotæ in Confirmationis Sacramento.

Manuum impoſitionem eſſe eſſentialem materiam Sacramenti Confirmationis conſtat ex Scripturis, perpetua Traditione, & uſu Eccleſiæ, quæ hanc ſemper uſurpavit in huius Sacramenti adminiſtratione, & in hoc dum verbo, ſeu formæ coniungitur, proprium Sacramenti Confirmationis effectum, nempe gratiæ productionem agnovit. Ex Scripturis utique conſtat hæc veritas cum habeatur Actor. 8. *Tunc imponebant manus* (ideſt Apoſtoli) *ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*: Actor. pariter 19. *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus venit Spiritus Sanctus ſuper eos*. Hæc autem loca, aliaque huiuſcemodi omnia interpretati ſunt SS. Patres de Sacramento Confirmationis: atque idem prorſus factum fuiſſe ab Apoſtolis quod nunc Præpoſiti, ſeu Epiſcopi facere ſolent, unanimi pene conſenſu docuere, ut habetur ex S. Cypriano Epiſt. ad Iubaianum: *Quod nunc quoque* (ait) *apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur per Præpoſitos Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, ac ſignaculo Dominico conſummentur*. Ubi oſtendit, ac aperte declarat tunc fieri, quod olim ab Apoſtolis non ratione ſolius effectus, verum etiam Sacramenti, ſeu ſenſibilis ſigni, quo Spiritus Sanctus iam antea baptizatis infundebatur. Nec minus apertum eſt Chriſoſtomi teſtimonium, quod habet dum ſcribens in 8. Actor. Apoſtolorum ait; *Hoc ipſum nunc facere Epiſcopos, quod Apoſtoli manuum impoſitione, & oratione ſuper Neophytos faciebant*. Et eodem tenore de hac manuum impoſitione loquuntur omnes SS. Patres cuiuſcumque Sæculi, cum Latini, tum Græci quorum teſtimonia congerunt ad hoc elucidandum Theologi Dogmatici ut Tourneleius, Habert, aliive. Nam eodem modo loquitur Tertullian. l. *de Baptiſ.* cap. 7. S. P. Hieronymus *contra Luciferianos*, S. Auguſt. l. 15. *de Trinit.* cap. 26. & alibi.

Opponi hic ſolet Decretum Eugenii IV. pro Armenis, & Innocent. III. cap. *cum veniſſet*, ubi docent loco manus impoſitionis per quam dabant Apoſtoli Spiritum Sanctum nunc per Chriſmationem dari in Eccleſia Confirmationem; unde inferunt nunc non eſſe igitur manuum impoſitionem de eſſentia Sacramenti Confirmationis.

Reſp. neg. conſeq. Nam 1. nihil ſuper hanc rem definierunt cit. Pontifices, & ex occaſione tantummodo, ac veluti in tranſitu ea leviter attigerunt. Neque enim ut optime notat Bellarminus; *Omnia quæ habentur in Decretis, aut Conciliis ad fidem pertinent, ſed ſolum ea, quæ definiuntur*. Hoc autem de quo agimus non definitur, ſed tantum obiter dicitur ad rem explicandam.

Deinde reſponderi poteſt non aliud ibi docere Pontifices quam id, quod ab omnibus conceditur, ſcilicet quod illud plane quod olim dicebatur manus impoſitio, nunc appellatur Confirmatio, ita ut non diſtinguant eſſentialiter ritum a ritu, ſed ſolum modum loquendi a modo loquendi; & hunc ſenſum indicat Innoc. III. cit. cap. *Cum veniſſet* de Sacra Unctione, ubi reſpondet per frontis chriſmationem deſignari manuum impoſitionem, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.

Neque illud verum eſt quod aliqui dicunt, poſtremis his ſæculis manuum impoſitionem exoleviſſe, cum Scriptores omnes, & Pontificalia illius meminerint. Nam ut alios omittam Rupertus l. 3. *de Operibus Spiritus Sancti* cap. 11. ait; *Per manus impoſitionem, ſacrique Chriſmatis unctionem, ſecundam*

dam qui renatus eſt accipit gratiam: & Concilia Moguntinum anno 1579. cap. 17. Remenſe anno 1583. tit. *de Confirmat.* Narbon. 1609. apertiſſime declarant manuum impoſitionem poſtremis his ſæculis retentam eſſe. Et ex hoc ſequitur manus impoſitionem vel ſolam, vel præcipuam ab Apoſtolorum temporibus ſemper per conſequentes ætates in utraque Eccleſia habitam fuiſſe huius Sacramenti materiam, neque adeo hunc ritum antiquatum fuiſſe, aut quod intimum erat huic Sacramento, & eſſentiale in meram converſum eſſe cæremoniam.

Quando in Confirmat. ne fat manu impoſitio.

Manus porro impoſitio tum fieri cenſenda eſt, cum Epiſcopus iuxta Pontificalia, extenſa, aut levata manu orationem fundit; non autem cum Epiſcopus frontem baptizati Chriſmate linit. Et rem ita eſſe colligitur ex l. Sacram. Gregorii Magni quem Hugo Menardus mſſ. 800. & amplius annorum publici iuris fecit: ſiquidem in Ordine Sabbati Sancti poſt Baptiſmum ritum hunc habet: *Pontifex vero veniens ad infantes tenente Archidiacono Chriſma, involutis ſcapulis, & brachiis ex panno lineo, levata manu ſua ſuper caput omnium dicit*: *Omnipotens*. Et fruſtra negant Blondellus, & Dallæus idem eſſe manum extendere, aut levare, & eam imponere; nam manus impoſitio hinc dicta eſt, quod manus extendatur. Quo ritu, qui utitur ſignificat ſe bene precari, & benedicere ei quem manu deſignat. Hinc ait S. Auguſt. *Quid enim eſt aliud manus impoſitio, quam oratio ſuper hominem*.

Inquiunt tamen manuum impoſitionem ritum eſſe pluribus Sacramentis communem, cum & ante in Baptiſmate adhibeatur & in S. Ordinatione, & in Sacramento Pœnitentiæ. Quin & Chriſto Domino iubente ægris manus imponebantur: unde non eſt ritus ſpecialis Sacramenti Confirmationis; idcirco nec eius materia, quæ a materia aliorum Sacramentorum differre debet, ut patet ex ipſa Sacramentorum natura.

Reſp. nihil impedire quominus manus impoſitio ſit huius Sacramenti materia, tametſi hic ritus multis ſit communis. Nam hanc formam ipſa, effectus, & Miniſtri ad certam ſpeciem determinant.

§. VI.

De eſſentiali ratione Chriſmatis tamquam partialis materiæ remotæ Sacramenti Confirmationis.

Quamvis nihil adhuc Eccleſia circa hoc definierit, ut communiter tenent Theologi contra Suarezium, qui diſp. 33. ſect. 1. exiſtimat credendum de fide chriſmationem pertinere ad Confirmationis eſſentiam; nihilominus ex conſtanti Traditione univerſalis Eccleſiæ tum Orientalis tum Occidentalis, unctio, quæcumque illa ſit, ſive ex ſimplici oleo, ſive ex oleo & balſamo, habenda eſt ex ipſius Chriſti inſtitutione pro partiali materia Sacramenti Confirmationis. Idcirco Chriſma, ſive oleum ſimplex, ſive mixtum cum balſamo eſt partialis materia remota huius Sacramenti.

Et hæc perpetua conſtansque Eccleſiæ Traditio de unctione uſurpata a primis Eccleſiæ temporibus tamquam partiali materia in huius Sacramenti adminiſtratione conſtat ex vetuſtiſſimis auctoribus tum Græcis, tum Latinis, ab ipſis Apoſtolis ad nos uſque derivata, ut docet ſupracitatus Fabianus Papa in ſua Epiſtola iam antea allata ad Epiſcopos Orientales, cuius verba hic me iterum afferre non piget: *Ipſa lavatio pedum* (inquit) *noſtrum ſignificat Baptiſma, quod ſancti Chriſmatis unctione perficitur, & confirmatur*. Et S. quoque Clemens epiſt. 4. ita de hoc Sacramento eiuſque effectu loquitur: *Ut a B. Petro accepimus, & cæteri S. Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt*. Tertull. l. *de Baptiſm.* cap. 7. ait. *Exinde egreſſi de lavacro perungimus benedicta unctione.... ſic, & in nobis carnaliter currit unctio, & ſpiritualiter proficit*: & *de reſurrect. carnis* cap. 8. *Caro ungitur, & anima conſecratur*. Et ſic poſteriorum temporum PP. Cyprianus, Pacianus, Ambroſius, Auguſt. aliive qui in re hac ſcripſere. S. Auguſtinus inter alios frequenter meminit de tali Confirmationis materia; interdum oleum, interdum unguentum, interdum Chriſma illam vocitans: *Chriſtum*, ait l. 15. *de Trinit.* cap. 26. *unxit Deus Spiritu Sancto, non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ quod viſibili ſignificatur unguento quo baptizatos unxit Eccleſia*, & ita aliis in locis. Eſtius.

Porro ex tot teſtimoniis Patrum ſic cum S. Auguſt. l. 4. *de Baptiſ.* cap. 24. argumentum conficere poſſumus: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*; unde ſi ex laudatis teſtimoniis Eccleſia ſemper & ubique Chriſmationem adhibuit tamquam ſignum, quo datur Spiritus Sanctus baptizato unde perficitur & particeps regni cæleſtis efficitur; & patet eam in nullo Concilio fuiſſe inſtitutam, quia erat in uſu priuſquam ullum Concilium in Eccleſia celebratum legatur

gatur, ut ex laudato Tertulliano colligitur; revera Chriſmatio tradita eſt ab Apoſtolis, tamquam a Chriſto inſtituta. Igitur Chriſmatio eſt pars Confirmationis non tantum integrans, ſed etiam eſſentialis; cum in allatis teſtimoniis illi primarius effectus tribuatur, ac proinde ſine Chriſmate non fit Sacramentum, nec unquam ſine ea collatum eſt, niſi forte in aliqua orientali ſchiſmatica Eccleſia. Igitur Chriſma eſt remota partialis materia Confirmationis.

Teſtimoniis PP. addunt Theologi ſuas valde graves convenientias, quibus ſupra omnem aliam materiam aptatur Chriſma ad miros huius Sacramenti exponendos effectus: Oleum enim, quod pingue eſt, & natura ſua fluens declarat plenitudinem gratiæ quæ per Spiritum Sanctum a Chriſto capite in alios redundat, atque effunditur; Balſamum vero ob odoris fragrantiam ſignificat fideles virtute huius Sacramenti eam ſuavitatem virtutis effundere, quæ in aliorum profectum propter exemplum eis exhibitum redundat, atque diffunditur, quo efficaciter ad virtutum exercitia impelluntur ut ait Apoſt. 2. Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus*: & quia balſamum eam vim habet ut non ſinat putreſcere quæ eo circumliniuntur; fidelium animos cæleſti gratia, quæ in Confirmatione tribuitur, a ſcelerum contagione defendi poſſe declarat.

Dices. Apoſtoli per ſolam manuum impoſitionem Confirmaſſe dicuntur Actor. 8. & 19. & ita Concil. Moguntinum ut habet in cap. 17. intellexit illa Scripturæ loca, nec umquam memorat de tali unctione ab illis adhibita; igitur unctio non eſt pars eſſentialis huius Sacramenti.

Reſp. 1. ſi verum hoc eſſet, factum fuiſſet divina diſpenſatione, ut docet D. Thomas q. 72. art. 2. ad 1. cum tamen hoc aperte non evincatur. Reſp. 2. neg. conſeq. & ad antecedens non eſt una Theologorum reſponſio.

Nam qui ſentiunt quod Chriſtus quorumdam Sacramentorum materias & formas non ſtatuerit niſi in genere, & reliquerit Eccleſiæ eas in ſpecie determinare, facile ab hac difficultate ſe extricant dicendo, Apoſtolos contuliſſe Confirmationem ſola manuum impoſitione, ſed poſtmodum ſubſtitutam fuiſſe manuum impoſitioni Chriſmationem. Verum cum alii ex ipſius Scripturæ teſtimoniis (licet non ita claris, quæ iam retulimus in tali propoſito dum de Sacramentis in genere ageremus) coniici arbitrentur Chriſtum Dominum non tantum in genere, ſed etiam in ſpecie materiam formamque omnium Sacramentorum inſtituiſſe; hinc reſpondent ad antecedens cum D. Thom. q. 72. art. 2. ad 1. Apoſtolos hoc Sacramentum ſine unctione non contuliſſe, eo vel maxime quod Fabianus Papa docet recepiſſe Epiſcopos Chriſmationem ab Apoſtolis, ac ideo a Chriſto Domino iuxta Clementis Papæ ſupra allatam doctrinam in ſua epiſt. 4. ubi ait; Apoſtolos non tradidiſſe niſi ea, quæ iuſſi erant a Chriſto Domino Eccleſiæ tradere; *Ut a B. Petro* (ait Pontifex) *accepimus, & a cæteris Apoſtolis præcipiente Domino*: vel ad ſummum dicendum eſt cum D. Thoma cit. loco Apoſtolos ad ſolam impoſitionem manuum, & eorum prædicationem contuliſſe Spiritus Sancti plenitudinem ſuper fideles ſub viſibilibus ſignis, & tunc non erat neceſſaria materia ſacramentalis ubi miraculoſa ſigna exhibebantur divinitus; utebantur tamen Apoſtoli communiter Chriſmate in exhibitione Sacramenti, quando huiuſmodi viſibilia ſigna non exhibebantur. Non enim eſt veriſimile, addit hic Eſtius, Apoſtolos in Sacramentorum ritibus præſertim eſſentialibus id tradidiſſe poſteris, quod ipſimet uſu, & praxi ſua non ante confirmaſſent. Unde ſubiungit, probabilius dici poſſe, Apoſtolos in hoc Sacramento miniſtrando neque ſemper, ut in ipſis ſtatim exordiis ſuæ prædicationis, neque communiter uſos fuiſſe Chriſmate ad confirmandam tantam fidelium multitudinem; Cæterum quin poſtea rebus Eccleſiæ conſtitutis, atque ordinatis Chriſmatis unctionem adhibuerint, nihil obſtat, imo valde veriſſimile eſt, & quaſi certum. Eſtius.

Nec obſtat quod Scriptura nunquam meminerit unctionis, ſed ſolius manus impoſitionis; nam ex S. Auguſt. l. *de Fide, & Operibus* cap. 9. Scriptura multa tacet brevitatis gratia, quæ ſerie Traditionis conſtat ab Apoſtolis fuiſſe uſurpata: & hoc demonſtrat exemplo Eunuchi baptizati a Philippo, quem S. Lucas narrat Act. 8. baptizatum fuiſſe cum reſpondiſſet *credo, filium Dei eſſe Ieſum*, cæteris prætermiſſis, quæ a baptizando ſunt credenda; *intelligi voluit* (inquit S. D.) *impleta omnia quæ licet taceantur in Scripturis brevitatis gratia, tamen ſerie Traditionis ſcimus implenda*. Habert.

Digitized by Google

§. VII.

De neceſſitate mixtionis Olei, & Balſami, ac utriuſque Epiſcopalis benedictionis.

Nota, quod hoc vocabulum *Chriſma* licet proprie loquendo, ideſt iuxta vim nominis quod derivat a verbo *ungo*, nihil plus importet quam unguentum; unde Innoc. I. in epiſt. *ad Decentium* materiam unctionis infirmorum, quæ eſt ſimplex oleum ſine ulla ulterius rei admixtione, nempe ſine balſamo, quod miſcetur in oleo Confirmationis, Chriſma appellat: in uſu tamen Eccleſiaſtico Chriſma ſignificat ſpeciem quamdam unguenti ex oleo, & quibuſdam aliis odoriferis compoſitam, ideſt ex balſamo, & hoc eſt oleum, quod inſervit ad Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem. Imo apud Græcos mos eſt non ſolum balſamum cum tali oleo admiſcere; ſed plura aromatum, ſeu herbarum odoriferarum genera cum non exigua vini quantitate ſolent admiſceri, ut habetur ex Haberto Vebrenſi Epiſcopo, & Goario in ſuis notis ad hunc Euchologii locum.

Ex hac igitur mixtione balſami cum oleo Confirmationis, cum nihil circa hoc Eccleſia definierit, orta eſt non levis controverſia inter Theologos, qui ſentiunt Chriſma eſſe partem eſſentialem Confirmationis, circa talem balſami mixtionem; videlicet num neceſſarium ſit ad ſubſtantiam huius Sacramenti balſamum oleo admiſceri, an eum ſimplici oleo ſine balſamo perfici poſſit. Qui igitur conveniunt in ſententia, quam hic ſecuti ſumus, unctionem eſſe ex divina Chriſti inſtitutione, & partem eſſentialem Sacramenti Confirmationis, alii tenent cum S. Thoma q. 72. art. 2. ad 3. mixtionem balſami neceſſariam eſſe neceſſitate Sacramenti, ut Iſembertus in 3. part. D. Thomæ ad q. 72. cum non paucis; alii vero ſolum neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti, & uſu Eccleſiæ; ac proinde etiam ſine tali balſami admixtione validam eſſe cum ſimplici oleo Confirmationem. Ita ſuſtinet Caietanus in 3. part. S. Thomæ cit. q. 72. art. 2. Scotus, Eſtius; & hæc opinio probabilior, ac verior videtur, quia magis conſona Patribus & Conciliis a quibus perſæpe olei tantummodo fit mentio. Imo & Scriptores vetuſtiſſimi nunquam balſami mentionem fecere, & Chriſmatis nomine ſæpe oleum ſimplex, non mixturam aliquam deſignant, ut liquet ex Optato l. 7. Adde etiam quod balſamum variis modis poteſt adulterari, nec conſtare nobis poteſt, num illud ſit genuinum; & tamen materia Sacramenti omnibus nota, & aperta eſſe debet.

Nec officit quod obiicitur ex Innocentio III. c. *Paſtoralis* de Sacramentis non iterandis, ubi interrogationi de validitate Confirmationis ſimplici factæ ex oleo ſine balſamo, reſpondet; ***Nihil iterandum eſt, ſed ſupplendum id, quod incaute prætermiſſum eſt:*** etenim hoc potius nobis favet; quia ſi balſamum eſſet de eſſentia, & neceſſitate Sacramenti, Confirmatio ex ſimplici oleo collata nulla fuiſſet, ac ideo reiteranda, quod non intendit Pontifex, ſed ſolum ſupplendum ſi aliquis defectus non ſubſtantialis Sacramenti commiſſus ſit; non poteſt enim ſuppleri id quod eſt de ſubſtantia, ſeu eſſentia Sacramenti, ſed Sacramentum quod iam fuerat nullum, iterum integre adminiſtrandum eſt.

Nec magis urget illud Eugenii IV. in Armenorum inſtructione, ubi ait, materiam Confirmationis eſſe Chriſma ex oleo, & balſamo confectum; nam dici poteſt vel hic loqui Eugenium de materia integrali, vel proprius exponere neceſſitatem balſami ex præcepto, & uſu iam inveterato Eccleſiæ.

Chriſma porro benedicendum eſſe & conſecrandum ab Epiſcopo conſtans eſt, ac perpetua totius Eccleſiæ Traditio, quæ iam ex Teſtimoniis ſupra laudatis aperte conſtat. *Perungimus* (ait Tertull. l. *de Baptiſ.*) *benedicta unctione*. Sic S. Cyprianus epiſt. 70. Optatus l. 7. Innocentius I. ad Decentium, Concil. Carthagin. II. can. 3. ut alia omittam. Ex traditione totius Eccleſiæ Chriſma benedicendum.

Ex Orientalibus vero circa ſuæ Eccleſiæ uſum Cyrillus *in Catech. Miſtag.* 3. id manifeſte tradit. Baſilius l. 1. *de Spiritu Sancto* hanc inter alias traditiones Apoſtolicas commemorat. *Conſecramus* (inquit) *aquam baptiſmatis, & oleum unctionis.*

Dixi *benedictum*, *& conſecratum ab Epiſcopo*, ſaltem miniſtro ordinario, & in hoc omnes conveniunt Theologi iuxta Florentinum Concil. a quo habetur materiam Confirmationis eſſe chriſma confectum ex oleo, & balſamo, & *ab Epiſcopo benedicto*. Dixi *ſaltem ordinario*; quia probabile eſt & Pontificis indulto poſſe etiam ſimplicem Presbiterum, ut miniſtrum extraordinarium illud benedicere. Et magnum pondus offert huic ſententiæ Bulla Eugenii IV. edita anno 1444. quæ incipit *Sacræ Religionis* relata a Waddingo in Annalibus Minorum tom. 5. ad annum 1444. n. 45. in qua ad ſimplicem Sacerdotem delegata fuit talis benedictio. Unde

de qui volunt ſimplicem Sacerdotem in nullo caſu poſſe Chriſma conficere, aut debent impugnare talem Bullam ut ſpuriam, aut concludere Pontificem limites ſuæ poteſtatis exceſſiſſe.

Chriſma quando innovandum? Hoc autem Chriſma innovandum eſt quotannis feria V. in Cœna Domini, ita ut ſi quis (excepto articulo mortis) novo deficiente veteri uteretur, peccaret mortaliter. Cap. *ſi quis de alio diſt.* 4. *de Conſecrat.* Prioribus ſæculis licitum fuit Epiſcopis quolibet die Chriſma conficere, ut conſtat ex Toletano Concil. I. can. 20. Tournel.

In Conſecratione Chriſmatis varii adhibentur ritus. 1. enim funduntur preces iuxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei ſanctificatur per verbum Dei*. 2. fit ſignum crucis ſuper oleum, & balſamum; nam ſine tali ſigno nihil poteſt conſecrari, ut docet Chryſoſtom. homil. 4. in Matth. & S. Auguſt. ſerm. 181. *de Tempore*, & tract. 118. in Ioannem. 3. Epiſcopus halit aliquoties ſuper ampullam Chriſmatis, quam cœremoniam immerito calumniantur Novatores ut ſuperſtitioſam, cum hic ritus ſanctus ſit, & antiquus apud S. Gregorium in Sacramentario, & in Ordine Romano, & ſignificat, ait Amalarius l. 1. cap. 12. *ipſum Spiritum Sanctum, qui in Confirmatione confertur*. 4. Chriſma confectum ſalutatur his verbis ab Epiſcopo, & Præsbiteris; *Ave ſanctum Chriſma*. Antiqua eſt pariter hæc ſalutatio, ut meminit Amalarius, & Ordo Romanus. Neque improbare poſſunt Novatores hanc ſalutationem tamquam idololatricam; ſiquidem non eſt abſoluta, neque refertur ad ipſum Chriſma phyſice ſpectatum, ſed ad Chriſtum, cuius eſt Symbolum, ad quem primario, & directe tendit illud obſequium. Non enim inuſitatum eſt apud veteres in lætitiæ ſignum, & gratulationis res ſenſu deſtitutas ſalutare, ut factum fuit a S. Andrea dum videns crucem eam ſalutavit; *Salve Crux*, & ſic alii erga res huiuſmodi geſſere. 5. Presbiteri Parochiarum a proprio Epiſcopo, non a viciniore ſacrum Chriſma petere tenentur, ut colligitur ex Concil. Liptinenſi. Vetus autem Chriſma quod ſupereſt comburendum eſt iuxta Eccleſiæ uſum, & praxim. Cautum tamen ſemper fuit non levi rigore, ne quid Epiſcopi exigant, aut accipiant a Præsbiteris pro emendo balſamo ad Chriſma conficiendum, ut habetur in Conciliis Cabilonenſi III. can. 16. Aquigranenſi II. can. 5 Meldenſi, Barcinonenſi, Toletano II. can. 8.

Num vero illa benedictio ſit de neceſſitate Sacramenti, vel præcepti, non divini, ſed eccleſiaſtici, ambigitur. Et cum colligi nequeat ex Scripturis, vel ex Conciliis, aut ex Traditione talem ritum eſſe ex divino præcepto; proinde non ſine fundamento prudenter inferri poteſt, non ſolùm neceſſarium non eſſe hunc ritum de eſſentia Sacramenti, ſed nequidem eſſe præcepti divini, ſed mere Eccleſiaſtici. Cæteroquin talis ritus eſt perantiquus, ut conſtat ex citatis teſtimoniis Sanctorum Patrum, inter quos S. Baſilius l. *de Spirit. Sanct.* confert benedictionem Chriſmatis cum benedictione fontis baptiſmalis; *benedicimus*, inquit, *Baptiſmatis aquam, & unctionis oleum*. Unde ſicuti benedictio aquæ baptiſmalis licet videatur Traditionis Apoſtolicæ non pertinet tamen ad Baptiſmi ſubſtantiam, ſed eſt dumtaxat præcepti Eccleſiaſtici, ita & benedictio Chriſmatis. Nec ulla diſparitas afferri poteſt ex Scriptura, aut Traditione. Du-Hamel.

Quamlibet tamen ſententiam quiſque amplectatur, non poteſt ea eſſe indubitata in tam gravi, graviumque Theologorum diſcordia. Unde in praxi integre præſcripſum ab Eccleſia ritum tenendum eſſe dicimus, ac obſervandum; adeo ut quod ex inadvertentia prætermiſſum fuerit caute ſuppleatur, tametſi ſecundum probabilem opinionem minus neceſſarium iudicetur: v. g. ſi quis chriſmatus non fuerit Epiſcopi manibus ſubſtratus, ſubſternatur invocato ſuper eum Spiritu Sancto, ſi incaute oleum non benedictum, vel oleum Catechumenorum, aut infirmorum pro Chriſmate adhibitum fuerit, applicetur Chriſma iuxta cit. Decret. Innocent. III. cap. *Paſtoralis* tit. de non iterandis Sacramentis. Ludovicus Habert.

§. VIII.

De Materia proxima Sacramenti Confirmationis.

Cum Materia proxima Sacramentorum ſit uſus materiæ qua cum forma fit Sacramentum; hinc quia manus Epiſcopi cum Chriſmate tamquam materiæ partiales, & inadæquatæ Confirmationis unam totalem & adæquatam conſtituunt huius Sacramenti materiam, fit ut non ſola impoſitio, ſeu extenſio manuum ſuper baptizatum, ſed applicatio etiam ipſius Chriſmatis, ideſt unctio contra Syrmondum, & Sambovium ſit materia proxima huius Sacramenti. Et hoc patet ex iiſdem momentis, quibus antea probavimus, Chriſma eſſe partialem materiam re-

remotam Confirmationis; & eo vel maxime quod allati PP. loquuntur de Chriſmatione, quod vocabulum remotam ſimul, & proximam materiam continet, & explicat; *Oportet* (inquit Concil. Laodicenum can. 48) *qui illuminantur, poſt Baptiſmum inungi*. Unde cum ibi ſatis, quatenus permittere potuit brevitas rem hanc conati ſimus demonſtrare; ſupervacaneum eſt ulterius hic progredi.

§. IX.

De Forma Sacramenti Confirmationis.

Non ſecus ac in omnibus aliis Sacramentis forma quoque Confirmationis certe non in alio conſiſtere poteſt, quam in verbis, quæ in collatione huius Sacramenti, ideſt dum materia applicatur initiando, proferuntur ab ipſius Miniſtro, qui eſt Epiſcopus; & hoc apud omnes compertum eſt. Verum cum in hoc Sacramento conferendo duo occurrant, ut notavimus agendo de illius materia, & manuum ſcilicet impoſitio, quam oratio præcedit, ut in Pontificali Romano, & Chriſmatis unctio cum quorumdam verborum prolatione actionem chriſmandi ſignificantium, nempe; *Signo te ſigno Crucis, confirmo te Chriſmate ſalutis* &c. ſicuti diſcrepant Theologi catholici in ſtatuendo quænam ex duabus actionibus ſit Confirmationis materia, num manuum impoſitio, num Chriſmatis unctio: ſic diſconveniunt circa eſſentialem huius Sacramenti formam, videlicet utrum ponenda ſit in oratione, vel in verbis quæ in ungendo proferuntur. Qui putant Chriſtum Dominum in genere tantum, non in ſpecie materiam formamque aliquorum Sacramentorum inſtituiſſe inter quæ recenſent Confirmationem, relinquendo libertati Eccleſiæ, quam vellet pro temporum opportunitate materiam formamque eligere; ſicuti loco manuum impoſitionis quam ſolam pro eſſentiali materia adhibitam agnoſcunt uſque ad 8. ſæculum, & poſt ſæculum 8. ſubſtitutam volunt nunc Chriſmatis unctionem, ita loco orationis nunc habent pro forma citata verba in actu unctionis ab Epiſcopo prolata. Alii ſunt qui aſſignant pro ſola materia Confirmationis unctionem, ut S. Thom. 3. part. q. 72. art. 3. Eſtius in 4. diſt. 7. §. 10. quam tamen inſtitutionem ab Apoſtolis derivatam accipiunt, non ab Eccleſia ex Chriſti diſpoſitione poſt multum temporis inſtitutam, ut adſtruitur in ſuperiori ſententia; & hi confundunt inunctionem cum manus impoſitione, ac agnoſcunt pro forma eſſentiali adæquata verba; *Signo te ſigno crucis, confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris &c.* vel iſta apud Græcos; *Signaculum doni Spiritus Sancti*. Et ex his Theologi nonnulli ſunt, qui poſt Bellarminum aiunt in citatis verbis tacitam includi orationem, quamquam verba; *Signo te, confirmo te* ſint abſoluta, & ſic conciliant Scripturam & veteres, qui formam Sacramenti Confirmationis in oratione, qua invocatur Spiritus Sanctus collocare videntur, ut inter alios Petrus Aurelius in Orthodoxo adverſus Sirmondi Antirrheticum. Vertitur tamen inter hos controverſia num invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, ſcilicet verba *in nomine Patris* &c. in hac forma adducta pertineant ad ſubſtantiam Sacramenti, ut vult Soto in 4. diſt. 7. art. 4. quam opinionem tutiorem quidem, licet probabilem oppoſitam, iudicat Eſtius. Negant vero alii Trinitatis invocationem pertinere ad ſubſtantiam Confirmationis. Putant alii exprimendam eſſe perſonam Confirmantis, & confirmati, & ſuſpectam habent formam, ſi talis expreſſio deficiat. Ita Iſambertus ad 3. p. q. 72. diſt. 4. art. 3. Tournel. 251. Qui vero tenent pro materia eſſentiali Confirmationis ſolam manuum impoſitionem, & unctionem materiam ſolum integralem, habent pro forma eſſentiali Orationem præcedentem manuum impoſitionem ad invocandum Spiritum Sanctum; verba vero quæ dicit Pontifex dum initiandi frontem inungit, ut pertinentia ad accidentalem ſolummodo Sacramenti integritatem, & ad maiorem ipſius effectus ſignificationem, ut Sanbovius, Morinus, aliive. Qui vero ſtatuunt, manuum impoſitionem, & Chriſmatis unctionem ambas eſſe materiam partialem, & inadæquatam, ac proinde ex utraque totalem, adæquatamque conſtitui; Orationem quoque ad manuum impoſitionem, & verba *Signo te* &c. ad chriſmationem ut partiales formas conſiderant, ex quibus reſultet una totalis, & adæquata; quam ſententiam non ſequimur, cum ſuam relativam de dicta duplici partiali materia ſequuti ſimus. Unde ſit.

Formam totalem, & adæquatam Sacramenti Confirmationis tam apud Latinos, quam apud Græcos conſtituunt Oratio, quæ unctionem præcedit, & verba quæ illam comitantur. Et prima pars, nempe quoad orationem patet ad evidentiam 1. ex Scriptura, & uſu ipſo Apoſtolorum, Actor. 8. *Oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum . . . . Tunc imponebant manus ſuper illos*, & *accipiebant Spiritum Sanctum*;

ecco

ecce quomodo cum una partiali materia *impoſitionis manuum* forma quoque partialis, quæ huic materiæ Confirmationis reſpondet exponatur, ideſt *Oratio*. Unde colligitur quod forma Confirmationis ex hac parte erat deprecatoria. 2. ex uſu, ac conſtanti, & perpetua Eccleſiæ praxi, ut colligitur ex teſtimonio Patrum Tertull. l: *de Baptiſm.* cap. 8. ita habet; *Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum Sanctum*. Eadem habent S. Cyprianus epiſt. *ad Iubaian.* S. Ambroſ. l. 3. *de Sacram.* cap. 6. D. Hieronymus Dial. *contra Luciferian.* cap. 4. Et S. Auguſt. l. 15. *de Trinit.* cap. 26. de Divina collatione Spiritus Sancti fidelibus facta per Diſcipulos ait: *Orabant quippe ut veniret in eos quibus manus imponebant: non ipſi* (ideſt Diſcipuli) *eum dabant . . . . nos accipere quidem hoc donum poſſumus pro modulo noſtro, effundere autem ſuper alios non utique poſſumus; ſed ut hoc fiat Deum invocamus*. Et quod hæc oratio ſemper uſurpata fuerit in Confirmatione comprobant manifeſtiſſime omnes fere Rituales, Pontificales, Sacramentarii, ut notat Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii, & P. Martene l. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus pag. 249. & ſeq.

Quoad ſecundam vero partem propoſitionis quæ ſpectat formam, quæ reſpondet unctioni Chriſmatis, quæ apud Latinos eſt iam antea notata; *Signo te ſigno Crucis, confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris* &c. & apud Græcos *Signaculum doni Spiritus Sancti*, comprobatur quamplurimis antiquitatis monumentis Ordinis Romani, & Sacramentariorum quamplurium Eccleſiarum; quorum meminit Morinus l. 8. *de Pænit.* cap. 16. n. 5. & Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii P. Martene tom. 1. *de antiq. Eccleſ. ritib.* l. 1 pag. 243. & 249. & ſeq. In Ordine enim Romano ita præſcribitur. *Pontifex poſt Orationem ait, Confirmo te in nomine &c. & reſpondetur Amen*. Ita in vetuſtiſſimo Sacramentario Toloſano eiuſdem ſenſus exhibetur formula, & Pontificale Turonenſe habet penitus eamdem quæ eſt in Ordine Romano; & ſic habetur in quamplurimis aliis; & licet in aliquibus diverſis verbis tales Formulæ exprimantur, prorſus tamen ſimilea ſunt quoad ſenſum, ac proinde omnes conſonæ verbis Apoſtol. 2. Corinth. 1 ubi ſic habetur: *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Nova igitur non eſt, & captioſe ficta præſens Confirmationis allata forma *Signo te ſigno* &c. qua nunc utitur Eccleſia Latina, dum hanc firmam reddunt tot vetuſtiſſima documenta, quæ videri poſſunt in cit. Morino, & Martene.

Nec minora ſunt teſtimonia quæ comprobant Græcorum Confirmationis formulam *Signaculum donationis, vel doni Spiritus Sancti* ideſt nec hanc quidem noviter eſſe excogitatam, ſed antiquitus etiam adhibitam. Hæc enim habetur in Concil. Conſtantinopolitano Œcumenico can. 7. in quo habetur; *Eos ſignantes dicimus ſignaculum doni Spiritus Sancti* ſupple iuxta proprietatem Græci ſermonis *ecce* vel *tibi datur* & invenitur in omnibus Euchologiis, ſeu Ritualibus Græcorum.

Dices 1. forma Confirmationis eſt deprecatoria. *Orabant pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum* Actor. 8. unde cum verba allata ſint indicativa, non deprecatoria, non poſſunt eſſe formam huius Sacramenti.

Reſp. quod cum ſint duæ partiales formæ huius Sacramenti, quarum quælibet ſuæ reſpective materiæ reſpondet, nihil implicat unam eſſe indicativam, ut eſt ea quæ convenit unctioni, dum altera quæ adhibetur ad manuum impoſitionem eſt deprecatoria; unde verum eſt quod etiamſi exigat hoc Sacramentum ut forma habeatur deprecatoria, tamen nihil repugnat quod altera compartialis ſit indicativa.

Nota, quod licet formæ Sacramentorum ſint indicativæ, ideſt indicative exterius enuncientur, ſenſu tamen ſunt deprecatoriæ: quocirca Sancti Patres vocant eas preces myſticas. Et inhoc ſenſu loquutus eſt D. Auguſt. l. 3. *de Bap.* cap. 16. ubi ait; *ipſam manuum impoſitionem eſſe orationem ſuper hominem*.

Dices 2. Forma Sacramenti inſtitui debet a Chriſto, ac proinde nulli ſubiecta eſt mutationi. Quare cum hæc forma *Signo te* &c. non ſit eiuſmodi; nunquam enim loquitur Scriptura de eius inſtitutione, & pro diverſitate Eccleſiarum ſecundum Alexandrum Alenſem varia eſt, & multiplex, cum una Eccleſia unam habeat formam, altera alteram; ſequitur quod hæc haberi non poteſt ut vera forma Sacramenti Confirmationis.

Reſp. Formam Sacramenti inſtituendam eſſe a Chriſto quoad ſubſtantiam, ſpeciem, ac ſenſum, non vero quoad ſingula verba, & ideo reliquit libero Eccleſiæ iudicio ſecundum temporum exigentiam eam variare, loco illorum ea ſeligendo, quæ apta eſſent ad ſignificandum Sacramenti effectum. Unde verum quidem eſt formas Sacramentorum

non debere eſſe obnoxias mutationi, ſi corrumpat ſenſum formæ, non vero ſi ſenſus formæ integer ſervetur; ſicuti ſervatur in illa variatione verborum, ſeu mutatione, quæ unctionem Confirmationis comitatur, quam habent variæ Eccleſiæ; ita ut nulla ex diverſis formis diverſarum Eccleſiarum inveniantur verba, quæ ſenſum formæ adulterent.

Dices 3. etiam alia Sacramenta ſunt ſignacula Spiritus Sancti: igitur illa forma utpote communis non attribui poteſt ut propria Sacramento Confirmationis.

Reſp. alia quoque Sacramenta eſſe ſignacula effective, non vero active, utpote quæ non ſint ſignativa ſigno crucis, ſed conſtitutiva ſigno Crucis militis chriſtiani.

§. X.

De Miniſtro Sacramenti Confirmationis.

Circa Confirmationis Miniſtrum duplex, & non levis verſatur controverſia, & cum Eterodoxis, & hæc pertinet ad fidem, num ſcilicet ſolus Epiſcopus ſit ordinarius Sacramenti Confirmationis miniſter, & inter Theologos ſcholarum catholicarum, nempe, num Presbiter eſſe poſſit Sacramenti huius miniſter extraordinarius.

Tum in Eccleſia Orientali, tum in Occidentali fuerunt aliquando, qui erronee opinati ſunt contra doctrinam, quam de fide tenet, ac tradit Eccleſia de ordinario Confirmationis Miniſtro. Et in occidentali cœpit error ſæculo V. in nonnullis Presbiteris Eccleſiæ Calaritanæ, qui ius ſibi temere vindicarunt conferendi hoc Sacramentum, quaſi hæc miniſtratio propria, & ordinaria poteſtate eis conveniret. Horum petulantiam repreſſit Innoc. I. in epiſt. ad Decentium Epiſcopum. Sic labente VI. ſæculo Presbiteri Eccleſiæ Calaritanæ contra quos ſcripſit Gregorius Magnus in epiſt. 9. ad Ianuarium. Et ſæculo VIII. habetur Presbiteris ſæpe factam fuiſſe facultatem ab Agapio Epiſcopo Cordubenſe in Hiſpania hoc Sacramentum miniſtrandi. Nono vero ſæculo hoc tanquam ſuum officium uſurparunt nonnulli Chorepiſcopi, contra quos egit Concil. Pariſienſe VI. anno 829. Poſterioribus vero temporibus Valdenſes, Wicleſitæ, Huſſitæ calumniantur Epiſcopos, quod ex avaritia, & ambitione ſibi arrogaſſent Confirmationem iuvenum, & Clericorum ordinationes, ut habetur in Concil. Conſtantienſi a quo in poſterioribus hic error proſcriptus fuit, quem nihilominus non erubuerunt innovare Lutherus, ut habetur in eius opere *de Captivit. Babilon.* & Calvinus in ſuo *Antidoto Concil Tridentini*.

In Eccleſia vero Orientali Græci ſchiſmatici duce Photio, qui Conſtantinopolitanam ſedem tumultuarie invaſit, ac primus fuit Græcorum Schiſmaticorum Parens, volunt, tum Epiſcopos, tum Presbiteros ſimplices habere indiſcriminatim ius & poteſtatem confirmandi baptizatos: cui errori ſtatim appoſuit ſupremam ſuam auctoritatem Nicolaus I. & iuſſit Bulgaros a Photianis Presbiteris confirmatos iterum confirmandos. Contendunt Sectatores Photiani ſchiſmaris, conſecrationem quidem Chriſmatis a ſolis Epiſcopis peragi poſſe, ſed chriſmationem de iure ordinario a ſimplici etiam Presbitero dari poſſe. Contra hos omnes ſit.

Soli Epiſcopi ex divina inſtitutione, ut de fide tenendum eſt, ſunt ordinarii miniſtri Sacramenti Confirmationis. Ita enim, ut iam præiverat Eugenius IV. in ſuo Decreto pro Armenis, definitum fuit a Concil. Tridentino ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmatione. *Ordinarii miniſtri Confirmationis ſunt Epiſcopi.*

Et hæc Concilii doctrina divinæ conſona eſt Scripturæ, cum Actor. 8. a Philippo vocati ſint Apoſtoli Samariam, ut eos quos ipſe baptizaverat confirmarent, dum idem Petrus voluit, Cornelium inſignem virum, ac divinitus ſibi commendatum una cum eius familiaribus non per ſe, ſed aliorum miniſterio baptizari, ut habetur Actor. 10. Item cum quibuſdam Epheſiis Actor. 19. iuſſu Pauli ab aliis Baptiſmum fuiſſet collatum, mox idem Paulus eis manus impoſuit ut Spiritum Sanctum reciperent. Si alios etiam, ideſt non Epiſcopos cenſuiſſet Paulus poſſe hoc Sacramentum conferre, ſicuti Baptiſmum; idem Confirmationis myſterium æque ac baptiſmi aliis mandare potuiſſet.

Huiuſcemodi Scripturæ exemplis & præcipue Actor. 8. imbuti, ac convicti antiqui Pontifices, & Patres unanimes tradidere, quod ſpectet ad Epiſcopum huius Sacramenti adminiſtratio. Ita enim docet Clemens l. 3. *Conſtitution. Apoſtolicar.* cap. 15. & 16 Melchiades in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ Innocentius I. epiſt. *ad Decentium*, in qua ſic habet. *Pontificibus ſolis deberi ut vel conſignent, vel Spiritum Sanctum tradant, non ſolum conſuetudo eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum, & Ioannem eſſe directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum*. His adde Pontifices, qui Photii audaciam, erroremque huic doctrinæ adverſantem

tem repreſſere, ut Nicolaus I. Innocent. III. Gregor. IX. in epiſt. ad Epiſcopum Barenſem, in qua repetit iiſdem verbis, & confirmat Decretum Innocent. III. quæ epiſt. refertur l. 1. Decretalium tit. *de conſuetudine*.

Sententiam confirmat Patrum traditio, quorum aliquos tantum afferre brevitatis gratia ſatis erit. S. Cyprianus Epiſt. 73. habet *eos qui in Eccleſia baptizantur per Præpoſitos Eccleſiæ offerri ut Spiritum Sanctum conſequantur*. S. Chryſoſtom. Homil. 18. in caput 8. Act. Apoſtol. *Hoc erat* (inquit) *in Apoſtolis ſingulare* (nempe collatio Spiritus Sancti per manuum impoſitionem) *ut & præcipuos, non alios videmus hoc facere*. D. Hieronymus contra Lucifer. *Hanc* (ait) *eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut Epiſcopi excurrant ad eos, qui in minoribus urbibus ſunt baptizati, ut eis manus imponant*. S. quoque Auguſt. loquitur eodem modo l. 15. *de Trinit.* cap. 26.

Ratio vero quæ præter divinam voluntatem in Scripturis, & Traditione nobis declaratam, reddi poteſt quare ſoli Epiſcopi ſint ordinarii huius Sacramenti miniſtri hæc erit, quia cum Fideles hoc Sacramento perficiantur iuxta Patrum doctrinam, plane congruebat non ab aliis illud conferri, quam ab iis, qui poſiti ſunt in ordine perficientium, qualis eſt ordo Epiſcopalis, ſicuti ordo Presbiteratus eſt illuminantium, & Diaconatus purgantium ut docet D. Dionyſius Areopag. *Eccleſ. Hierarch.* cap. 5.

Aliam etiam addit rationem D. Hieronymus in Dialog. *contra Lucifer.* quam ob eius excellentiam prætermittere non cenſeo: *id* (dicit) *conſtitutum eſſe in honorem Sacerdotii, ideſt Epiſcopalis Dignitatis, a qua pendet Eccleſiæ ſalus; cui ſi non exors quædam, & omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot erunt Sacerdotes &c.*

Dices cum Photio: qui poteſt maius, ideſt conficere Euchariſtiam, quod omnes poſſunt ſimplices Sacerdotes, poteſt & minus, nempe & Confirmationem conferre, quam nemo non videt multo Euchariſtia eſſe minorem.

Reſp. hoc Photii argumentum nimis ſe extendere; nam ſi ita eſſet, poſſet quilibet Sacerdos conſecrare quoque Sacerdotes, & Epiſcopos, eo quia poſſit quod valde maius eſt, ideſt Euchariſtiam conficere. Idcirco reſp. in forma cum diſtinctione, videlicet qui poteſt maius, poteſt minus in eodem genere, poteſt v. g. ordinare Diaconum &c. qui ordinare poteſt Sacerdotem; non vero concludit hoc argumentum in diverſa ſpecie, ut ſunt Euchariſtia, & Confirmatio.

Exempla vero quæ opponi ſolent de Conciliis, & Pontificibus approbantibus, vel concedentibus Confirmationem conferri poſſe a ſimplici Sacerdote, ſolummodo demonſtrant, Presbiterum eſſe poſſe miniſtrum extraordinarium huius Sacramenti, quod in ſequenti paragrapho examinabimus.

§. XI.

De adminiſtratione Confirmationis per ſimplicem Sacerdotem tanquam extraordinarium Miniſtrum.

Quia nihil adhuc ſtatutum umquam fuit ab Eccleſia in hoc propoſito, quidquid dicant in contrarium Baronius, & Gregorius a Valentia, nempe quod ſimplex Sacerdos poſſit eſſe miniſter extraordinarius Sacramenti Confirmationis; relictus fuit locus Theologis ſcholarum catholicarum circa talem punctum inter ſe concertandi, num revera extraordinarie ex Superioris diſpenſatione ſimplices Sacerdotes poſſint eſſe miniſtri huius Sacramenti.

Nihil certe hactenus de re hac definivit Eccleſia de fide credendum, cum talis definitio non habeatur ex quo orta eſt controverſia, nec ab ullo Æcumenico Concilio, ut Lateranenſi IV. ſub Innoc. III. Lugdunenſi ſub Gregor. IX. Florentin. ſub Eugen. IV. vel in Tridentino, nec ab ullo Summorum Pontificum Decreto. Non primum certe; quia in prioribus Conciliis nihil prorſus actum eſt de Confirmatione, vel de eius Miniſtro, & in Tridentino ſatis fuit Patribus definire quod eſt manifeſte traditum, videlicet ſolum Epiſcopum eſſe Miniſtrum ordinarium Sacramenti Confirmationis, nec ulterius viſum eſt eis progredi, an ſcilicet Presbiter poſſit eſſe miniſter extraordinarius huius Sacramenti, ut habemus ex Palavicino in ſua Hiſtor. dicti Concilii. Non ſecundum; nam quæ vociferantur privilegia Sedis Apoſtolicæ nonnullis Regularibus conceſſa, Eccleſiæ non innotuerunt, non ſunt inſerta in Bullario, nec facta publici iuris. Cum igitur nihil per Concilia, ac Summos Pontifices in tali controverſia de fide credendum definitum umquam fuerit, liberum eſt cuicumque quam melius ei placuerit partem eligere; ſed valde probabilis videtur pars affirmativa. Sit igitur

Simplex Sacerdos ex delegata auctoritate ſeu diſpenſatione poteſt eſſe miniſter extraordi- Simpl. ces Pres. biteri poſ-

ſunt eſſe miniſtri extraordinarii Confirmationis.

ordinarius Sacramenti Confirmationis. Et hoc non ſolum eſt probabile, ſed iuxta documenta, quæ de re hac nobis exhibent vetus Eccleſiæ uſus, ac diſpenſatio, probabilius videtur.

Theologi, qui iam communiter recenſent inter loca Theologica uſum in præcipuis Eccleſiis receptum, univerſa Eccleſia conſentiente, nedum repugnante ex tali uſu elicere ſolent concluſiones ſaltem probabiles. Igitur cum a duodecim ſæculis obtinuerit in præcipuis Eccleſiis, & Summi Pontifices vel conceſſerint, vel permittendum cenſuerint conferri Confirmationem a ſimplici Sacerdote probabile, imo etiam probabilius eſt, ſimplices Sacerdotes poſſe eſſe Miniſtros extraordinarios Sacramenti Confirmationis. Et quoad primum, ideſt de tali uſu in ſimplicibus Presbiteris extraordinarie adminiſtrandi Confirmationem patet ex Conciliis Toletano I. cap. 2. ubi permittitur Presbiteris Chriſmare abſente Epiſcopo, Braecharenſe II. a quo ſtatutum fuit ut Chriſma Presbiteris detur pro confirmandis Neophitis. Hiſpalenſe II. can. 7. Novellis tantum regulis veritum fuit ne Presbiter confirmaret. Colligi autem poſſunt Novellæ regulæ ex Pontificali Damaſi, ubi dicitur, quod Sylveſter Papa Epiſcopis hoc privilegium conceſſit, ut baptizatos conſignarent; ex quo evidenter infertur, quod æque poſſent Pontifices hoc etiam concedere Presbiteris ſaltem extraordinarie. Arauſicanum I. pariter in Gallia can. 4. idipſum approbat, imo concedit deficiente Epiſcopo: *Si deſit Epiſcopus* (ait Concilium) *a Præsbiteris cum Chriſmate conſignari placuit*.

Inſuper hoc docuit Eugenius IV. in Decret. ſeu inſtructione Armenorum, quod ſi non a toto Florentino Concilio, ab omnibus ſaltem Latinis approbatum fuit, qui adhuc Florentiæ poſt Græcorum diſceſſum per tres ferme annos congregati permanſere, ita ut dici non poſſet eo tempore impoſitum fuiſſe finem Concilio. Nam Pontifex poſtquam in eo Decreto ait, *Solum Epiſcopum ordinarium eſſe Confirmationis Miniſtrum*, ſtatim addit; *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente cauſa, ſimplicem Sacerdotem, chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*. Exempla diſpenſationum, quæ factæ fuere ſimplicibus Presbiteris non refert Pontifex, ſed ſupponit, & ea approbare cenſetur dum ait, ex rationabili, & urgente admodum cauſa conceſſas fuiſſe. Nec locus dari poteſt dubitandi; cum occidentales Epiſcopi exempla illa ſedulo, & accurate perpenderint.

Nec talis uſus, qui ſemper viguit in Eccleſia Græca, defuit in Eccleſia Latina; nam S. Gregor. exeunte ſæculo VI. monitus Presbiteros Calaritanos in Sardinia conſignare Neophytos primo improbavit, prohibuitque illum uſum Epiſt. 9. l. 3. ad Ianuarium Epiſcop. Calaritanum. Verum ubi cognovit nonnullos inde commotos epiſt. 26. eiuſdem libri conceſſit, quod prius negaverat. *Nos quidem* (ait) *ſecundum uſum veteris Eccleſiæ noſtræ fecimus; ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Præsbiteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus*.

Ea vero, quæ in contrarium hic obiici poſſunt ex reprobatione plurium Summorum Pontificum uſus adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis a ſimplici Sacerdote, intelligenda ſunt de Sacerdote non ut extraordinario, ſed ut ordinario Miniſtro extra caſum neceſſitatis, & ſine ſuprema diſpenſatione Pontificis; qui cum ſolus plenitudinem acceperit poteſtatis a Chriſto Domino in Eccleſia, hinc ſolus, Pontifex ſcilicet & neutiquam Epiſcopi in Latina ſaltem Eccleſia diſpenſare poſſunt, ut talis adminiſtratio perficiatur per ſimplicem Sacerdotem, & ſine tali diſpenſatione Sacramentum irritum eſſet. Tournel.

§. XII.

De Subiecto Confirmationis.

Conveniunt communiter unanimes DD. valide confirmari omnes, & ſolos baptizatos nondum confirmatos iuxta uſum, ac traditionem Eccleſiæ; quia omnes indigent tali effectu, & ii tantum ſunt capaces; quia Baptiſmi Character eſt moralis quædam potentia recipiendi alia Sacramenta, & quia naſci oportet prius quam augeri, & roborari. Quocirca ſolummodo qui natus eſt in Chriſto per Baptiſmum is Confirmatione muniri poteſt. Confirmatio enim eſt Baptiſmi perfectio, & complementum: unde ſemper hæc duo adhibita ſunt in Eccleſia duo diſtincta Sacramenta. Hinc olim mos erat, ut ſtatim poſt Paſcha luſtrarent Epiſcopi ſuam Diœceſim, ut baptizatos a Presbiteris & Diaconis confirmarent, ut habetur ex D. Hieronymo. Nam tunc temporis tam infantes, quam adulti hoc Sacramento donabantur, ut conſtat ex SS. PP. & præcipue D. Thom. q. 72. art. 8. & hic uſus perduravit per plura ſæcula in Eccleſia Latina, ut col-

Digitized by Google

colligitur ex Ritualibus, & adhuc perſeverat in Eccleſia Græca comprobante Latina. Dubitant hic aliqui, utrum nunc etiam conveniens ſit miniſtrari infantibus, amentibus, & morituris baptizatis nondum confirmatis.

Et de infantibus quidem dicendum eſt per ſe, & regulariter loquendo minus expedire eos in tali ætate confirmare, utpote carentes uſu rationis; qui ſupponitur in ſeptennio ut ex Cathechiſm. Rom. 2. part. de Sacramento Confirmationis. Et uſus ſaltem fere in in omni Eccleſia Latina invaluit uſque ad ſeptennium differre, licet olim etiam infantibus conferri conſueverit ſtatim poſt Baptiſmum; & hanc novam conſuetudinem approbarunt Concil. Colonienſ. I. p. 7. cap. 9. in tom. 4. Concilior. Aurelianenſe ibidem relatum *de Conſecrat.* diſt. 5. Ex hoc enim fit ut decentius, cum maiori fructu, & ſine irritationis periculo ſuſcipiatur. Nam melius eſt omittere Sacramenti adminiſtrationem, quam illud ei miniſtrare qui ſine certa decentia, & fructu ſuſcipiat. Et hæc eſt ratio potiſſima quæ movit Eccleſiam ut ſuſpenderet infantibus miniſtrationem S. Euchariſtiæ, quæ longe utilior eſt Confirmatione, & miniſtrari antiquitus ſolebat, nempe quia infantes ut par eſt tantum Sacramentum revereri nequeunt.

Diximus *regulariter loquendo*; quia ſi iuſta aliqua ſubſit cauſa, expediens erit confirmari pueros ante uſum rationis; puta ſi ob diuturnam futuri Epiſcopi abſentiam, vel ſi ob aliam cauſam timeatur longo tempore poſt uſum rationis differendam eſſe Confirmationem; præſtat enim prævenire, quam ſupradicto periculo pueros exponere. Ita Salmat. cum aliis. Similiter conferri poteſt infantibus hoc Sacramentum in illis Eccleſiis ubi talis mos priorum temporum adhuc perſeverat. Et pro huiuſmodi caſibus intelligendum eſt quod Pontificale Romanum ſupponit, nimirum interdum pueros ante uſum rationis confirmari.

Inquiri hic ſolet, an in culpam incurratur confirmando pueros ante uſum rationis, & alii cenſent hoc fieri non poſſe ob contrariam conſuetudinem ſine gravi peccato. Alii vero ſtant pro ſolo veniali. Alii e contra volunt poſſe hoc fieri abſque ulla culpa ſive mortali, ſive veniali; quia nullum, inquiunt, eſt præceptum prohibens confirmare pueros ante uſum rationis. Et conſuetudo inducta, ut ante uſum rationis pueri non confirmentur, inducta eſt non ut obligatoria, ſed ſolum ut maxime expediens. Sic Bonac. *de Confirmat.* diſp. 3. q. 1. punct. 4. n. 5.

Perpetuo autem amentibus conferendum eſt Sacramentum Confirmationis; quia eſt valde utile, & nulla in eis ſupponi poteſt mala diſpoſitio, ſive impedimentum. Neque eis denegandum eſt, quia numquam eius voluntatem habuerunt; nam pro iis, qui carent perpetuo uſu rationis ſufficit voluntas Chriſti & Eccleſiæ; vel quia ob defectum uſus rationis denegatur infantibus; nam infantibus ob talem defectum denegatur, ſeu potius differtur ob ſpem, quod habituri ſint aliquando rationis uſum, quæ ſpes perpetuo ceſſat in perpetuo amentibus; vel quia numquam ſpiritualiter pugnaturi ſunt, quia hoc eſt per accidens, & expedit ut illis conferatur, ut in reſurrectione appareant perfecti iuxta illud ad Epheſ. 4. *Donec occurramus in virum perfectum*. Sic Suarez cum Bonac. & aliis. *Perpetuo amentibus conferri potest Confirmatio.*

Si autem aliquando uſum habuerunt rationis, idem dicendum, dummodo non conſtet eos incidiſſe in amentiam in ſtatu peccati mortalis. Sufficit enim interpretativa voluntas, quæ adeſſe cenſetur in quolibet Chriſtiano erga beneficia ſuæ ſalutis, dum non conſtat de contraria ipſius voluntate. Sic Laymann.

Morituris denique per ſe loquendo conferenda eſt Confirmatio; quia capaces ſunt recipiendi plenitudinem gratiæ, & expedit ut illis conferatur, ut maiorem conſequantur gloriam, & ſi forte occaſio non ſit pugnæ, hoc eſt per accidens. Et ſi ſæpe contingat ſingulos morientes non initiari Confirmationi, hoc eſt per accidens, non quia non expediat eos confirmari, ſed quod commode fieri nequit eo quia non vacat Epiſcopis tempus, ut ſingulos morientes adeant. *Morituris conferenda eſt Confirmatio.*

§. XIII.

De Diſpoſitionibus requiſitis in ſuſcipiente Sacramentum Confirmationis.

Hic certe non loquimur de parvulis, vel de Adultis, qui uſu carent rationis, quia in his ad hoc ut cum gratiæ fructu Confirmationem recipiant ſatis eſt quod baptizati ſint, & non ſint confirmati, ut communiter ſentiunt DD. In adultis vero ſuæ requiruntur diſpoſitiones non ſecus ac ad Baptiſmum, & quando antiquitus conferebatur Chriſmatio ſtatim poſt Baptiſmum diſpoſitiones æque utrumque Sacramentum reſpiciebant. Quocirca ut notat inter alios Albaſpinæus l. 1. cap. 13. Confirmatio non confere-

ferebatur iis, qui in infirmitate decumbentes baptizabantur, & Clinici dicebantur, niſi in ſalutem reſtituti in ſtationibus Catechumenorum elaboraſſent, aut ſaltem inſignia chriſtianæ pietatis indicia præmiſiſſent, ut habetur tum ex Epiſt. S. Cornelii in qua exprobrat Novatiano quod baptizatum in lecto decumbentem ſacro conſignaſſet Chriſmate; tum ex Concilio Eliberitano, quod cum cap. 45. concedat Baptiſmi lavacrum omnibus moribundis, ſtatuit can. 39. manum iis non eſſe imponendam, niſi fuerit eorum in aliqua parte honeſta vita.

Ad hoc autem ut Adultus valide hoc Sacramentum ſuſcipiat requiritur quod ſit baptizatus; cum Baptiſmus ſit ianua, & diſpoſitio neceſſaria ad valide alia Sacramenta ſuſcipienda, & ſi uſum habeat rationis, ſuſcipienda tem habitualem habere debet intentionem illud ſuſcipiendi ut dictum eſt de Baptiſmo.

Diſpoſitiones Adulto rum ad Sacramentum Confirmationis

Ad hoc vero ut adultus licite ſuſcipiat uſu pollens rationis 1. requiritur ut ſit in ſtatu gratiæ, quia ut docet S. Thomas art. 7. ſicuti Confirmatio ſupponit Baptiſmum, ita & eius effectum, ut ex ipſo Confirmationis nomine clare conſtat; Nam hoc Sacramentum dicitur Confirmatio, quia inſtitutum eſt ad confirmandum, perficiendumque quod prius invenerit. Quocirca ſi quis poſt Baptiſmum mortaliter peccavit, per ſe loquendo huic opus eſt ut reſtituatur in ſtatu gratiæ vel per contritionem perfectam, vel per attritionem cum Confeſſione, cum Baptiſmi gratia non reparetur niſi per Pœnitentiæ Sacramentum, ſaltem in voto, quod ſincerum non apparet in eo, qui dum copiam habet Confeſſarii eam negligit. In iis vero, qui in accepta Baptiſmi gratia permanſerunt, licet ſalubre conſilium ſit, ut ſacræ Confirmationi Confeſſionem præmittant, non tamen ſtricte ad hoc tenentur, cum talis obligatio nec ex rei natura, nec ex aliquo Divino vel Eccleſiaſtico præcepto percipi queat.

Verum quia nunc uſus invaluit ut Eccleſia differat Chriſmationem ad annos adoleſcentiæ, ſaltem nempe ad ſeptenium, manifeſte apparet non ſufficere in animo confirmandi ſtatum gratiæ ſanctificantis ad hoc ut digne Sacramentum hoc ſuſcipiat, ſed opus eſt inſuper ut habeat erga hoc Sacramentum promptam devotamque cordis affectionem, & ad hoc ut debitam illam venerationem devotionemque erga illud concipere valeat omnino neceſſarium videtur.

Primo quod Confirmandus teneat ſufficientem explicitam cognitionem myſteriorum Fidei, tum Evangelicæ legis, qua mores chriſtiani componendi ſunt, ac præſertim ſit ſatis inſtructus circa ea omnia quæ ſpectant ad Baptiſmum, & Confirmationem: quia cum fidelis per hoc Sacramentum perficiatur in chriſtiana Religione, ut implere valeat ea quæ in Baptiſmo profeſſus eſt, ac organum efficiatur Spiritus Sancti a quo accepit plenitudinem gratiæ ad multiplices eius operationes, ſi ea ignoraverit non certe haberi poteſt diſpoſitus ad illa peragenda; ac paratus.

Secundo quod per exactum chriſtianæ vitæ curſum ſervaverit initiandus ea quæ profeſſus eſt in Baptiſmate, ita ut ſi ad ea quæ abrenunciaverat in Baptiſmate ſe rediiſſe cognoſcat, lacrimis, ac aliis Pœnitentiæ officiis eluere ſtudeat; alias non ſincere, ſed ficte proteſtaretur accedendo ad hoc Sacramentum velle ſe confirmare fœdus initum cum Chriſto in Baptiſmate, quia cum tali prava diſpoſitione implicite ſaltem non intenderet illud ſervare, ac renovare; Nam Confirmatio eſt nova ſolemnis profeſſio eorum, quæ promiſſa fuere in Baptiſmo: idcirco confirmandus intus gerere debet, quod exterius profitetur.

Tertio quod per aliquot dies ad exemplum Apoſtolorum dum accepturi erant Spiritum Sanctum, perſeveret in orationibus, aliiſque chriſtianæ pietatis exercitationibus; cum per Sacramentum Confirmationis idem præſtetur fidelibus in Eccleſia quod Apoſtolis in die Pentecoſtes; hinc ſimilis exigitur in confirmandis præparatio, ut ita quiſque pro modulo ſuo vitalis Sacramenti induatur virtute ex alto.

Advertant igitur ſacri Paſtores, ut huiuſcemodi diſpoſitionis exigentiam edoceant ſuum populum, ut ſciant confirmandi quomodo parare ſe debeant ad tam inſigne Spiritus Sancti donum, & quomodo poſtea ſe gerere debeant, ut ſuas obligationes ſervent, ac perficiant. Quocirca cum ea quæ raro audiuntur non facile percipiantur, & ſi etiam ab aliquibus percipiuntur faciliunum ſit, ut ea obliviſcantur; hinc ſæpe inſtruere debent populum ſibi commiſſum, & de magnitudine divini beneficii quod in hoc confertur Sacramento, & de obligationibus, quæ in hoc, & in baptiſmate contrahunt fideles.

§. XIV.

De effectibus Sacramenti Confirmationis.

Si de Confirmationis effectibus audiantur No-

Novatores, cum alium effectum volunt in primordiis Eccleſiæ ex Sacramento Confirmationis recepiſſe illorum temporum fideles, quam gratias gratis datas, ſeu chariſmata Spiritus Sancti, donum videlicet linguarum, vel prophetiæ, vel quidam aliud huiuſce generis mirabile, atque exterius ſeſe manifeſtans; onde primævis illis temporibus Chriſtiana Religio adhuc recens in faciem ſæculi commendaretur, ac proinde poſt illa priora tempora, quando iam amplius neceſſaria non erant ea inſignia dona ad fidem confirmandam, & primordia Eccleſiæ dilatanda, ac ſtabilienda, Confirmationem nihil aliud fuiſſe quam catecheſim, in qua Chriſtiani fidei ſuæ rationem reddebant coram Eccleſia. Hinc nos irrident quod Sacramento Confirmationis virtutem gratiæ ſanctificantis conferendæ tribuamus, contendentes noſtram Confirmationem meram eſſe, eamque plane otioſam, omniſque effectus ſpiritualis vacuam cæremoniam, imo iniurioſam Baptiſmo, ac contumelioſam, utpote quæ detrahat illius virtuti, quaſi gratia baptiſmalis ex ſe perfecta non foret, ut per Confirmationem conſumari indigeat, ac perfici, cum baptizatus, aiunt illi, aptus eſſe valeat ad fidem ſuam defendendam, ac profitendam.

Verum Novatorum error facile tum ex Scriptura, tum ex ratione refellitur. Primo ſiquidem, quia etiam primævi fideles receperunt Spiritum Sanctum per manuum impoſitionem ad eum effectum, ad quem antea per Chriſtum fuerat promiſſum, nempe non tantum ad donum linguarum &c. ſed præcipue ad fortitudinem & robur, quo invicti eſſent, & perſiſterent in fidei confeſſione, in pietate, ut Lucæ ultimo; *Ego mittam promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete in civitate donec induamini virtute ex alto*; & Act. 1. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos*. Spiritus enim Sanctus ſicuti promiſſus fuerat, ita datus eſt fidelibus, ideſt ad virtutem fortitudinis, & roboris, & promiſſio huius effectus facta fuit non ſolis Apoſtolis, ſed fidelibus omnibus, ut probat Act. 2. ex Ioelis vaticinio D. Petrus, nimirum quod per Ioelem promiſerat Deus ſe effuſurum Spiritum Sanctum ſuper omnem carnem. Hinc ſoliciti erant Apoſtoli, ut baptizatis ſubito manus imponerentur ad accipiendum Spiritum Sanctum, ut patet Act. 2. ubi legitur quod ad hunc finem præcipui Apoſtolorum, Petrus ſcilicet, & Ioannes Hieroſolymis mittuntur ad Samaritanos; nec de hoc ſoliciti erant ut fideles donum linguarum, aut aliud ſimile reciperent, utpote ex his quæ dantur ad aliorum utilitatem non eius proprie cui datur, ſed ut gratiam reciperent ſanctificantem, & fortitudinem ad utilitatem, & profectum recipientium.

Secundo omnes baptizati indiſcriminatim per Apoſtolorum manus impoſitionem recipiebant Spiritum Sanctum, nec omnes donum linguarum, & prophetiæ, vel miraculorum.

Tandem D. Paulus annumerat impoſitionem manuum Pœnitentiæ, Baptiſmo, reſurrectioni mortuorum, & aliis, quæ tanquam elementa fidei Chriſtianæ præſcribuntur, vel traduntur rudibus. Igitur manus impoſitio non pertinet ad gratiam miracolorum, utpotequæ ne quidem adſit omnibus, qui in fide ſenſum habent. Præterquamquod donum linguarum temporarium fuit in Eccleſia, nempe donec tantum fuiſſet neceſſarium ad Eccleſiam propagandam; Spiritum vero Sanctum promiſit Chriſtus permanſurum perpetuo in Eccleſia; *Qui maneat vobiſcum in æternum*. Eſtius. Confirmatio igitur confert, & gratiam ſanctificantem, quæ datur in aliis quoque Sacramentis, & gratiam roboris & fortitudinis. Et circa gratiam ſanctificantem.

Cum Sacramentum Confirmationis eorum ſit, quæ dicuntur vivorum, quæ nempe ſupponunt hominem divinæ gratiæ viventem; hinc per ſe non habet conferre primam gratiam, ſed ſecundam. ideſt eius augmentum. Ideo enim dicitur Confirmatio, & perfectio, quia baptizatum confirmat, & perficit in gratia per Baptiſmum accepta, ac proinde primam gratiam ſupponit.

Dixi *per ſe*; quia ſi quis adultus in peccato exiſtens (ait S. Thom. 3. part. q. 72. art. 7. ad 2.) *cuius conſcientiam non habet, vel etiam non perfecte contritus accedat . . . per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequeretur remiſſionem peccatorum*.

Secundo præter gratiam ſanctificantem aliis etiam Sacramentis communem, alteram etiam parit Confirmatio in ſuſcipiente, & eſt effectus ſibi præcipuus, nempe gratiam plenitudinis Spiritus Sancti ad ſpirituale robur, qua per Spiritum Sanctum confirmatus fidelis perſiſtat in pietate, & impugnantibus reſiſtat. Quocirca apud veteres paſſim legimus perfectionem, conſumationem, augmentum, robur, conſtantiam, fortitudinem tribui tanquam proprios effectus huic Sacramento, ut docent S. Dionifius *Eccleſ. Hierarch.* cap. 4. p. 3. Clemens l. 3. *Conſtitut.* *Apo-*

Apoſtolic. cap. 17. Tertull. l. *de Reſurrect. carnis*, & alii. Et hanc plenitudinis Spiritus Sancti gratiam, quæ ad ſpirituale robur confertur in hoc Sacramento explicat D. Thomas in ſæpe laudata q. 72. & præcipue art. 2. & 5. exemplo hominis, qui infantiæ terminos exceſſit: *Homo autem* (inquit) *cum ad perfectam ætatem pervenerit incipit tam communicare actiones ſuas ad alios: antea vero quaſi ſingulariter ſibi ipſi vivit.* Sic in Baptiſmo accipit poteſtatem agendi ea, quæ pertinent ad propriam ſalutem, in Confirmatione vero roboratur ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes chriſtiani nominis, non ſolum inviſibilibus, quibus etiam baptizatus reſiſtit, ſed & viſibilibus, ut mundo, tortoribus, illecebris, & deriſionibus, ac publice fidem verbis, & operibus profitetur.

Fortitudo igitur, quam hoc Sacramentum impartitur roborat quidem præcipue, & directe contra viſibiles hoſtes fidei, ac Religionis; quia talem virtutem promiſit Chriſtus Apoſtolis Act. 1. ut patet ex his verbis; *Et eritis mihi teſtes in Iudæa &c.* Sed munit etiam, roborat, & inſtruit hoc Sacramentum generaliter, & indirecte fideles etiam adverſus hoſtes inviſibiles, & alia quæcumque mala pietati adverſantia. Nam hæc fortitudo non eſt ſine charitate: *Charitas* autem ſecundum Apoſtolum, *patiens eſt, benigna eſt*, atque inter cætera, quæ ei adſcribuntur virtutum opera, *omnia ſuffert*, *omnia ſuſtinet*: eſt enim connexio virtutum omnium in charitate, ſed tamen eo magis tribuitur huic Sacramento robur adverſus omnia, quæ pietatem impugnant, quam actiones aliarum virtutum. Nemo igitur ex confirmatis dicat; *quia infirmus ſum*; Donum enim quod in hoc Sacramento accipit maius omnibus eſt. Apoſtoli in figura linguæ repleti ſunt Spiritu Sancto, ut fidei DD. alii vero fideles in olei ſymbolo, quod fortitudinem deſignat tanquam operatores eorum, quæ pertinent ad ædificationem fidelium. Sic S. Thom. 3. p. q. 72. art. 2. ad 1.

Plenitudo vero, quæ per Confirmationem ad robur confertur conſiſtit in uberiori gratia ſanctificante, non quidem præciſe ſumpta utpote quæ communis ſit omnibus Sacramentis, plenitudo vero illa ſit effectus proprius Confirmationis; ſed in gratia ſanctificante ordinata ad illas actiones difficiliores, ſeu ad ſpiritualem pugnam contra mundanum timorem. Unde plenitudo illa duo includit, uberiorem nempe gratiam ſanctificantem, & auxilia merito huius Sacramenti ſuo tempore recipienda, ideſt quando tentatio ingruat. Huiuſcemodi autem auxilia conſiſtunt in ſanctis cogitationibus, piiſque affectionibus, quibus tanto ita incendimur fervore erga divina, ut mundana omnia, perſecutiones videlicet, iras, illecebraſque ſtrenue, & alacriter ſpernamus.

Nota 1. quod Robur ſpirituale deperditur a Confirmato ſi incidat in mortale peccatum, quo gratia ſanctificans in qua robur fundatur, ab ipſius animo expellitur.

Nota 2. Robur ſpirituale non tribui adæquate dum ſuſcipitur Sacramentum; nam exurgit partim ex auxiliis actualibus, quæ confirmato Deus confert quando recurrat certaminis occaſio. Unde opus eſt vigilantia, ut prompta illa adſint auxilia; gratia enim non venit obviam deſidioſis, & pigritantibus.

Alter effectus Confirmationis eſt Character, de quo iam ſatis dictum fuit dum ageremus de Sacramentis in genere. Datur enim hoc Sacramentum per modum conſecrationis, quæ natura ſua irritationem non admittit. Confertur Confirmatio per modum conſecrationis; quia conſecrat fidelem tamquam Chriſti militem: Inſignitur ſigno crucis, ſicut miles ſigno Ducis, ait S. Thom. in ſupra laudata quæſtione 72. art. 9. Et ex hoc quod in Confirmatione ſignatur Fidelis ut Chriſti miles, Character huius Sacramenti differt ſpecie a Charactere Sacramenti Baptiſmi; quia in Baptiſmo ſignantur homines veluti Cives, unde Character Baptiſmi ſe habet ſicuti character Civitatis, & Character Confirmationis ſicuti character militiæ, ac proinde ſpecie differunt.

§. XV.

De neceſſitate Sacramenti Confirmationis.

Gravis verſatur inter Theologos controverſia de neceſſitate huius Sacramenti, nec utrique parti ſua deſunt momenta. Quidquid tamen ſit, certum eſt quod facilius, clariuſque ex SS. PP. traditione, & ex veteribus Theologis apparet, Confirmationem non modo utilem eſſe, verum etiam quando illius copia haberi poſſit neceſſariam.

Neceſſitas vero huius Sacramenti conſiderari poteſt vel relative ad eius effectus, vel relative ad fideles, qui illud ſuſcipere debent. Reſpectu primi ſtat difficultas utrum Confirmatio ita neceſſaria ſit, ut ſuppleri nequeat per verticalem unctionem, quæ fit in Baptiſmo. Pugnat pro hac ſententia Dallæus l. 3. *de Confirmat.* cap. 14. ubi ut probet aucto-

Duplex ratio ex qua neceſſaria conſiderari poteſt Confirmatio.

ctores ſæculi noni non agnoviſſe ullam diſtinctionem inter Confirmationem & Baptiſmum, conſtanter affirmat, eos tradere hoc Confirmationis Sacramentum in caſu neceſſitatis ſuppleri poſſe per unctionem verticalem, quæ fit in Baptiſmi collatione. Imo non deſunt inter Recentiores, qui putant cum Syrmundo, unctionem confirmatoriam aliquando prætermiſſam fuiſſe, quia hanc cenſuerunt non neceſſariam, eo quod hoc beneficium impletum fuerit in verticali unctione in Baptiſmo; ita ut hæc aliquando vicem geſſerit huius Sacramenti; contra quos ſit.

Sacramenti Confirmationis neceſſitas.

Sacramentum Confirmationis ita neceſſarium eſt ad gratiam conſequendam, ut verticalis unctio collata in Baptiſmo neutiquam ſupplere valeat effectum gratiæ huius Sacramenti. Nam gratia quæ confertur in Confirmatione perficit baptizatum interius ex opere operato; Chriſmatio vero verticalis ſolum exterius quoad ſignum quo exterius apparet adſcriptio baptizati militiæ chriſtianæ; & ſi perficiat adultum etiam interius, hoc tamen efficit ex opere operantis tantummodo, & ut eſt quodam Confirmationis votum. Conferre enim gratiam qua homo interius perficiatur ex opere operato, non poteſt convenire niſi Sacramento a Chriſto Domino inſtituto, ut eſt Confirmatio, non vero puræ cæremoniæ, cuiuſmodi eſt chriſmatio verticalis, quæ fit in Baptiſmo, quam Eccleſia inſtituit eo fine, ut fideles, qui ab Epiſcopo non poſſunt conſignari, exterius uncti appareant ſeu chriſtiani, cum Chriſtus, a quo chriſtianum nomen derivatur, ſic dicatur ab unctione.

De effectu unctionis verticalis in Baptiſmo.

Unde & ſic chriſmatio verticalis quoad talem exteriorem effectum tantum vices ſupplet Sacramenti Confirmationis. Roborat etiam quoad Eccleſiæ preces, & ſuffragia, quæ Deus exaudit in hac unctione, & ſic interius ex opere ſolum operantis. Adde eamdem Chriſmationem dare Spiritum Sanctum ratione Baptiſmatis, cuius eſt appendix, & ad ritum illius pertinens, ſed per ſe, & in ratione ſigni efficax non eſt, utpotequæ non ſit Sacramentum, ſed quid Sacramentale.

Et hoc confirmatur ex perpetuo uſu Eccleſiæ, quæ ſemper & unctionem dedit infantibus in vertice per ipſum baptizantem etiam ſimplicem Sacerdotem, & poſtea Confirmationem per Epiſcopum, nec umquam baptizatum ſine tali Epiſcopi chriſmatione illum confirmatum cenſuit. Hic autem uſus conſtat tum ex Sanctis Patribus qui utriuſque diſtinctam mentionem faciunt, tum ex omnibus Libris, Ritualibus, & Pontificalibus, in quibus uterque ritus deſcribitur, & modus plane utriuſque diverſus, ac diverſa forma eas miniſtrandi. Verticalis unctionis locuti ſunt Damaſus in vita S. Sylveſtri, Innocent. I. epiſt. I. S. Ambroſ. l. 3. *de Sacrament.* cap. 1. S. Gregorius *in Sacramentario*, Ordo Romanus, & alii. Similiter vero iidem SS. PP. oſtendunt, ac demonſtrant efficaciam, ac neceſſitatem Sacramenti Confirmationis ad conſequendam gratiam roboris, ac fortitudinis, ut apparet manifeſte ex eorum documentis ſupra relatis. Igitur non putant, quod unctio verticalis, quæ in Baptiſmo confertur, ſupplere valeat chriſmationem Sacramenti Confirmationis. Quod vero valet, ac probat ſupra omne aliud argumentum, quod excogitari valeat in huius ſententiæ confirmationem, eſt ratio ipſa, & inſtitutio chriſmationis in Baptiſmo, quæ eſt mera cæremonia de ſolo iure eccleſiaſtico, ſeu humano; quando ex oppoſito Confirmatio noſtra eſt Sacramentum de iure divino, utpotequæ auctorem habeat Chriſtum Dominum: quiſnam quæſo ſibi perſuadere poterit æqualem vim ineſſe in pura Eccleſiaſtica cæremonia, ac in Sacramento a divino auctore, ſeu a Chriſto Domino inſtituto? Neceſſaria eſt igitur Confirmatio ratione proprii effectus, qui per verticalem in Baptiſmo unctionem ſuppleri nequeat.

Neceſſaria eſt pariter Confirmatio reſpectu fidelium, ut inter alios, qui ita iam loquuntur, teſtatur S. Cyprianus epiſt. 70. *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus eſt, ut accepto Chriſmate eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Dei poſſit*. Sic docet etiam Concil. Pariſienſ. VI. c. 38.

Et ratio ipſa, qua utitur D. Thom. hanc oſtendit neceſſitatem; ut homo videlicet per Confirmationem ad perfectam vitæ chriſtianæ ætatem perducatur. Etenim ſicuti natura oſtendit, ut quicumque oritur adoleſcat, atque ad perfectam perveniat ætatem, ſic qui natus eſt in Chriſto, eniti debet ad perfectionem illius divini ſtatus in Baptiſmo inchoati. Du-Hamel.

Certum tamen eſt Confirmationis Sacramentum non eſſe neceſſarium abſolute, ſeu ut aiunt Theologi, *neceſſitate medii*, cum ſine Confirmatione per Baptiſmum, & in relapſis per Pœnitentiam æterna ſalus conſequi poſſit; cum Baptiſmus, & Pœnitentia per ſe valeant liberare hominem a peccato, iuſtitiam donare, filium Dei, & hæredem regni cæleſtis conſtituere; unde qui in huiuſmodi

Digitized by Google

di ſtatu ex hac vita diſcedit, licet non munitus ſignaculo Confirmationis, non poteſt fraudari præmio iuſtitiæ, & promiſſa hæreditate. Unde apertiſſime patet diſcrimen inter Baptiſmum, & Confirmationem quoad neceſſitatem; Baptiſmus enim abſolute neceſſarius eſt ratione proprii effectus, cum nemo niſi renatus ſalutem conſequi poſſit, ſicuti etiam nemo ex relapſis poſt Baptiſmum ſine Sacramento reconciliationis. Non ita vero Confirmatio, cum & fortes, & infirmi per veram iuſtitiam ſalutem æternam obtineant.

Quoad aliam vero neceſſitatem quæ eſt præcepti; certum eſt quod de iure Eccleſiaſtico eſt neceſſaria Confirmatio omnibus, qui aſſumuntur in Clerum: & ſecundum plurimorum ſententiam obligat hoc præceptum ſub gravi, ut mortalis peccati ſaltem periculum incurreret, qui ad ſuſcipiendos Ordines prudens, & ſciens non confirmatus accederet.

Confirmatio neceſſaria eſt neceſſitate præcepti iuris divini.

Univerſim vero Adulti omnes ex præcepto iuris divini, & eccleſiaſtici neceſſe eſt ut Confirmationem ſuſcipiant.

Et de neceſſitate præcepti iuris divini licet hoc expreſſe non habeatur in divinis Scripturis, ex iis tamen facile deducitur. Nam verba illa Chriſti Domini Luc. 24. *Sedete hic donec induamini virtute ex alto*; & Actor. 1. *Præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſum Patris* non ſolum Apoſtoli, ſed & cæteri fideles quaſi ſibi dicta intelligentes, omnes eis paruerunt, ut conſtat ex eodem Actorum capite. Deinde ſolicitudo quam habuerunt Apoſtoli Act. 8. & 10. ne quiſquam ex baptizatis hoc careret ſubſidio, denotat præceptum divinum illud conferendi, & ſuſcipiendi, cum hæc duo ſint correlativa. Itidem naturalis ratio poſtulat ut fideles plenitudinem gratiæ conſequantur & omnes conſulant ſecuritati propriæ, & ſaluti, cum opus eſt, ut iis præſidiis inſtruamur quibus contra chriſtiani nominis hoſtes decertemus, & plenitudine Spiritus Sancti animati ſpirituales nequitias ſuperemus. Nobis enim pugnandum eſt contra carnis, & mundi illecebras, & adverſus inferni poteſtates; robore igitur nobis opus eſt, & viribus quas beneficio huius Sacramenti conſequimur; ac peſſime nobis conſultum volumus, ſi oblatum illud negligimus, ſi arma illa reſpuimus, quibus viſibiles, & inviſibiles hoſtes debellentur.

Confirmat etiam veritatem de divino præcepto Confirmationis illa regula S. Auguſtini; *quod ab omnibus fuit ſemper obſervatum; nec in aliquo invenitur Concilio conſtitutum, illud ab Apoſtolis traditum cenſeri debet*: ſemper autem in Eccleſia fuit obſervatum, ut fideles poſt Baptiſmum per Sacramentum Confirmationis perficerentur; igitur ex divino Chriſti præcepto per Apoſtolos tradito neceſſe eſt, ut Sacramentum Confirmationis ſuſcipiamus, utpote quod inſtitutum ſit a Chriſto Domino tamquam medium, ſine quo vix ſtaret infirmitas humana inter tot mundi pericula, & tentationes.

Non eximuntur a mortali qui Sacramentum Confirmationis negligit.

Unde fideles, qui etiam extra tempus perſecutionis negligunt ſe hoc Sacramento muniri & perfici, non eximuntur a mortali culpa; cum ſicuti, ut iam demonſtravimus, inſtitutum ſit hoc Sacramentum non ſolum ut fideles intrepide coram Tyrannis, vel Hæreticis fidem profiteantur, ſed etiam ut vis eis ſubminiſtretur, qua propulſentur ingruentes tentationes contra fidem, & etiam contra pietatem: hinc Eccleſia ſemper ſolicita fuit etiam quando non amplius ſæviebant perſecutiones, fideles confirmare ſtatim poſt Baptiſmum, qui mos perſeveravit in Eccleſia Latina per mille annos, & in Græca haſtenus perſeverat; & pœnis mulctavit, qui Confirmationem prætermiſerunt, ut ait S Carolus in IV. Concil. Mediolanenſi memorando canones Concilii Vormacienſis, quod contra negligentes ita habet: *Si quis vero neglexerit, canonicis ſubiaceat diſciplinis*. Et ita ſtatuit Concilium Rhemenſe anno 1583. in quo ſic habetur; *Quamvis unuſquiſque per Baptiſmum Catalogo fidelium ſit adſcriptus; ad Diaboli tamen, carnis, mundique tentationes perferendas, ac ſuperandas, nonniſi per impoſitionem manuum Epiſcopi plus roboris, & gratiæ recipit. Moneant ergo Parochi, & verbi Dei Paſtores, Sacramentum Confirmationis non debere negligi vel prætermitti a vere Chriſtianis*. Igitur cum reus ſit peccati qui contemnit, aut negligit Sacramentum aliquod, cuius virtute indiget, non eximuntur a gravi culpa Neophyti, qui dum eis offertur opportuna occaſio Sacramenti Confirmationis recipiendi, cuius virtute & auxilio indigent ad illecebras, tentationeſque inviſibilium hoſtium chriſtianæ pietatis vincendas, ſuſcipere negligunt, ſeu potius contemnunt, niſi formaliter ſaltem virtualiter, & interpretative, ut vidimus ex Concil. Senonenſi antea relato. Contemni autem dicitur, quando Epiſcopus eſt præſens paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit,

git, aut deſpicit ſuſcipere. Iuvenin. *de Sacrament.*

Nec valet dicere cum Eſtio, Eccleſiam non curare ut adulti in extremo vitæ periculo confirmentur, quamvis dum ſani eſſent, confirmati non fuerint: nam Eccleſia ſupponit, neminem expectare ultimum vitæ terminum, ut confirmetur. Et hoc colligitur tum ex Eccleſiæ cura, & ſolicitudine ne quis ſine Confirmatione extremum clauderet diem, tum ex Scriptoribus variis, qui docuerunt, ſaltem periculum iis imminere, qui ex hac vita non confirmati migrarent.

Dices: ſi adulti iure divino, ut demonſtratum eſt ex Scripturis, Confirmationem recipere tenerentur, animam agentes, ideſt in vitæ extremis, tenerentur non confirmati votum habere huius Sacramenti, quod fallum videtur, quia mos non eſt morituros ad hoc votum ſolicitare.

Reſp. in morituris, de quibus agitur, vere non requiri votum explicitum Confirmationis, cum non ſit hoc Sacramentum ex iis, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii; ſed ſatis eſt, ut habeant votum implicitum, quod in eo conſiſtit, ut fidelis optet, & paratus ſit ea omnia ante mortem recipere, quæ ex inſtitutione & mandato Chriſti recipienda ſunt. Eodem modo ratiocinantur Theologi de pluribus aliis præceptis affirmativis, ad quorum obſervationem fideles implicite paratos eſſe oportet. Iuvenin. *de Sacram.* Hab. aliive.

Confirmatio neceſſaria eſt etiam neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici.

Altera pars vero, nimirum Confirmationem neceſſariam eſſe etiam ex præcepto Eccleſiaſtico, patet iam ex multis legibus Eccleſiaſticis tum Pontificum, tum Conciliorum, quibus urgentur fideles ad obſervantiam huius præcepti, ut præcipue in Concil. Sennonenſi celebrato anno 1524. in quo ita habetur: *Confirmatio fortiorem reddit ad reſiſtendum tentationibus, promptiorem ad Deo ſerviendum, & Dei præcepta implenda, in fidei confeſſione conſtantiorem efficit*; quam omnes chriſtiani tam viri, quam mulieres, uſum rationis habentes obligantur ſuſcipere, aut ſaltem non contemnere, contemni autem dicitur quando Epiſcopus eſt præſens paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit, aut contemnit; ſicuti antea notavimus.

Porro ſicuti Confirmatio præmittenda eſt Ordini, ſic non adeſt ullum præceptum quod debeat præcedere profeſſioni Religioſæ, ut potequæ non habeat illam connexionem cum Confirmatione quam habet Ordo: expedit quidem id fieri.

APPENDIX

De cæremoniis Sacramentis Confirmationis.

IN Sacramento Confirmationis adminiſtrando præter conſecrationem Chriſmatis, alioſque eſſentiales ritus, alii quoque accidentales ſervantur; & ſicuti in Baptiſmo, in Confirmatione quoque aliæ ſunt cæremoniæ, quæ præcedunt, aliæ quæ comitantur, aliæ quæ ſequuntur collationem Sacramenti.

§. I.

De cæremoniis Confirmationem antecedentibus.

In primis ex antiqua Eccleſiæ praxi etiam in Confirmatione adhibendi ſunt patrini ſeu ſuſceptores; & comprobatur ex cap. *in Catechiſmo* quod tribuitur Hyginio, & Theodorus protulit ſæculo 7. in Pœnitentiali n. 4. Item ex cap. *non plures* deprompto ex Walfrido Strabone, & ex aliis, quæ collegit Gratianus *de conſecrat. diſt.* 4. Et rationem reddit huius cœremoniæ S. Th. 3. p. q. 79. art. 10. in corpore, nempe quia recenter baptizati habere debent a quibus erudiantur in pugna ſpirituali, iuxta morem militiæ temporalis, cui electi inſtruendi ſunt a veteranis, & diuturno uſu in re militari exercitatis. Non deſunt qui cenſent cum Landulpho Cartuſiano p. 1. *vitæ Chriſti* cap. 24. compatrum originem repetendam eſſe ab ipſis Apoſtolis, quorum ſenior Andreas Petrum fratrem ſuum ad Dominum adduxit. Patrini adhibendi in Confirmatione.

Patrini ſeu ſuſceptores in Confirmatione debent eſſe non ſolum baptizati, ſed etiam confirmati, ita ut ſi quis non confirmatus alium ſuſciperet, peccaret quidem graviter, ſed aſſerunt communiter Doctores, quod contraheret cognationem ſpiritualem, ut habetur in Sylveſt. Soto, Sylvio & aliis, quia ratione baptiſmatis capax eſſet eiuſdem cognationis ſpiritualis. Suſceptores in Confirmatione nequeunt eſſe pater, mater, vitricius & noverca, cum hoc vetitum ſit a Concil. Londinenſi ſub Innoc. III. anno 1200. can. III. & cap. in *Baptiſmate*, & alibi, etiam propter ſpiritualem cognationem, quam cum confirmando & illius patre ac matre alioquin contraherent. Et S. Carolus in ſuo Concil. Mediolan. V. ſtatuit ne fœminis mares, & e contra ne maribus fœminæ vicem Patrini iungerentur, nec ſenioribus adoleſcentes, cum minime hoc propter ætatem con-

L ve-

veniat, niſi tamen aliter neceſſitas poſtulet. Et Concilium Pariſienſe anno 829. declaravit incapaces ut eſſent patrini, publicos pœnitentes: Monachorum, Abbatum, & Monialium eadem videtur eſſe ratio, quæ in Baptiſmo, in quo ſuſceptores eſſe non poſſunt, ex Concil. Antiſiodorenſi cap. 25. quod refertur *de conſecrat.* diſt. 4. c. *non licet*. Preſbyteri & clerici cum olim adhiberentur in Baptiſmo, ac nunc etiam variis in locis adhibeantur, ſic adhiberi poſſunt in Confirmatione. Standum tamen eſt praxi cuiuslibet Eccleſiæ. Eadem perſona poteſt eſſe patrinus eodem tempore duobus vel tribus.

Patrini baptizatum iam membrum factum Eccleſiæ, nondum tamen Chriſtianæ militiæ adſcriptum, Epiſcopo tamquam duci exercitus adſcribendum offerunt, ſpondentes ſtrenue militaturum, ut ex D. Th. art. 10. Patrini infantes in brachiis tenere debent; ſi vero confirmentur adulti, ponunt pedem suum ſuper pedem patrini, quod fit non ſine myſterii ſignificatione. Hoc non ſolum præcipit Pontificale Romanum, verum etiam Gregorius Magnus in ſuo Sacramentario tom. 3. pag. 73. & antiquus Ordo Romanus. Iure igitur merito S. Carolus in Concil. Mediol. V. ritum hunc *antiquum* appellavit. Patrini tenentur ſicuti eſt compatrum, confirmatum, monere, inſtruere, eique tamquam Duces præeſſe in ſpirituali certamine, & probatæ vitæ exemplo præire. Hinc S. Carolus exigit ut Patrini ſint ætatis ſaltem quatuordecim annorum, cum ante hanc ætatem non cenſeantur apti ad alios inſtruendos: quare ſtatuit Concil. Mediolan. V. quod tam confirmandus, quam ſuſceptores, ſeu Patrini tenere debeant memoria Orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum. Hæc omnia recitent coram Epiſcopo.

De obligationibus Patrinorum,

Patrini etiam Confirmationis contrahunt cognationem ſpiritualem, ſicuti ab iiſdem contrahitur in Baptiſmo, ut conſtat ex Trident. Concil. ſeſſ. 24. cap. 2. *de Reform.* Statuit S. Petrus Cœleſtinus Sæculo 13. ut unus tantum vir, & una fœmina ſint Patrinus, vel Matrina, cum cæteroquin in Baptiſmo pluſquam unus concedatur.

Concilia antea laudata Aquenſe, & Mediolanen. I. ann. 565. prohibuere ne ſuſceptores, ſive ſuſcepti ſive eorum parentibus quicquam, vel minimum largirentur, ne videantur ſpiritualia munera largitionibus officiiſque captari.

De præparatione exter. na ad confirmationem.

Priuſquam Chriſmate ungatur frons Confirmandi, ex Maiorum noſtrorum inſtituto, curandum eſt, ut frons nitida, & munda fiat, abluatur caput, & tondantur capilli, ut habetur in Synodis Meldenſi an. 1570. Mediolanen. 1581. quæ pariter iuſſere ut ſecum deferrent Chriſmandi vittam, ſeu faſciolam ex tela linea, nova, munda, latam tribus digitis ad circumligandas eorum frontes poſtquam uncti fuiſſent ſacro Chriſmate; quæ ſic ligatæ, ac tectæ manebant, donec Chriſma exſiccaretur, aut extergeretur, tanta reverentia ſemper habita fuit erga hoc ſacrum, & ſacramentale oleum. Et antiquitus mos erat deferendi hanc faſciolam ſeptem diebus, ſeu per totam octavam Pentecoſtes obreverentiam ſacri Chriſmatis, ne aliquid de ipſo deperderetur. Unde valde antiquus eſt hic ritus vittarum: De hoc enim non ſolum habetur in Pontificali Egeberti Archiepiſcopi Iorchi, qui vivebat circa medietatem ſæculi 8. & in Pontificali Romano, ſed & in Conciliis Vigorienſe anno 1240. ac Coloniefe anno 1280. Non defuerunt, qui aſſignarent ſuas myſticas rationes huiuſcemodi ritus, & præcipue quoad tempus, quo deferebantur, nempe deferendas eſſe ſeptem diebus ad ſignificanda ſeptem dona Spiritus Sancti. Sed hæc ratio nullius eſt momenti, dum circa initium ſæculi 13. hoc tempus abbreviatum fuit ad tres dies, ut fecere laudata Concilia Vigorienſe, Colonienſe, & Beneventanum anno 1374. ac Trecenſe 1400. Carnotenſe reduxit anno 1526. ad ſpatium 24. horarum; Synodus tandem Lugdunen. ſtatuit anno 1542. ſtatim frontem abſtergendam eſſe, ſed abſtinendum per ſeptem dies a capitis ablutione. Sic paulatim immutatus fuit hic ritus. Et equidem nunc ſtatim poſt unctionem abſtergitur frons Chriſmate goſſipio, iuxta Decretum Concil. Mediolan. V. Bituricenſis, ac aliorum. Synodus laudata Bituricenſis ſtatuit, ut faſciola cremetur, & cineres ſerventur in primam diem quadrageſimæ: ac quædam perantiqua ſtatuta, ut ex P. Marteneo in ſuo Theſauro Anecdot. 4. pag 162. præcipiunt ut Chriſmalium cineres ſepeliantur ſub terram in Eccleſia vel atrio; ædem enim Faſciolæ minime converti poterant in profanum uſum; & ſi in uſum Eccleſiæ converſæ vellent, prius abluendæ ſunt ſale, & aqua, & aqua in ſacrarium verſanda eſt. Quod etiam ſervandum quando faſciolæ confirmatorum levantur ac frontes Confirmatorum lavantur.

Quando conferebatur Confirmatio ſtatim poſt baptiſmum, confirmandus ſolitus erat indui veſte candida antequam Epiſcopo præſentaretur. Ita liber Sacrementorum S. Gregorii

gorii Magni, & Ordo Romanus. In Rituali tamen Severi Patriarchæ ſubſequebatur unctionem, forte quia ſecundum ritus ibi præſcriptos Sacerdos non ſolum frontem, nares, manus, & pedes Neophyti ungebat, ſed & omnia membra; quod fieri non potuiſſet, ſi ante Confirmationem Neophytus veſtem albam induiſſet. Ex quo autem confirmationis ſuſceptio dilata eſt ad aliud tempus a tempore baptiſmatis; non alia veſtium ratio habita eſt, niſi ut eſſent mundæ ac honeſtæ.

§. II.

De Cæremonii, quæ Confirmationem comitantur.

Circa cæremonias Confirmationem comitantes, quinque præcipue attendi poſſunt, tempus ſcilicet, quo ſacramentum hoc conferri ſolet, locus, ordo, ſitus, alapa, quæ datur ab Epiſcopo, pax, & præcatio ſuper confirmandos. Olim tempus Confirmationis idem erat, ac baptiſmi, quia hunc proxime ſequebatur. Baptiſmus ſolemnis in primordiis Eccleſiæ, quolibet tempore, etiam periculum conveniens cenſebatur. Poſtea duos dies ſolemnes, Paſchatis, videlicet & Pentecoſtes ſabbatum ſtatuti & conſecrati ſunt. His autem in nonnullis Provinciis additi ſunt dies Epiphaniæ, aut Natalis Domini, quæ tamen intelligenda ſunt extra caſum neceſſitatis. Verum ex quo hæc duo Sacramenta ſeiunctim adminiſtrari cœperunt, Confirmatio collata fuit, frequentius feriis Pentecoſtes, & quatuor temporum, & quando id fieri poſſit hora tertia, cum iſt hac hora Spiritus Sanctus illapſus ſit in Apoſtolos. Sic ſtatuit Concil. Mediol. V. ſub S. Carolo.

Locus erat ab initio ubique, poſtea vero in templis, & ante ſeparationem Baptiſmatis a Confirmatione in Eccleſia Cathedrali, a qua baptiſterium non longe erat; ſed poſt ſeparationem adminiſtrationis horum duorum Sacramentorum, collatio Confirmationis fieri cœpit etiam in Eccleſiis Pagorum, & Villarum, ut ex S. P. Hieronymo habemus in ſuo Dialogo *contra Luciferianos*. In caſu neceſſitatis conferri poteſt etiam in ipſo ægroti cubiculo, ut conſtat ex auctore libri *de divinis officiis*. Quoad ordinem & ſitum, ſtatuit Ordo Romanus & laudatum Concilium Mediolanenſe, V. ordinavit, ut mares in Eccleſia a parte una, fœminæ ſint ab altera parte, & ſic ſeiunctim diſtincti, genibus flexis, ante pectus manibus iunctis, ordine pio & religioſo orent, in primiſque ab omni ſtrepitu, vociſeratione, inani confabulatione caveant, ac ſilentio ſancto utantur; &, quod veteris ritus eſt, primo mares, deinde fœminæ confirmentur, niſi aliquando Epiſcopus aliter fieri cenſuerit. Frons cruce ſignetur, ut Confirmatus, (inquit S. Thom. 3. p. q. 7. art. 9.) in manifeſto demonſtret ſe eſſe Chriſtianum, ſicuti Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum ſe manifeſtaverunt, qui prius in cœnaculo latebant. Crux vero chriſmate producitur, quia ex S. Bernardo ſerm. 1. *de dedicat.* nec eſt ſine cruce ſequi Chriſtum, & ſine unctione crucis aſperitatem quis ferre poſſet?.. Vere crux noſtra inuncta eſt, & ut ita dicam amaritudo noſtra dulciſſima.

Græci, ut ex Euchologio pag. 360. conſueverunt ungere in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus. Pectus addit S. Cyrillus *Catecheſi* 3. pag. 526. quædam Euchologia addunt unctionem manuum ac pedum, ut habetur apud Iſacium Habertum in Pontificali Græcorum pag. 108. ſed veteres unctionem hanc omittebant, ut teſtatur lib. 1. *Concordiæ* Arcudius; & confirmat Goarius ex mſſ Ferratenſi ex Barberino ex præcitata Cyrilli Alexandrini Catecheſi. Pontifex peracta ſacra chriſmatione leviter impingit alapam confirmato. Quo tempore autem hic ritus cœperit, ignorant Doctores, quia non legitur apud veteres. Qua vero intentione inductus ſit hic ritus non conveniunt theologi. Putant aliqui, ut facilius confirmatus recordetur ſe Sacramentum hoc recepiſſe. Secundum vero Catechiſmum Romanum, & alios communiter, ait Habertus, ut admoneatur, paratum ſe eſſe debere ad iniurias contumeliaſque pro Chriſti nomine, eiuſque Evangelio deinceps perferendas. Aliqui vero ſuſpicantur per hanc cœremoniam deſignari oſculum, quo Chriſtiani in Synaxi mutuam charitatem deſignare ſolebant. Superiores ſiquidem erga inferiores ſuam benevolentiam, amica manus attrectatione ut plurimum teſtantur. Sic laudatus Habertus: unde & Epiſcopus dando alapam, ſubdit: *Pax tibi*.

Pacem igitur dat Epiſcopus confirmato, & orationem fundit, utriuſque quarum meminit Ordo Romanus, & auctor libri *de divinis officiis* cap. de Sabbatto ſancto, & Amalarius lib. 1. cap. 27 Unde ſunt ritus antiqui. Verba hæc, inquit Catechiſmus Romanus, inſtituta ſunt, ut cognoſcat confirmatus ſe gratiæ cœleſtis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum conſecutum eſſe; Vitaſſe, Tournely.

§. III.

De Cæremoniis ſubſequentibus Confirmationem.

Cæremoniæ Confirmatinnem ſubſequentes duæ præcipue ſunt: una eſt vittæ lineæ appoſitio, ſeu circumligatio frontis chriſmati linea vitta ſeu faſciola, & ne chriſma defluat, & ut ſignificetur ſedulo ac attente ſervandam eſſe acceptam grariam in hoc Sacramento acceptam, ſicuti præcipiunt ordo Romanus, Concilia Trecenſe anno 1400. Sennonenſe 1524. Alteraeſt depoſitio vittæ. Uſus harum vittarum talis erat ut in arbitrio Epiſcopi eſſet diſpenſare. Nunc fere ubique frons ſtatim abſtergitur. Elapſo igitur tempore conſtituto confirmatus veniebat ad Eccleſiam, cui vitta linea tollebatur a Sacerdote, ſicuti iam antea notavimus, frons eius lavabatur ſale & aqua; lotio fundebatur in piſcina, & faſcia linea comburebatur, ut conſtat ex laudatis Conciliis Trecenſi & Carnotenſi, & cineres ſervabantur in primum diem Quadrageſimæ, ut habemus ex Synodis Mediolanenſe V. Brituricenſi, Aquenſi. Vitaſſe.

§. IV.

De uſu ſacri chriſmatis in variis benedictionibus.

Quamvis præcipue pro Sacramento Confirmationis conſecrent Epiſcopi ſacrum chriſma; non tamen ad hunc ſolum uſum, ſed etiam ad alias inſervit, nempe 1. ad ſacrorum omnium conſecrationem, ut notat Dionyſius lib. *de eccleſiaſt. hierarch.* cap. 4. *Pontifex*, ait Dionyſius, *ad omnem rei ſacræ conſecrationem hoc divino utitur unguento*. Hoc enim baptizati poſt acceptum Baptiſmum inunguntur a Sacerdote in vertice. 2. Hoc adhibetur ad benedictionem fontis baptiſmalis. *In baptiſterium enim expiatorium*, inquit Dionyſius ibidem, *unguentum aſperſionibus in crucis formam expreſſis Pontifex infundit ut nobis ſpiritualiter exhibeat ipſummet unguentum ſpirituale videlicet Ieſum ad mortem uſque in cruce pro divina noſtra regeneratione demerſum*. Chriſtus enim ſignificat unctionem ſpiritualem; imo ex eit. Dionyſio, eſt unguentum ipſum ſpirituale, cum & ipſe ut homo, conſecratus ſit a Spiritu Sancto, & ita conſecratus cætera conſecret & ſanctificet. 3. Chriſma inſervit ordinationi Epiſcoporum: Pontifex enim electi coram ſe genuflexi primo quidem caput, per quod cap. *cum veniſſet*, mens intelligitur iuxta illud: *Unge caput tuum*, Matth. 6. poſtea ſacro chriſmate inungit ambas manus ſimul iunctas, per quas manus intelliguntur opera, iuxta illud: *Manus meæ diſtillaverunt myrrham*, Cantic. 1. Unguntur Epiſcopo manus oleo pietatis, ut Epiſcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Epiſcopo ungitur caput balſamo charitatis, ut diligat Deum ex toto corde ſuo, ex tota anima, & ex tota mente ſua, & proximum ſicut ſeipſum, propter digniratem & auctoritatem, & unguntur manus propter miniſterium & officium. Caput enim ungitur Epiſcopo, ut oſtendatur illum repræſentare perſonam Chriſti in Eccleſia; (qui caput eſt Eccleſiæ) manus ei unguntur, ut oſtendatur accipere poteſtatem benedicendi & conſecrandi. 4. Adhibetur ſacrum chriſma in ordinatione Sacerdotum, quo Epiſcopus conſecrat eorum manus & benedicit. 5. Inſervit Templorum conſecrationi: Eo enim Pontifex ſignat in modum crucis oſtium Eccleſiæ exterius, & ſingulas ungit duodecim cruces in parietibus Eccleſiæ depictas. 6. Inſervit altarium conſecrationi. Quia cum eo Pontifex format ſignum crucis ſuper altaris tabulam, deinde in medio eius, tum in quatuor angulis, poſtea in eius fronte, & tandem de illo fundit & ſpargit ſuper altare, ut effuſa Spiritus ſancti plenitudo in Chriſtum, qui eſt noſtrum altare, deſignetur, ut ex Dionyſ. lib. *de Eccleſiaſt. hyerarch.* ſub finem. 7. Inſervit conſecrationi ſacrorum vaſorum, patenæ ſcilicet, quam pontifex ſacro chriſmate ab ora in oram tangit; & calicis, quem eodem chriſmate tangit a labio eius in labium. 8. Adhibetur in benedictione campanarum, ſuper quas de ſancto oleo infirmorum ſeptem cruces fiunt a benedicente, & deintus cum chriſmate quatuor pari diſtantia. 9. Tandem adhibetur in benedictione hoſtiarum Papalium ex cera, quæ vulgo dicuntur *Agnus Dei*.

§. V.

De cæremoniis quæ reſpiciunt Chriſma.

De ritu parandi & conficiendi materiam chriſmatis, & eam conſecrandi apud Latinos habetur in tom. 4. Conciliorum Labbæi pag. 348. in fine, & apud Græcos in Euchologio Goarii pag. 639. 640. &c. Bellarminus, Ioſephus Vice comes, & alii loquuntur de cæremoniis generatim Confirmationis, & præcipue Oroſius Auguſtodonenſis lib. 3. *de Gemma animæ*, ubi ritum ſolemnem deſcribit, quo ampulla deferebatur ad alta-

Digitized by Google

altare, illumque myſtice interpretatur. Videri hæc poſſunt etiam in Ordine Romano, in lib. Amalarii *de Divinis officiis*, in Pontificali Romano, in Sacramentario Gregorii Magni &c. Accurate deſcribitur chriſmatis conſecratio a Ruperto lib. 5. *de divinis officiis* cap. 18.

Hæc conſecratio olim fieri poterat quolibet anni tempore ex Concil. Martini Braccarenſis *de conſecrat.* diſt. 4. cap. 124. ex Concil. Toletano I. cap. 20. celebrato anno 400. necnon ex S. Th. 3. part. q. 72. art. 12. ad 3. Et hoc patet ex can. 5. veterum Canonum Eccleſiæ Orientalis. Verum ut habetur ex Concil. Meldenſi cap. 46. & epiſt. Pſeudo-Fabiani, & epiſt. 3. Zachariæ Romani Pontificis ad Bonifacium Eccleſia aſſignavit pro tali conſecratione diem feriæ 5. in Cœna Domini. Iubebantur tamen Preſbyteri circa feſtivitatem Paſchæ petere chriſma ab Epiſcopo, ut videri poteſt in locis relatis, & in Concil. Laptinenſi cap. 3. & in aliis, quia neceſſe erat quod illi haberent chriſma pro ſolemni baptiſmate Paſchali. Vetitum tamen fuit a Concilio Cabillonenſi III. ſæculo 2. can. 26. ne Epiſcopi pro emendo balſamo aliquid a Presbyteris acciperent. Varie de aſſignatione huiuſce ritus in die Cœnæ Domini ſentiunt Doctores: 1. quia ante biduum Paſchæ Magdalena fudit unguentum ſuper pedes Domini, ut ait Iſidorus Hiſpalenſis, & auctor libri *de divinis officiis*. 2. Juxta eumdem auctorem quia quinta ætate mundi Chriſtus ad nos veniſſe perhibetur. 3. Quia, ut ait Rupertus, tali die Agnus immolabatur, & eius ſanguine poſtes ſignabantur. 4. Notat D. Th. 3. p. q. 72. art. 12. ad 3. quia illa die inſtitutum eſt Eucbariſtiæ Sacramentum, ad quod alia referebantur. Illud chriſma quotannis renovandum eſt, & vetus comburendum. Vitaſſe.

T R A C T A T U S
DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

C A P U T I.

De Eucbariſtia prout eſt Sacramentum.

APpoſite hiſce perſolutis, quæ ad rem attinent Sacramentorum Baptiſmatis, & Confirmationis, primo quorum Chriſtianæ Religioni homo initiatur, ſeu in ſpirituali vita regeneratur, viribus firmior altero redditur; ſubſtitui ſolet doctrina de SS. Eucbariſtiæ Sacramento, quod revera, ſi in ipſo contentum inſpiciamus, inter omnia Sacramenta primum eſt dignitate, & excellentia. Conſueverunt tamen Theologi de hoc Sacramento tertio loco diſſerere, præſertim ut opinatur hic Eſtius, quia antiquitus fideles poſt accepta Baptiſmi, & Confirmationis Sacramenta, ſtatim ad participationem Corporis & Sanguinis Chriſti Domini admittebantur in hoc divino myſterio quod immediate eis adminiſtrabatur, ut refert inter alios D. Ambroſius lib. 1. *de Sacramentis* cap. 2. & *de initiandis* cap. 6. Et quia Eucbariſtia cum Sacramentum ſit ſimul & Sacrificium, varia habet nomina, quæ ipſi conveniunt, alia nempe ut univerſim ſumpta, alia prout eſt Sacramentum, alia quatenus eſt Sacrificium, quibus diverſi eius effectus, & proprietates, & aliæ eiuſdem circumſtantiæ, vel etiam dignitas demonſtrantur, vel actiones, quibus conficitur, vel materia in qua conficitur, vel res quam continet, vel tempus inſtitutionis, vel locus in quo celebratur, vel perſonæ ſuſcipientes, vel finis ad quem deſtinatur. Hæc autem Eucbariſtiæ vocabula, alia in ſacris Litteris expreſſa habentur, alia ex illis deducta, plurima addita a Patrum religione, ac pietate, quæ Eccleſia ſuo uſu conſecravit.

§. I.

De nomine, & natura S. Eucbariſtiæ.

Et primo Myſterium hoc univerſim acceptum ut Sacramentum & Sacrificium, dicitur ab actione, per quam conficitur, *Eucbariſtia* a nomine græco, quod latine vertitur bona gratia, & gratiarum actio, ſive quia in ea recipiamus Chriſtum donorum maximum, & gratiarum omnium fontem, ſive quia in ea offerimus Deo ſacrificium gratiarum actionis perfectiſſimæ; etenim per eius oblationem, & ſumptionem gratias Deo agimus pro uni-

verſia eius beneficiis, & præcipue pro beneficio ſuæ Paſſionis, & Mortis, qua nos ab æterna morte liberavit, necnon pro ipſo Sacramento, eiuſque fructu, ut ait S. Chryſoſtomus Hom. 25. in Matthæum. Unde & in ipſa Sacrificii præparatione Sacerdos adſtantes hortatur: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*; & ideo in Concilio Nicæno can. 15. Euchariſtia dicitur Symbolum gratiarum actionis.

Quid nomine Eulogiarum.

Dicitur ſecundo *Eulogia*, ideſt benedictio; itidem ab actione qua conficitur Euchariſtia: *calix benedictionis* (ait Apoſtolus 1. Corinth. 16.) *cui benedicimus nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt?* Nomine Eulogiarum tripliciter utuntur rerum Eccleſiaſticarum Scriptores, 1. ad ſignificandas partes Euchariſtiæ conſecratæ, quæ in ſignum mutuæ communionis, & charitatis ad abſentes Presbiteros per Parochias mitti ſolebant, ut habemus ex epiſt. Innoc. I. ad Decentium. Hæc vero conſuetudo vetita fuit a Concil. Laodicen. can. 14. 2. Ad denotandas partes eas pania, quæ ſupererant ex oblatione fidelium, quæ a Sacerdote precibus ſanctificabantur, & expletis myſteriis illis tantum diſtribuebantur, qui ius habebant ad Communionem, cæteris denegabantur, quibus vel nondum parebat aditus ad Euchariſtiam, vel ob aliquod crimen hic erat eis interdictus, quales erant Cathecumeni, Pœnitentes, & abſtenti a Communione, ut habetur a Theoph. Alexandr. can. 7. Cæterum dabatur Cathecumenis aliqua Eulogia, ut ex S. Auguſt. lib. 2. *de peccatorum meritis & remiſſione cap.* 26. Incertum tamen eſt quænam, num panis benedictua, vel ſal tantum, quod ipſis ſolebat concedi, ut ex eod. S. Aug. lib. 1. *Confeſſ. cap.* 11. & Concilio Carthag. III. can. 53. Ad ſignanda etiam privatorum dona, quibus mutuam communionem, & charitatem teſtabantur, ut ex laudato S. Aug. ep. 31. alias 34. ad Paulinum. Dicitur 3. *Paſcha* a tempore inſtitutionis, iuxta illud Ap. 1. Corinth. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*: Nam Euchariſtia ſuccedit Agno Paſchali, qui ex D. Th. quæſt. 73. art. 6. eſt præcipua eius figura, & 1. quia præfigurabat paſſionem Chriſti immaculati Agni in Cruce immolati, ac proinde Miſſæ Sacrificium, quod eſt commemoratio Sacrificii Crucis, quatenus ille Agnus immolabatur ab univerſo Iudæorum populo. 2. Figura erat Euchariſtiæ ut Sacramentum quatenus comedebatur cum pane azymo. Paſcha inſuper ſignificat Phaſes, ideſt tranſitum, nempe Angeli, qui in percutiendis Egyptiis pertranſiit Iſraelitarum domos, quarum poſtes aſperſæ erant ſanguine agni immolati. Dicitur 4. & hoc a ſuſcipientibus Euchariſtiam *Synaxis* quæ vox cætum ſignificat, collectionem, conventum, congregationem; quia in unum ſolent convenire, & congregari, ut Sacrificio interſint, & participes fiant corporis Chriſti; unde ex hoc dicitur a Latinis *collecta*: ita Eſtius.

Nomina vero quæ conveniunt Euchariſtiæ ut eſt Sacrificium, ſunt 1. *Liturgia*, ideſt ordo & ritus peragendi Sacrificium, ac ideo ita vocatur ab actione qua conficitur. Liturgia vero generatim ſumpta ſignificat officium publicum ſive ſacrum, ſive prophanum: in uſu vero eccleſiaſtico ſumitur ad ſignificandum ſolummodo quodcumque officium publicum in divinis myſteriis celebrandis. 2. *Miſſa*, quod vocabulum eſt latinum a verbo *mitto*, vel quia preces, aut per Sacerdotem, aut per Angelum mittuntur ad Deum ut habetur in Canone Miſſæ, vel quia Chriſtus eſt Hoſtia nobis Miſſa a Deo: hinc Diaconus in diebus Feſtis dimittit populum, dicens: *Ite, Miſſa eſt*, ideſt *Hoſtia per Angelum Miſſa eſt ad Deum*, ut ex D. Th. quæſt. 83. art. 4. ad 9. & hoc nomen pariter quo ita ab actione, qua conficitur, appellatur Euchariſtiæ Sacrificium, eſt antiquiſſimum apud Latinos, ut conſtat ex S. Aug. Serm. 31. *de Tempore*, & ex S. Ambr. lib. 3. ep. 33. necnon ex Concil. Agath. celebrato anno 506.

Dicitur 3. ob eamdem rationem, ideſt, actionem qua conficitur, *Sacrificium panis, ac vini*, quod in fide, & charitate S. Eccleſia Catholica per totum Mundum offerre non ceſſat, ut docet S. Fulgentius lib. *de fide ad Petrum* 19. Dicitur tandem, *Altaris oblatio*, ut patet ex S. Aug. ep. 149. alias 59. Item *communio*, *fractio* panis, &c.

Euchariſtia tandem ut eſt Sacramentum 1. a re, quæ in ipſa continetur, dicitur per Antonomaſiam ſimpliciter, & abſolute *Sacramentum*, quaſi nempe cætera Sacramenta eius comparatione ad Sacramenti dignitatem non accederent. Item *Sacramentum Sacramentorum omnium conſumatio*. 2. A tempore ſuæ inſtitutionis dicitur *Cœna Dominica* aut Cœna Domini tum quia a Chriſto in veſpere primum inſtituta fuit, tum quia ut habemus a Tertulliano lib. *de ſpectaculis* cap. 13. eſt commemoratio ipſius cœnæ Chriſti Domini, tum quia accedentes ad hoc Sacramentum Corpore & Sanguine Chriſti reficiuntur, unde antiquitus orta fuit

con-

conſuetudo quarumdem Eccleſiarum Euchariſtiam ſero poſt cœnam celebrandi, ut ait S. Aug. ep. *ad Ianuarium* 54. alias 118. Prævaluit tamen uſus in univerſa Catholica Eccleſia, ut a ieiunis, ſeu ante omnem cibum perciperetur. Novatores vero abutuntur hoc nomine, ut probent Euchariſtiam non poſſe celebrari niſi in congregatione plurium, ac ideo non eſſe deferendam infirmis. Hinc quidam ex noſtris monent hoc nomen licet uſitatiſſimum apud veteres, nunc debere eſſe minus familiare. 3. A loco ſuæ inſtitutionis dicitur græco nomine *Agapa* ideſt latine *dilectio*. Hoc vocabulo agapæ denominabantur convivia fraterna, ſeu eccleſiaſtici conventus, qui primis ſæculis fiebant a Fidelibus in Eccleſia ad fovendam mutuam fraternam dilectionem: nam in hiſce pauperes cum divitibus uti fratres ſimul accumbebant, & ita pauperes iſto refrigerio iuvabantur ut legimus in 1. ad Corinth. cap. 11. Et quia cum his coniungebatur Euchariſtiæ celebratio, quam aliquando illa Chriſtianorum convivia præcedebant, aliquando vero ſequebantur, ideo Euchariſtia appellabatur etiam *Agapa*, præſertim cum illa ſummæ Dei dilectionis erga nos ſit argumentum, & mutuæ inter fideles ſymbolum fraternæ charitatis, & vinculum.

Quid nomine Agapæ.

Dicitur 4. a ſuſcipientibus *Communio*, quod nomen a veteribus uſurpatur tum pro iure Societatis, commercii, atque conſortii fidelium in iiſdem Eccleſiæ conventibus, precibus, & officiis ſacris, tum maxime pro iure participandi Euchariſtiam, quæ Communio appellatur, quia ex S. Ioan. Damaſc. lib. 4. *de fide Orthodoxa cap.* 14. *per illam Chriſti concorporei ſumus, & de uno pane participantes fideles ſic inter ſe copulantur, ut unum corpus evadant*. Quare qui ob aliquod crimen prohibiti erant a perceptione, dicebantur *excommunicati*. Ab eodem Doctore vocatur etiam *Metalepſis*, quod eſt *aſſumptio*, ſeu *tranſmutatio*, quia fideles per Euchariſtiam aſſumuntur ad communionem cum Chriſto, & in ipſum ſpiritualiter transformantur, ac ideo veteres Euchariſtiam appellabant *fermentum*, quia ſicut fermentum totam maſſam, ita Corpus Chriſti affectiones animi immutat. Habertus, Tournely.

De triplici communionis ſpecie.

Triplex Communionis ſpecies invenitur apud veteres, quarum una dicebatur *eccleſiaſtica*, quæ erat propria clericorum, qui Horariis induti intra cancellos communicabant. Colligitur hoc ex Conciliis Toletano IV. cap. 8. Bracarenſi IV. cap. 4. Alia dicebatur *laica*, quia propria erat laicorum, ad quam mittebantur clerici in pœnam alicuius gravioris criminis; nimirum expoliati omni clericali munere, quo fungebantur, & eius officiis, ac omni honoris, & miniſterii gradu, ad ſtatum & conditionem laicorum deiciebantur; adeoque illi non amplius inter Clericos, ſed ut mere laici ſacris conventibus, precibus intererant, ac Euchariſtiæ communionis participes fiebant ea ipſa ratione, qua participare ſolebant laici. Alia tandem vocabatur *peregrina*, quæ concedebatur clericis viatoribus, quando litteras commendatitias proprii Epiſcopi non exhibebant. Habertus.

5. Ab eius effectibus dicitur *Viaticum* quod vocabulum tametſi dederint veteres aliis etiam Sacramentis, utpote quæ ſint ſubſidia in hac vita, quæ ſtilo Scripturæ via eſt, ac ideo viatores dicimur, ut ex S. Baſil. homil. in S Baptiſma, quod Viaticum dicit, ex Sac. Canonibus, qui abſolutionem ſacramentalem collatam in morte Viaticum appellant; potiori tamen ratione nomen iſtud præ cæteris accommodatum eſt ſacræ Euchariſtiæ, eique datum a Patribus Nicænæ Synodi anni 325. can. 13. & Carthag. IV. can 77. & 78. *quia*, ait D. Th. *hoc Sacramentum præfigurativum eſt fruitionis Dei, quæ eſt in patria, & ſecundum hoc dicitur Viaticum, quia hoc præbet nobis viam illuc perveniendi*. Dicitur 6. a re contenta *Corpus Chriſti, & Corpus Domini* a Tertulliano lib. *de Oratione* cap. ult. & a Theodoreto Dialogo 3. *Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti*. Dicitur 7. Panis a materia, ex qua conficitur Euchariſtia 1. ad Corinth 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* Et Ioannis 6. *Ego ſum panis vitæ*. Hinc etiam a D. Aug. appellatur *Panis cœleſtis* in ep. 120. ad Honoratum, & alibi *Panis Chriſti*, *Panis Angelorum*. Dicitur 8. *Sacramentum* ſeu ſignum, & quandoquidem etiam *figura Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini*, ſcilicet a ſpeciebus panis & vini, quæ Sacramentum vocantur, quia ſignificant Corpus & Sanguinem Chriſti. Unde valde decipiuntur Novatores ex iis colligendo, Patres qui ita locuti ſunt de Euchariſtia, non credidiſſe realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia; ii enim ita nominarunt Euchariſtiam, qui de ea ſcripſerunt ante ortas hæreſes, ut Theodoretus dialogo 3. Sed ii qui vixerunt poſtquam tale venenum irrepſit, curarunt etiam ſuis diſputationibus illud extirpare. Dicitur 9. *Sacramentum novi Teſtamenti*, ut 1. Corinth. 11. *Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine*, quia

hoc tam inſigne pignus ſui amoris morti proximus Chriſtus nobis reliquit.

§. II.

De Figuris Euchariſtiæ in veteri Teſtamento, ac eius definitione.

Venerabile hoc Sacramentum in veteri lege variis figuris adumbratum fuit; Quidquid rabide oblatteret contra pietatem Divi Thomæ, aliorumque Theologorum in ſuo libro *de abroganda Miſſa* impius Lutherus, præcipue dum virulenter inſanit in Officium SS. Corporis Chriſti ab Angel. Doct. mira pietate, ac eruditione elaboratum, quod Urbanus IV. approbavit anno 1261. ubi plures veteres eiuſdem figuras enumerat.

Tria conſiderantur in Euchariſtiæ Sacramento.

Et cum tria conſiderentur in Divino hoc Sacramentum, nempe id quod in ipſo eſt Sacramentum tantum, panis ſcilicet & vinum, ſeu rerum ſpecies; id quod eſt res Sacramenti & Sacramentum, ideſt verum Chriſti Corpus ſub illis ſpeciebus contentum; & id quod eſt res, ſeu effectus Sacramenti; hinc de iis omnibus ſuas figuras in veteri Teſtamento Dominus propoſuit. Et 1. generatim ſpectatum, ideſt ſecundum omnia quæ ſunt in hoc Sacramento continentur nempe panis, & vinum, Corpus, & Sanguis Chriſti, ac gratiæ ſanctificantis effectus, luculenter adumbratum fuit in Agno Paſchali, ut docet inter alios Patres S. Pater Hieronymus in cap. 26. Matthæi, S. Aug. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. S. Leo cap. 7. *de Paſſione Domini*, in quo notat Euchariſtiam inſtitutam fuiſſe poſt eſum Agni Paſchalis, ut ſignificaretur veterem obſervatiam novo Sacramento impletam fuiſſe, ac ideo ſublatam; quia cum Agnus ille ſecundum ritum Legis non tantum immolari deberet, ſed etiam comedi, ſignificabat Chriſtum non tantum ut Hoſtiam, ſed etiam ut cibum. Et quia ſanguis illius Agni conſperſus ſuper poſtes Hebræorum, ſicuti antea iam diximus, eos ſervavit ab Angeli devaſtatione, qua percutiebat Ægyptios, in hoc denotavit effectum Redemptionis Chriſti, quæ nobis per tale Sacramentum applicatur. Et quia inſuper Agnus ille comedendus erat cum pane azymo, materia Euchariſtiæ in hoc ſignabatur.

Figuræ variæ in veteri Teſtamento S. Euchariſtiæ.

Si vero ſpeciatim hoc Sacramentum conſideretur, illius figura ex parte panis & vini 1. fuit Melchiſedech, qui ut legimus Geneſeos 14. cum eſſet Sacerdos Dei Altiſſimi, panem, & vinum obtulit. Sic intelligunt SS. Patres, Chryſoſtomus hom. 25. in Geneſim, Ambroſius l. 4. *de Sacramentis*. 2. Panes propoſitionis qui ſolum ab hominibus mundis, & ſanctificatis comedi poterant, ut habetur 1. Regum; ita S. Pater Hieronymus cap. 1. epiſt. ad Titum. 3. Panes primitiarum, de quibus lege caput 23. Levitici Ita S. Irænꝰus lib. 4. cap. 7. ubi per alluſionem vocat Euchariſtiam panem primitiarum in novo Teſtamento. 4. Panis ſubcinericius, quem Elias 3. Regum cap. 19. manducavit, & huius refectionis fortitudine ambulavit per quadraginta dies uſque ad montem Horeb. Ex parte vero Corporis, & Sanguinis Chriſti, figuræ fuerunt in quantum ad Corpus Sacrificia omnia veteris legis, & præſertim ſacrificium expiationis, quod in Synagoga erat omnium maxime ſolemne, in quo immolabantur duo arietes in holocauſtum, vitulus pro peccato Sacerdotis, & hircus pro peccato populi, ut conſtat ex cap. 16. Levitici. Ita Tertullianus lib. contra Iudæos, S. Auguſt. lib. 17. *de Civit. Dei* cap. 20. aliique Patres. Quantum vero ad Chriſti Sanguinem, figurata fuit Euchariſtia per ſanguinem Teſtamenti, de quo habetur Exodi 24. Unde Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ eadem ferme adhibuit, quæ Moyſes in dedicatione veteris Teſtamenti, ſuamque legem tunc propoſuit, ſicut Moyſes ſuam propoſuerat. Sic Tertullianus lib. *contra Marcionem* cap. 43. Figuræ Euchariſtiæ ex parte effectus fuerunt 1. lignum vitæ, quem Deus plantaverat quaſi immortalitatis antidotum in Paradiſo. 2. Manna quæ data eſt Hebræis in deſerto, & hanc afferunt poſt Apoſtolum 1. Corinth. 10. inter alios Patres S. Chryſoſtomus in cap. 6. Ioan. & S. Ambroſ. lib. 3. *de Sacramentis* cap. 1.

Definitio S. Euchariſtiæ.

Euchariſtiam quamplures ita definiunt, ſeu potius conſcribunt: *Euchariſtia eſt Sacramentum novæ legis conſtans ex viſibilibus ſpeciebus panis & vini, & inviſibili Carne & Sanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ipſemet antequam pateretur inſtituit, ut ſuos qui erant in mundo ſuamet carne nutriret, & ipſi ambularent in fortitudine cibi illius uſque ad montem Dei.* Hanc cæteris prætulit Marbeſius, ac uſurpavit 3. part. *Summæ Chriſtianæ* pag. 137. Cum autem in hac aliqua dicantur, quæ ad definitionem non pertinent, brevius clariuſque ab aliis definitur: *Euchariſtia eſt novæ Legis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum ad cœleſtem animarum noſtrarum alimoniam, in quo Corpus & Sanguis eius ſub ſpeciebus panis & vini vere, realiter, ac ſubſtantialiter continetur.* Dicitur 1. *Sacramentum* ſive ſignum aliquod ex-

Digitized by Google

exterius ſenſibile , quo ſignatur & paſſio Chriſti præterita , ut Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem* . & 1. Corinth. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis* , & divina cœleſtis gratia : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum* , & divina in cœlis gloria , quæ nunquam finire debet , *vivet in æternum* . Dicitur 2. *Sacramentum novæ legis a Chriſto Domino inſtitutum* , & hoc commune habet Euchariſtia cum aliis Sacramentis. Dicitur 3. *ad cœleſtem animarum noſtrarum alimoniam* , in qua ſtat effectus huius Sacramenti. Dicitur 4. *In quo Corpus & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini vere , realiter , ac ſubſtantialiter continetur* . Quibus verbis explicatur eſſentialis differentia Euchariſtiæ ab aliis Sacramentis. Hiſce autem verbis *vere* , *realiter* , & *ſubſtantialiter* uſum eſt Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. ut deluderet , ac refelleret Novatorum errores contra hoc Sacramentum: etenim particula *vere* excludit præſentiam tantum per figuram , & imaginem ; particula *realiter* præſentiam tantum per fidem ; particula *ſubſtantialiter* præſentiam tantum per virtutem a Chriſto diffuſam , ſicuti in his omnibus delirando ipſi autumarunt.

Quod vero Euchariſtia ſit Sacramentum novæ legis a Chriſto Domino inſtitutum , iuxta allata in definitione clare patet ex Scripturis , ubi apertiſſime notatur , nempe apud Matthæum , Marcum , Lucam deſcriptione noviſſimæ Cœnæ Domini , & apud Paulum 1. Corinth. 11. quibus in locis non tantum præcepit Dominus, quod poſtea fieri vellet , ſed ſimul & celebravit hoc Sacramentum, & perpetuo celebrandum Eccleſiæ mandavit ; & cum inſtitutum ſit ſignis quibuſdam externis , & ſenſibilibus , per quæ inviſibilis gratia non tantum ſignificatur , verum etiam confertur , quod iam plenius demonſtrabitur ; conſequens eſt , quod ſit vere & proprie novæ legis Sacramentum , cum his omnibus inſtructum ſit conditionibus ad verum Sacramentum requiſitis , quæ tres ſunt , nempe *ſenſibile ſymbolum* , *Dei inſtitutio* , & *gratiæ promiſſio*. Sic Vitaſſe. Hanc veritatem maxime comprobat communis ſenſus univerſalis Eccleſiæ tum Orientis tum Occidentis , quæ ſicut ab initio a Chriſto per Apoſtolos veritatem huius Sacramenti recepit , ſemper hanc immutatam ſervavit , & fortiter, ac ſtrenue defendit contra quoſcumque errores , quibus ſæpe tentarunt impii homines eamdem ſubvertere , ut Gnoſtici , Manichæi , Meſſaliani , aliique huius furfuris homines , qui ſicuti habetur in Eccleſiaſtica hiſtoria , nolebant Euchariſtiam eſſe Sacramentum , quando ut fatetur catholica Eccleſia , congruum fuit , ut poſt Baptiſmum , & Confirmationem hoc quoque divina ſapientia , bonitas ac providentia elargiretur . Et equidem quemadmodum ad vitam corporalem , præter generationem , per quam homo vivere incipit , & augumentum quo ad ſtatum & perfectionem perducitur , requiritur etiam alimentum quo nutriatur , ac ſervetur in vita , ſic ad vitam ſpiritualem præter Sacramentum Baptiſmi , & Confirmationis , quorum illud eſt quædam ſpiritualis generatio , hoc ſpirituale augmentum; Sacramentum inſtitui oportuit , quo tanquam ſpirituali alimento in eo ſtatu vitæ homo conſervationem acciperet , & hoc eſt Sacra Euchariſtia , quæ per ipſum Corpus & Sanguinem Domini , nos alit , ac in ſpirituali vita conſervat. Eſtius , Vitaſſe cum aliis.

§. III.

In quo conſiſtat ratio Sacramenti in Euchariſtia.

Duæ hic agitari ſolent difficultates cæteroquin inter ſe diſiunctæ. Una inter Orthodoxos ſeu Catholicos Doctores , & eſt , in quo ratio ſeu natura Euchariſtici Sacramenti ſita ſit ſeu conſiſtat: altera Catholicos inter & Etherodoxos , & eſt , an Euchariſtiæ Sacramentum poſitum ſeu ſitum ſit in actione tantum, qua conſecratur , & ſumitur ; an e contra ſit aliquid ex ſe ſtabile ac permanens , etiam extra ipſius uſum.

Circa primam, quæ nunc expenditur , obſervandum eſt 1. ex alias dictis , Sacramenta eſſe ſigna quædam externa a Chriſto Domino inſtituta , ut gratiam conferant. Obſervandum 2. Sacramenta rebus veluti materia , & verbis tanquam forma confici ac perfici. Obſervandum 3. cætera Sacramenta conſiſtere in ſolis actionibus, quibus ad materiam forma applicatur , & gratia homini confertur. Sic in Baptiſmo ſtatim ablutione & verbis ſimul a Miniſtro prolatis induitur vita. Sic conſiſtit Confirmatio in manuum impoſitione , & prece ipſi adiuncta, qua fit Spiritus S. Sancti invocatio.

Obſervandum 4. in Euchariſtia celebranda plura poſſe diſtingui , ideſt 1. varias actiones , quibus illa conficitur , & ſuſcipitur ; 2. panem & vinum quibus conficitur. 3.

Ver-

Verba quibus conficitur, & conſecratur. 4. Species panis & vini quæ poſt conſecrationem remanent. 5. Corpus, & Sanguinem Chriſti, in quæ panis & vinum ſunt converſa. Obſervandum 6. ex his exorta ſunt varia Theologorum placita, ita ut alii putarint Sacramentum hoc conſiſtere in conſecratione materiæ cum hæc ſit actio, qua ad materiam forma applicatur, ut S. Th. 3. part. quæſt. 73. art. 1. ad 3. Caietanus, Durandus: alii in ſuſceptione, ſeu uſu Euchariſtiæ, cum inter alias actiones, quibus Euchariſtia conficitur, hæc ſola gratiam conferat. Alii in conſecratione ſimul & ſumptione, ut Aureolus, & Gabriel. Alii, ut Magiſter Sententiarum in ſpeciebus panis, & vini poſt conſecrationem remanentibus. Alii ut Thomas Valdenſis in Corpore & Sanguine Chriſti. Alii & communiter, ſeu plerumque volunt Euchariſtiæ Sacramentum conſtare ex ſpeciebus ſimul & Corpore & Sanguine Chriſti. Obſervandum 7. Euchariſtiam conſiderari poſſe & in fieri, & in facto eſſe, & Euchariſtiam hoc poſteriori modo, ideſt in facto eſſe ſolere potius conſiderari; & in tali ſenſu Sacramentum non eſt *conſecratio*, quia hæc non confert gratiam homini, ſed eſt pura actio ad conficiendum Chriſti Corpus: Non *ipſius uſus, ſeu ſumptio*, quia nulla actio ſicuti eſt uſus, & ſumptio Euchariſtiæ eſt proprie Sacramentum, quando non eſt actio Miniſtri Sacramentum conficientis. Non *conſecratio & ſumptio ſimul iunctæ*, quia Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibile & efficax ſignum, quod neutræ eorum competit, & inſuper Euchariſtia permanet poſt conſecrationem, & eſt ante ſumptionem, per quod differt ab aliis Sacramentis, quæ ſita ſunt in ſola actione qua conficiuntur, ut ait D. Th. part. 3. quæſt. 73. art. 1. & hoc innuit Concilium Trid. ſeſſ. 13. Non *in ſpeciebus panis, & vini*, ut ex D. Th. loco citato, cum hæ non ſint cauſa gratiæ, ut requiritur in Sacramento, dum Chriſtus Dominus hoc attribuit ſuo Corpori, & Sanguini, quæ ſola præbere poſſunt ſpirituale alimentum, propter quod inſtituta eſt Euchariſtia, non alias panis & vini ſpecies: *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus*, ait Chriſtus Ioannis 6. *Non in Corpore, & Sanguine Chriſti ſeorſim ſpectatis*, quia ita non ſunt ſenſibile ſignum, ſicuti ratio & natura Sacramenti exigit.

Varia Theologorum placita circa id in quo conſiſtat Euchariſtiæ Sacramentum.

Dicendum igitur cum quamplurimis, & communiori, & eſt valde probabile, Corpus & Sanguinem Chriſti in hoc myſterio veram & propriam habere rationem, vel naturam Sacramenti, non quidem abſolute conſiderata, ſed prout exiſtunt ſub viſibilibus ſpeciebus panis & vini; ita ut vere Chriſtus in hoc Sacramento viſibilis eſſe dicatur mediante aliena ſpecie, ſicuti hiſce mediantibus, quibus Corpus & Sanguis Chriſti, ideoque Chriſtus ipſe ineffabili modo coniunctus eſt, dicitur Corpus illius comedi, frangi, ac eius Sanguis fundi & bibi. Hanc ſententiam probat communis uſus loquendi Fidelium, qui hoc Sacramentum, non ſpecies panis & vini, ſed ipſum Corpus & Sanguinem Chriſti dicunt, & colunt. Itidem quia Sacramentum hoc adoratur, & adorandum eſſe docent Patres Concilii Trid. ſeſſ. 13. cap. 5. quod intelligitur non de ſpeciebus, ſed de Corpore & Sanguine Chriſti Domini. Inſuper quia Sacramentum hoc in altari incipit eſſe poſt conſecrationem, quod dici nequit de ſpeciebus panis, & vini, quæ ſunt in altari ante conſecrationem. Unde de ipſo Corpore & Sanguine Chriſti hoc fieri dicendum, nempe Sacramentum eſſe in altari. Sic Eſtius.

§. IV.

De duplici modo quo ſpectari poteſt Euchariſtia, in fieri ſcilicet, & facto eſſe.

Hæc eſt altera difficultas, quæ, ut ſupra iam innui, verſatur Catholicos inter & hæreticos circa conditionem Euchariſtiæ, & eſt circa rationem ſeu naturam ipſius in eſſe Sacramenti, videlicet num ſicut alia Sacramenti in fieri, vel in facto eſſe ſit; ſcilicet, num hoc Sacramentum quoque ſit tranſiens, an vero ad differentiam aliorum ſit permanens. Cum autem Eccleſia catholica teneat Sacramentum hoc etiam poſt actionem ipſius confectionis permanere, hinc eſt quod dupliciter ſpectatur, & ſicuti alia Sacramenti in fieri, & ad differentiam aliorum in facto eſſe, ſeu in ſua permanentia etiam poſt actionem, qua ipſum perficitur. Sacramentum Euchariſtiæ in fieri eſt conſecratio, ſeu converſio panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti Domini, remanentibus ſpeciebus, ad ſpiritualem Fidelium refectionem & alimoniam. Sacramentum hoc in facto eſſe eſt Corpus & Sanguis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis & vini ad Fideles ſpiritualiter reficiendos, & enutriendos. Et ita, ſicut iam vidimus, communiter accipitur hoc Sacramentum, ac proinde definitur iuxta ante allatam eiuſdem defi-

nitio-

nitionem pro Sacramento novæ legis, in quo vere ac realiter continetur ſub ſpeciebus panis & vini Corpus Chriſti Domini & Sanguis, quo Fideles Eccleſiæ ſpiritualiter aluntur.

Hanc duplicem acceptionem Sacramenti Euchariſtiæ non admittunt Novatores, imo prorſus reiiciunt, & acriter ſuſtinent, hoc quoque Sacramentum non ſecus ac cætera non habere aliud eſſe, ſeu ſubſiſtentiam, niſi in fieri, ſive in uſu, & in actuali manducatione, ſicuti Baptiſmus non exiſtit niſi in actuali ablutione: Ita Calvinus lib. 4. *Inſtitutionum* cap. 17. §. 3. Lutherus *in articulis Concordiæ* anno 1536. ex quo inferunt, nullum cultum exhibendum eſſe Pani Euchariſtico, & reliquias ex cœna ſuperſtites in prophanos uſus converti poſſe, & conſumi, utpote quæ nullam prorſus habeant ſanctitatem. Non conveniunt tamen inter ſe ſuper hoc Lutherani: nam alii contendunt præſentiam Chriſti perdurare, & permanere tribus diebus ſub ſpeciebus in gratiam ægrotantium, ad quos intra tale tempus Euchariſtia deferri poteſt, ac poſt triduum conſecrationem evaneſcere. Alii vero inter quos Kemnitius 2. part. *Examinis Concilii Trid.* cap. 3. docet Chriſtum eſſe in Euchariſtia, donec perduret ritus, ſeu actio cœnæ.

Sacramentum Euchariſtiæ in re permanenti conſiſtit.

Eccleſia vero catholica contra huiuſmodi Novatorum errores ſemper ſenſit ac ſentit ut Fidei articulum, Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtere in uſu duntaxat, & in actione tranſeunte, ſed in re permanenti; & ita definivit Concilium Trid. ſeſſ. 13. can. 4. ubi ait: *Si quis dixerit peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante vel poſt: & in Hoſtiis, ſeu particulis conſecratis quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema ſit*. Et hoc clare conſtat ex ipſa Scriptura, ut Matthæi 26. Lucæ 22. ubi habetur, Chriſtum Dominum dixiſſe: *Hoc eſt Corpus meum, hic calix eſt novum Teſtamentum in meo Sanguine*. Et hoc dixit antequam Apoſtoli ſumerent ſymbola. Igitur Corpus Chriſti erat in *manu eius*, & Sanguis eius *in calice*, ac ideo Euchariſtia erat Sacramentum, priuſquam in os Apoſtolorum intraret. Nec verba hæc Chriſti fuerunt promiſſoria rei paullo poſt futuræ, vel prolata in ipſo ſymbolorum uſu, ſicuti volunt adverſarii, & dicunt hoc colligi poſſe ex his verbis S. Marci cap. 14. *Biberunt omnes*; tum enim ſubdit S. Evangeliſta, *& ait illis*: *Hic eſt Sanguis meus* &c. Nam pronomen *hoc* eſt indicativum rei ſenſibilis præſentis. Item ſi Chriſtus non præmiſiſſet verba, ac promuiſſet id eſſe ipſius Corpus, Apoſtoli illud ſumpſiſſent ſine fide, & non ſecus ac cibum potumque communem. Hinc certum eſt D. Marcum ſcripſiſſe per anticipationem *biberunt omnes*: nec aliorum Evangeliſtarum & S. Pauli 1. Corinth. 11. geſtarum rerum ordinem ſervaſſe. Et revera ſic SS. Patres ſenſere præcipue Chryſoſtomus in cap. 10. primæ ad Corinth. ubi ita ait: *Quid eſt in calice? Quod ex latere Chriſti fluxit*: Et S. Aug. *Prologo in pſal.* 33. dicit Chriſtum Dominum in manibus ſuis corpus ſuum geſtaſſe. Igitur procul dubio extabat Sacramentum in calice & manibus Chriſti. Et hoc etiam confirmat perpetua conſtanſque Eccleſiæ traditio ab Apoſtolis uſque ad hæc tempora. Nam S. Iuſtinus diſcipulus & coævus Apoſtolis *in Apologia* 2. refert Euchariſtiam peractis myſteriis ſolere deferri ad abſentes. Idemque teſtatur S. Iræneus auditor S. Polycarpi diſcipuli S. Ioan. Evang. Etenim in ſua epiſt. ad Victorem Papam, qui minabatur ſeparationem a communione Epiſcoporum, qui more Iudæorum celebrabant Paſcha luna decima quarta, recordatur, prædeceſſores ſuos miſiſſe Euchariſtiam ad illos Epiſcopos, qui idem obſervabant. Igitur & Apoſtoli, & eorum diſcipuli credebant Euchariſtiam eſſe Sacramentum etiam in facto eſſe, ideſt permanens etiam poſt actionem.

Inſuper Fideles primævi ſacram Euchariſtiam ſecum aſportabant in ſpirituale nutrimentum, ut clare colligitur a Tertulliano lib. 2. *ad Uxorem* cap. 5. ubi eam deterrens a matrimonio poſt ſuam mortem contrahendo cum infideli, ait: *Non ſciat maritus quod ſecreto ante omnem cibum guſtes*. Ita ex S. Cypriano, S. Baſilio epiſt. 289. ad Cæſaream Patritiam, ubi notat Monachos in deſertum pergentes ſecum Euchariſtiam ferre, ibique cum propriis manibus ſumere. Ex S. Ambr. qui in Oratione funebri fratris ſui Satyri narrat ipſum ſervatum fuiſſe a gravi naufragii periculo favore ſac. Euchariſtiæ, quam collo appenſam habebat. Tandem Euchariſtia ſervabatur infirmis deferenda, ut teſtatur Euſebius in ſua Eccleſiaſtica hiſtoria lib. 6. cap. 44. ubi refert Decretum S. Dionyſii Alexandrini de concedenda lapſis pœnitentibus communione e vita migrantibus, ſi eam poſcant, quando habeatur probabilitas de eorum diſpoſitionibus,

Digitized by Google

bus. Servabatur enim ſac. Euchariſtia in columba argentea, & etiam aurea, vel ex alia materia in Templo ſuſpenſa ſuper altare, de qua fit mentio in vita S. Baſilii, in Teſtamento Perpetui Epiſcopi Turonenſis, qui obiit anno 477. Pater Mabillonius refert quod in ſuo itinere per Italiam invenit in ſacrario Bobbii unam ex his columbis ex metallo, in qua antiquitus ſervabatur ſacra Euchariſtia. Licet tamen valde communis eſſet præcipue in Gallia, & in Oriente mos ſervandi ſacram Euchariſtiam infirmis deferendam, non apud omnes tamen ſervabatur in dicta columba, ſed ubi in pixide, ubi in tabernaculo ad formam turris, ubi in capſula, ubi aliter. Varia tandem fuerunt ciboria ſeu tabernacula pro aſſervanda ſacra Euchariſtia ſecundum diverſitatem locorum vel temporum, & varia etiam materia, ex qua efformabantur, ſcilicet ex auro, argento, lapidibus pretioſis, & etiam ex ligno, & pixides erant etiam ex vitro & cryſtallo: Pater Chardon in ſua Hiſtoria Sacramentorum lib. 2. cap. 13.

Hinc ſequitur, ſacram Euchariſtiam ſupremo cultu colendam eſſe, ſicuti nos docent primævæ ætatis Chriſtiani, ut patet ex Origene homil. 13. in Exod. & S. Ambr. lib. 3. *de Spiritu S.* cap. 11. & præcipue ex S. Aug. qui ait in pſalm. 98. ***In ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem carnem manducat, niſi prius adoraverit.*** Nam cum ubique Chriſtus ſit colendus, præcipue tunc coli debet, cum immenſa ſua charitate ad nos exaltandos ſeipſum demittit.

Nec ullatenus officit noſtræ ſententiæ de cultu Euchariſtiæ exhibendo illud, quod ſcilicet Apoſtoli in ult. Cœna accumbentes eamdem acceperunt, nec officiunt aliqua antiquorum acta, quæ cultui Euchariſtiæ repugnant. Duplex enim eſt adoratio, interna una, & hanc ſemper habuerunt Apoſtoli erga Chriſtum Dominum eorum Magiſtrum, externa altera, & hanc habuerunt quando plus, quando minus ſecundum loci, ac temporis circumſtantias. Unde ſi Apoſtoli accumbebant cum Chriſto viſibili, aſſurgere certe non debebant ad Euchariſtiæ præſentiam, in qua idem ipſe Chriſtus inviſibilis extabat. Ad alia vero reſpondetur generatim cum S. Aug. lib. 2. *de Civit. Dei* cap. 23. ***Non quærimus utrum factum ſit, ſed utrum faciendum: ſana quippe ratio exemplis anteponenda.***

Item neque ex eo quod obiicitur exemplo Sacramentorum novæ legis, quæ conſtare debent rebus tamquam materia, & verbis tanquam forma, poteſt concludi Euchariſtiam non eſſe Sacramentum, eo quod poſtea in ſua permanentia ipſa non conſtet verbis: nam reſpondetur hoc verum eſſe de Sacramento in fieri, non de Sacramento in facto eſſe.

§. V.

De materia Sacramenti Euchariſtiæ.

Materia huius Sacramenti non ſecus ac aliorum duplex eſt, remota nempe, & proxima. Materia remota Euchariſtiæ eſt panis, & vinum. Sicuti enim peccata delenda ac deſtruenda in Sacramento Pœnitentiæ, quæ ideo neceſſario ſunt præſupponenda, dicuntur materia remota huius Sacramenti, ita in Euchariſtia panis & vinum convertenda ac tranſmutanda in Corpus & Sanguinem Chriſti Domini, quæ eo ſenſu deſtruenda præſupponuntur, ſunt materia remota in hoc Sacramento. Hoc manifeſtiſſime conſtat tum ex Scriptura, in qua habemus Chriſtum Dominum in inſtituendo hoc Sacramento, in pane, & vino ipſum confeciſſe, & iuſſiſſe Apoſtolis, ut ipſi quoque ita facerent, quandocumque celebraturi eſſent hoc myſterium in eius commemorationem, ut Matthæi 26. Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. tum ex perpetua & conſtanti Eccleſiæ traditione, quæ ſemper in conficiendo hoc Sacramento uſa eſt pro eius materia ſimplici pane & vino, necnon quoſcumque damnavit, qui alia offerre auſerint: Ita etiam habetur in Concilio Later. 3. anno 397. cap. 24. *In Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam id quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aqua mixtum.* Idem docent, ac præcipiunt Concilia Bracarenſe IV. anno 675. cap. 2. & Trullanum Quiniſextum anno 692. can. 28. Hinc patet error Gnoſticorum, qui Euchariſtiam ex abortivo infante in mortario contuſo conficiebant, ut habet Epiphanius hæreſi 26. quod ſcelus imputatum fuit etiam Montaniſtis ex S. Cyrillo Hieroſolymitano cathecheſi 16. & Arthitarum, qui panem caſeo mixtum adhibebant, Iacobitarum pani oleum miſcentium, Aquariorum qui ex S. Cypriano ep. 63. ſolam aquam offerebant, quales fuerunt Encratitæ, Ebionitæ, ac ipſe Iulianus S. Iuſtini diſcipulus ex S. Epiphanio hæreſi 3. imo alii non pauci Chriſtiani tertio ſæculo ex ſimplicitate & ignorantia, tum etiam ex ti-

ex timore perſecutionis, ne facilius ex odore vini deprehenderentur, & de his loquitur S. Cyprianus ep. 63. ad Cæcilium. Alii lac offerebant in Sacrificio pro vino, quos damnat Concilium III. Carthag. anno 397. alii non vinum expreſſum, ſed uvas integras vel fæces vini aqua immerſas, ut Dani Sacerdotes, quos reprehendit Alexander III in una ſua epiſtola ad Epiſcopum Upſalenſem, & priores damnavit Concilium Bracarenſe IV. anno 675. Alii tandem ſæculo V. utebantur aqua ob ſobrietatem, & dicti ſunt Hydroparaſtatæ, ut legimus in Gennadio lib. *de Dogmatibus Eccleſiæ* cap. 75. Item Manichæi ex S. Leone ſerm. 4. *de Quadrageſima*.

Nec deſunt convenientiſſimæ rationes, quare panis & vinum conſtituta ſint pro materia huius Sacramenti, quod, ut iam diximus, inſtitutum eſt pro noſtra ſpirituali alimonia; & præcipuæ ſunt una ex parte effectus præſentis, quia ſicut pane & vino nutritur corpus, ita corpore & ſanguine Chriſti Domini, quod in hoc Sacramento ſpeciebus panis & vini continetur, nutritur anima, & hoc manifeſtum eſt omnibus Fidelibus ex illo Chriſti Domini Ioan. 6. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. Altera vero ex parte rei commemoratæ, quia per hæc ſymbola convenienter recolitur, & ſub oculis ponitur paſſio, & mors Chriſti, in qua ſanguis a corpore per effuſionem ſeparatus fuit, ſicuti hic ſpecies panis & ſpecies vini ſeparatim exhibentur, & illius ſeparationis ſignificatæ inſinuatio fit per verba conſecrationis calicis, necnon per Evangeliſtas, & per D. Paulum, ac per miſſæ Canonem. Eſtius.

Minime vero obeſt quod obiici poteſt ex can. 4. Apoſtolorum, in quo permittitur offerri uvas, oleum, incenſum. Nam primo hi canones non conditi fuere ab Apoſtolis, ſed collecti ex variis Conciliis. Secundo permittunt hi Canones, ut uvæ, oleum, ac cætera offerantur non ut Sacrificii Euchariſtici materia, ſed ad alendos Clericos, vel ad altaris ornamentum.

Materiam vero proximam Sacramenti Euchariſtiæ volunt alii eſſe converſionem panis & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, quia in aliis Sacramentis, aiunt ipſi, actio miniſtri, puta ablutio in Baptiſmate, impoſitio manuum in Confirmatione, eſt materia proxima; obſtat tamen huic ſententiæ, quod converſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti Domini, nec per ſe, nec per aliud ſit ſenſibilis. Alii volunt materiam proximam, & adæquatam huius Sacramenti eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, utpote quæ ſuccedunt pani & vino, quæ ſunt materia remota totalis, & ſenſibilia ſunt per ſpecies, ſicuti in Sacramento Pœnitentiæ dolor ſenſibilis redditur per confeſſionem, aliaque ſigna pœnitentis; tum quia ſi aliud poſſet aſſignari, eſſent ſpecies panis & vini; ſed hæ aſſignari nequeunt, utpote quæ non ſint ſigna gratiæ productiva.

Communior tamen, ac verior etiam videtur ſententia illorum, qui ſtatuunt, corpus & ſanguinem Chriſti, & ſpecies panis & vini eſſe duas materias proximas partiales huius Sacramenti, ex utraque quarum ſimul ſumptis exurgit materia proxima totalis, & adæquata: Et hoc patet ex verbis ipſius Concilii Trid. ſeſſ. 13. can. 1. ubi ait: *Si quis negaverit in SS. Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem Chriſti* &c. Quare ſi corpus & ſanguis Chriſti non ſunt Sacramentum, ſed in Sacramento, ſicuti anima hominis in corpore, contineri dicuntur, ſpecies quæ ſunt illud quod ulterius requiritur ad naturam Sacramenti, ſunt ipſius vera partialis materia. Etenim hæ non ſolum ſenſibiliter demonſtrant corpus & ſanguinem Chriſti, ut nutus pœnitentis eius dolorem, & ſponſorum conſenſum interiorem ad Matrimonium; ſed inſuper ſignant nutritionem ſpiritualem ſeu gratiam nutritivam animæ, prout ſcilicet coniunctæ cum corpore & ſanguine Chriſti fiunt ſpiritualis animæ cibus & potus. Nam licet corpus & ſanguis Chriſti totam vim ſanctificandi independenter a ſpeciebus accipiant a Verbi divinitate, in quo ſubſiſtunt; non habent tamen naturam Sacramenti niſi per ſpecies, ideſt non conſtituuntur ut cibus animæ & potus, niſi ratione ſpecierum, ſub quibus extant tamquam aliquid ſubſtantiale contentum, ordinatum ad animæ nutritionem.

Nec valet dicere quod cum corpus, & ſanguis Chriſti, ac ſpecies panis & vini ſint totum Sacramentum, non videntur eſſe poſſe eius materia. Nam reſpondetur quod ſunt totum Sacramentum non in fieri, ſed in facto eſſe; non poſſunt vero cenſeri materia Euchariſtiæ in facto eſſe, bene quidem in fieri.

Euchariſtia unum eſt Sacramentum ſub duabus ſpeciebus. Quamvis enim duæ ſint ſpecies diverſæ in hoc Sacramento, panis ſcilicet & vini, non ideo tamen duo ſunt diſtincta Sacramenta ſpecie diſtincta: Nam Patres

Patres annumerantes Euchariſtiam aliis Sacramentis, eam recenſent, inter alia non ut duo Sacramenta, ſed ut unum tantum. Cap. *Multi*, & alibi apud Aug. lib. *contra Fauſtum* cap. 14. & lib. 5. *contra Donatiſtas* cap. 20. & *de doctrina Chriſti* lib. 3. cap. 9. Et eo vel maxime hoc patet, & probatur, ex eo quod Euchariſtia ſit Sacramentum ſeu ſymbolum Eccleſiaſticæ unitatis, ut conſtat ex 1. Corinth. 10. *Unus panis unum corpus multi ſumus omnes qui de uno pane participamus*. Eſtius.

Advertendum tamen, hoc Sacramentum unum eſſe non ut indiviſibile, & continuum, ſed ut totum quoddam perfectum conſtans ex partibus ad totius integritatem concurrentibus, & ad eiuſdem finem & perfectionem requiſitis, ut bene declarat D. Thomas quæſt. 73. art. 2. Nam Sacramentum hoc ordinatur ad ſpiritualem refectionem corporali reſpondentem, ita ut ſicuti ad unam refectionem corporalem integram duo requiruntur, cibus & potus; ſimiliter ad integritatem refectionis ſpiritualis duo concurrunt, cibus nimirum ſpiritualis, & ſpiritualis potus, quorum etſi effectus forſan non ſint diverſi, ſicuti in refectione corporali, ſpecies tamen externa ſecundum cibi & potus rationem quam habent, eſt diverſa. Quocirca materialiter quidem ratione partium plurali numero *Sacramenta* vocari poteſt hoc Euchariſtiæ Sacramentum, ut ſæpenumero in divino Officio vocatur; partibus enim conſtat, necnon utraque ſeorſim ſumpta eſt vere Sacramentum; formaliter vero ſeu perfective, ut aiunt, totum ipſum unum eſt ſpecie Sacramentum. Eſtius. Nam in lege nova ad multiplicationem ſpecificam Sacramenti non ſufficit multiplicitas partium, ſed requiritur inſuper multiplicitas finium, qui ſpecie ſint diverſi, & hæc diverſitas ſpecifica finium non invenitur in Euchariſtiæ Sacramento, in quo hic unus tantum finis adæquatus habetur, ſcilicet animæ refectio, quæ ad ſimilitudinem corporeæ, a qua deſumpta eſt metaphora, cibo ac potu perficitur. Eſtius ſupra laudatus.

Num vero Euchariſtiæ Sacramentum ſicuti unum eſt ſpecie, ſit etiam unum numero vel multiplex: ad hoc diſcutiendum advertendum eſt, ſpecies dupliciter conſiderari poſſe, vel ut ordinatæ ſunt ad unam refectionem, puta unius Sacerdotis, qui utramque ſpeciem conſecravit, & tunc Euchariſtia eſt unum numero Sacramentum, quia in hac ſuppoſitione eſt unicum ſignum totale eiuſdem gratiæ nutritivæ; vel ut ſunt ordinatæ ad plures refectiones, ut hoſtiæ in pixide, & tunc multiplex eſt numero Sacramentum quia ſunt plura numero diſtincta ſigna gratiarum numero diſtinctarum. Ex quo ſequitur, quod ſi unus ſimul plures ſumeret hoſtias conſecratas, etiam tunc eſſet unum numero Sacramentum, quia eſſet unum ſignum formale unius refectionis. Habertus.

Contra tamen obiicitur, quod ſi una eademque ſubſtantia panis eſſet ſub diverſis accidentibus, unus eſſet numero panis: igitur cum idem ſit Chriſtus ſub diverſis ſeu diſtinctis ſpeciebus, unum erit numero Sacramentum. Reſp. negando conſequentiam & paritatem. Diſparitas eſt, quod denominatio panis repetitur a ſola panis ſubſtantia; denominatio Sacramenti non repetitur a ſolo corpore Chriſti, ut iam notatum eſt, ſed etiam a ſpeciebus quas partem eſſe diximus, ideſt materiam partialem Sacramenti.

§. VI.

De materia remota Euchariſtiæ, quæ eſt panis & vinum, necnon de eius quantitate & præſentia.

Cum propria materia remota Sacramenti Euchariſtiæ ſit panis & vinum; quod attinet ad panem eiuſque ſubſtantiam, de quo primum agimus, certum eſt debere eſſe panem triticeum, nempe confectum ex ſola farina tritici aqua diluta, & ad ignem coctā, ita ut ex omni & ſolo tritico fieri poſſit panis, qui ſit apta idoneaque materia huius Sacramenti, quia non dubitatur, imo pro certiſſimo tenet Eccleſia, Chriſtum triticeum panem, qui ſolus tunc temporis erat in uſu communi apud Iudæos, in huius Sacramenti materiam aſſumpſiſſe, ideſt non aliam materiam adhibuiſſe in huius Sacramenti inſtitutione, hancque ut neceſſariam tali myſterio conficiendo præcepiſſe hiſce verbis, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, cum & ſeipſum grano frumenti comparaſſe legatur in Evangelio: deinde quia, ut D. Thomas docet quæſt. 74. art. 2. In uſum Sacramentorum aſſumitur talis materia, quæ communiter apud homines in talem uſum venit: porro nomine panis quo communiter homines utuntur, non intelligitur niſi panis triticeus, nam alius panis improprie & cum addito dicitur panis v. g. panis hordeo dicitur panis hordeaceus, Ioan. 6. & e contra panis confectus ex tritico non vocatur niſi ſimpliciter panis, ideſt ſine illo addito, nec alii adhibentur niſi in huius de-

Panis triticeus eſt ſola materia Sacramenti Euchariſtiæ.

fe-

ſectum. Adde quod panis triticeus magis quam cæteri confortet hominem; idcirco convenientius effectum ſignificat huius Sacramenti. Et hoc conſtat etiam ex conſtanti Eccleſiæ traditione & praxi, quæ nunquam niſi in pane triticeo celebravit, ut patet ex Decreto Eugenii IV. & ex actione 3. Concilii Chalcedon. anno 450. ubi accuſata fuit Dioſcori Epiſcopi Alexandrini avaritia, qui cauſa fuit quod defectu frumenti in Lybia non fuit oblatum Sacrificium, & ex pluribus aliis Conciliis, & præſertim Lateranenſi IV. cap. *Firmiter*, Tridentino & Florentino, ubi ſic: *tertium eſt Sacramentum Euchariſtiæ cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*.

Ex dictis igitur ſequitur 1. ex oriza, avena, hordeo, millio &c. vel ex leguminibus, radicibus herbarum, fructibus arborum, item ex tritico non puro ſed mixto, v. g. hordeo, vel avena, ſi pars ſeu quantitas tritici non ſit notabiliter maior, quia alias non eſſet panis ſimpliciter triticeus, ut habetur in Miſſali Rom. de defectibus, fieri non poſſe panem aptum ad conficiendam Euchariſtiam. Si tamen farina alterius ſpeciei ſit in parva quantitate, ut panis morali æſtimatione cenſeatur triticeus, poteſt eſſe materia Euchariſtiæ, quia ut ait D. Thomas modica permixtio non ſolvit ſpeciem, cum modicum abſumatur ab eo quod copioſum eſt. Verum reverentia debita tam venerabili Myſterio exigit, ut panis ſit ex puro tritico & albo. Nequit autem licite conſecrari panis confectus ex grano, de quo dubitatur an ſit verum triticum, quia in Sacramentis, quæ non ſunt de neceſſitate medii nunquam licet adhibere materiam non certam; alioquin ſine urgenti neceſſitate nullitatis periculo Sacramentum exponeretur, ac proinde licet D. Thomas quæſt. 14. art. 8. ad 2. exiſtimet panem ſeligenum eſſe materiam ſufficientem, eo quia ſeligo oriatur ex frumento, nec ab eo eſſentialiter differat; & idem de hac, necnon de ſpelta quoque, farre & hordeo, quia parum differunt a frumento, ſentiat Eſtius; tamen cum hæc communiter accipiantur ut diverſæ ſpeciei a frumento, non ſecus ac ea quæ ex frumento in diverſam ſpeciem degenerarunt, ob adductas rationes in materia dubia, ſalva ſemper debita reverentia tam inſignibus Theologis, neutiquam uſurpanda ſunt pro materia Euchariſtiæ conficiendæ, ut docent Habertus, & P. Antoine. Hinc nec quoque maſſa cruda, vel farina aqua roſacea, aut alio liquore diluta, ex quibus non fit panis, puta lacte, butirro, mele, ovis, ſaccaro &c. ſunt materia valida Euchariſtiæ conſecrationi, quia nullatenus eſt nec dici poteſt panis, ſicuti nec altera quæ communiter appellatur *placenta*. Si tamen liquores illi eſſent in exigua quantitate, ut aqua prædominaretur, tunc valida eſſet conſecratio, tametſi illicita, quia quæcumque mixtio fiat, ſemper illicita eſt.

Quantitas materiæ huius Sacramenti non ita determinata eſt, ut certa quantitas deſignari poſſit, ſupra, vel infra quam conſecratio fieri nequeat. Ad veritatem Sacramenti ſicuti minima ſufficit, dummodo ſenſu perceptibilis ſit, ſic maxima non impedit, cum Chriſtus nullam quantitatem determinaverit, & cum qualibet quantitate ſtare poſſit veritas formæ, modo cenſeatur ſufficienter præſens. Et licet cenſeatur intentio Chriſti, qui non dedit talem facultatem conſecrandi in deſtructionem, ſed in ædificationem, & mens ac præceptum Eccleſiæ, quod tanta quantitas conſecretur, quæ moraliter loquendo, & ex prudenti iudicio proportionata ſit communioni Fidelium, unde inferunt quidam Theologi, quod ſi quis integram panis officinam conſecraret, nulla eſſet conſecratio; tamen hoc nimis probat, quia ex hoc ſequeretur, non conficere Euchariſtiam Sacerdotem, qui ſua poteſtate contra Chriſti intentionem abutitur, quod eſt abſurdum; alias damnanda eſſent Sacrificia ſacrilegorum Sacerdotum, & hoſtiæ ab iſtis conſecratæ, ut ait Habertus. Hinc melius ſentiunt ii, qui illicitam quidem, ſed validam exiſtimant conſecrationem factam contra Chriſti intentionem, & Eccleſiæ mentem ac præceptum, ac ideo peccaret talis imprudens, & parum timoratus Sacerdos contra mentem Chriſti, & Eccleſiæ, conſecrando ſcienter multo maiorem quantitatem quam communicandorum numerus exigeret. Et patet hoc ex epiſt. ſub nomine S. Clementis, in qua habetur: *Quanta populo ſufficere debeat*; & hoc confirmant etiam Summorum Pontificum Decreta, qui vel damnarunt eos qui duas formulas miniſtrabant, vel maiorem vini quantitatem infundebant eo devotionis prætextu, quod ex longiore Chriſti Domini permanentia in ſtomaco maiorem ex opere ſaltem operantis fructum perciperent. *De quantitate materiæ conſecrandæ.*

Ad valide conſecrandum, & Sacramentum hoc conficiendum neceſſe eſt, ut materia conſecranda, panis ſcilicet & vinum præſentia ſint Miniſtro conſecranti; præſen- *De præſentia materiæ conſecrandæ.*

ſentia, dico, more humano, quo videlicet quid præſens dicitur, quod veluti in uſum humanum poſſit indicari, dicendo *hoc eſt*: Nam cum hoc Sacramentum inſtitutum ſit, & collatum hominibus ad ipſorum uſum, modo quoque humano facienda eſt demonſtratio. Unde ſicuti particula *te* in Baptiſmo, & Pœnitentia rem ſenſibiliter præſentem demonſtrant, ita fieri debet per particulas *Hoc* & *Hic* in Euchariſtia; ita ut ſicut non poteſt baptizari nec abſolvi, niſi perſona præſens, ſimiliter non poteſt conſecrari niſi materia ſufficienter præſens. Et hæc veritas conſtat ex traditione, & praxi Eccleſiæ fundata in ipſius Chriſti facto, & exemplo, qui in inſtituendo hoc Sacramento materiam ſibi actu præſentem conſecravit, nec aliam poteſtatem ab ipſo Apoſtoli receperunt, niſi faciendi quod & ipſe fecit, & hoc exigit veritas etiam ipſa formæ, quæ continet demonſtrativum pronomen *hoc* & *hic*. Nihil enim demonſtrari poteſt ad ſenſum, niſi quod præſens eſt; alias poſſet Sacerdos, ut notat P. Antoine, conſecrare unica formæ prolatione totum panem, qui eſt in tota Civitate.

Præſentia vero alia eſt phyſica, ut cum res aliquo ſenſu attingitur, oculis vel manibus, alia moralis, quando res tametſi ſenſu actu non percipiatur, tamen in eo ſita eſt loco, quo perceptibilis ſit a conſecrante, & demonſtrabilis, ſi non in ſe ſaltem in aliquo ſibi coniuncto, aut ordinato ad illam continendam. Sic in cumulo multarum formularum, illæ quæ ſub aliis latitarent, cenſentur nihilominus Sacerdoti præſentes, eo quod ingens formularum cumulus ſe habeat per modum totius, quod utique ſenſibiliter præſens eſt, licet ſingulas eius partes ſenſus non attingat. Nemo enim non videt, quod oſtenſo dolio, vel crumena, moraliter videatur vinum in uno, & argentum in altera incluſum. Non requiritur vero præſentia phyſica, ſed ſufficit etiam moralis, quia cum illa morali præſentia ſtat veritas formæ conſecratoriæ, & materia conſecranda ſenſibiliter demonſtratur; quia, ut communiter, morali præſentia conſecrans ſcit ibi eſſe materiam, hancque ſenſu aliquo modo percipit, niſi in ſe, ſaltem in alio, vel in ſuo toto, vel proxime continente, vel vaſe ad illam continendam deſtinato, illamque habet etiam propinquam, & coram ſeipſo, qualis eſſe debet res, quæ veluti in uſum humanum aſſumenda, ut iam diximus, indicari poſſit hoc pronomen *hic* vel *hoc*; alias præſens non eſſet modo humano: Unde ita advertit Miſſale Romanum de defectibus: *Requiritur ut materia conſecranda in actu conſecrationis ſit coram Sacerdote*. Quare materia valide conſecrari nequit licet proxima, ſeu vicina, ſi ſit a tergo, vel ſub mappa, vel poſt parietem, vel poſt aliquod aliud corpus opacum, quod non habeat rationem techæ, ſeu vaſis proxime illam continentis; ut ſi eſſent clauſa in tabernaculo, cum tabernaculum non ſit vas, ſed locus ſeparatus quo demonſtrato non demonſtretur id quod in eo incluſum continetur, quia tunc materia non eſt moraliter præſens conſecranti, nec ullo ſenſu demonſtrabilis per illa pronomina *hoc* & *hic*. Conſecraret quidem Sacerdos duas hoſtias, quas habet in manu, dum etiam putat ſe unam tantum habere, dummodo conſecrare velit id quod habet præ manibus, cum utraque ſit ei moraliter præſens. Item ſi ex oblivione non aperiret pyxidem ſuper corporale repoſitam, ut monent Rubricæ Miſſalis, valide adhuc conſecraret, quando talis ſit eius intentio, quia ratione continentis proximi ſunt ei moraliter præſentes, quia pyxis eſt vas, quo demonſtrato demonſtratur contentum.

Dixi *ſuper corporale repoſitam*; nam ſi hæ, vel etiam aliæ formulæ extra remanſiſſent vel extra altare, licet prope illud, puta in credentia, non cenſerentur conſecratæ, non præciſe ob defectum præſentiæ, ſed intentionis in Sacerdote, ſiquidem in illo caſu non eſſet intentio Sacerdotis, nec interior etiam virtualis, cum Sacerdos nunquam voluerit conſecrare illas hoſtias contra Eccleſiæ prohibitionem, nec exterior, puta ne quidem exterius Sacerdos facit quod facit Eccleſia, nec iudicant circumſtantes eum in tali caſu velle conſecrare. Idemque dicito de guttis quæ fortuito ceciderunt ſuper pedem calicis. Si particulæ poſitæ ſint quidem in altari, ſed alicubi extra corporale ad latus; res eſt dubia, & maxime pendet ab intentione Miniſtri; Sed ſi poſitæ ſint extra quidem corporale, ſed prope illud v. g. a parte Evangelii inter librum, & corporale, videntur conſecratæ quamvis rubricæ præſcribant; ut ponantur ſupra corporale; ſicuti vere conſecrantur in ciborio clauſo ſuper corporale poſito, etſi rubrica præcipiat quod in conſecratione aperiatur, & poſſunt ſufficienter demonſtrari per particulam *hoc*. Guttæ vini, quæ calici ſeparatæ a toto extrinſecus adhærent, non conſecrantur, quia cum licite conſecrari nequeant, non præſumendus eſt Sacerdos quod eas conſecrare intendat. De iis vero quæ in-

Digitized by Google

intra cuppam ſeparatæ ſunt a toto, varie ſentiunt Doctores. Quare pro praxi expedit ut Sacerdos pro ſemper intendat non conſecrare niſi quod eſt continuum.

Si fiat ut Sacerdos rationabiliter ſit dubius de vera hoſtiarum conſecratione, eas ſumere debet poſt conſummationem utriuſque ſpeciei, & ſi ſint nimis multæ, curare ut ab alio Sacerdote in ſuo Sacro, dum unam vel alteram hoſtiam abſolute conſecrat, eas ſimul conſecrare intendat ſub conditione ſi non ſint conſecratæ, vel ipſe die ſequenti in ſuo Sacro hoc faciat. Si vero dubius ſit de conſecratione alterius materiæ conſtitutæ pro Sacrificio, iterum ſuper illam materiam proferre debet ſub conditione verba conſecrationis. Et ſi dubitet de validitate materiæ, quia v. g. præſumitur vinum eſſe acetum, vel aquam plurimam vino eſſe mixtam, tunc aliam certam conſecrare debet, ut Sacrificium perfectum remaneat, & poſt communionem ſumere materiam dubiam. Pater Antoine ſic.

De modo agendi in conſecratione.

Tametſi Rubricæ præſcribant ut Sacerdos parum inclinatus conſecret, valde tamen indecens eſt, & contra reverentiam tanto Myſterio debitam, quod ad materiam conſecrandam os admoveat, & verba conſecrationis pronuntiet magno conatu, morulas ad ſingula verba interponendo, ut *hic... eſt... calix*, ut ſuo halitu inficiat res oblatas non ſine aliqua intuentium offenſione.

Inſuper ad valide conſecrandum neceſſe eſt, ut Sacerdos ſua intentione materiam conſecrandam determinet in particulari. Ita docet Miſſale Romanum de defectibus. Nam actiones verſantur, & ſunt circa res ſingulariter determinatas. Unde intentio Miniſtri, quæ eſt cauſſa practica tendere debet & verſare circa determinatam materiam; & eo vel maxime quod cum forma conſecrationis demonſtrativa ſit, determinationem requirit rei demonſtrandæ, cum indicari nequeat res indeterminata. Ad hoc tamen non opus eſt quod Sacerdos deſignet ſingulas hoſtias quoad numerum, ſed ſatis eſt deſignari in toto obiecto, ſeu in tota quantitate, quæ proponitur, nempe quia conſecrare intendat omnes formas præſentes licet eorum numerum ignoret, aut hæreat circa illum. Imo dum intendit conſecrare omnes particulas, ſeu hoſtias moraliter præſentes, eas omnes conſecrat, quamvis plures ſint quam volebat. Error enim ſpeculativus non irritat, ſeu non tollit intentionem abſolutam conſecrandi materiam totam præſentem: puta ſi Sacerdos habeat in manu duas hoſtias credens ſe unam tantum tenere, niſi expreſſe ignotam ſua intentione excludat, ambæ conſecrantur. Ita cum Miſſali Romano P. Antoine.

De cautela circa materiam conſecrandam.

Reſtat porro, ut aliquid dicatur etiam de panis qualitate qui adhibendus eſt in ſacræ Eucharistiæ Sacramento, ut ex hac parte quoque eius reverentiæ conſulatur. Quare omni cavendum eſt maiori diligentia, ne panis qui pro conſecratione aſſumitur, vel corruptus ſit, vel corrumpi incipiat, vel vitiari; ſed habeat in ſe qualitates & proprietates boni panis, quod facile eſt cognoſcere ex colore, odore, ſapore, aliiſque accidentibus, quia ſi corruptus eſt uſque ad ſpeciei diſſolutionem, conſecratio ex eo fieri nequit; nam eſſet invalida. Si autem ad corruptionem tendat, rata quidem erit conſecratio, ſed non fieret abſque gravi peccato irreverentiæ Sacramenti, niſi forte neceſſitas excuſet, & metus ſcandali.

Nota nullam poſſe occurrere cauſſam moraliter ſufficientem ad Euchariſtiam conficiendam, niſi in materia certa, ut ex Suarezio; quia ſumma debetur reverentia huic Sacramento, & aliunde non eſt neceſſarium neceſſitate medii.

Tametſi primævis Eccleſiæ temporibus ſæviente perſecutione aſſumerentur pro oblatione panes obvii, ut colligitur ex cap. 2. Actuum Apoſt. reddita tamen pace Eccleſiæ adhiberi cœpit in Eccleſia ſingulare ſtudium & diligentia in præparandis panibus pro uſu ſacræ Euchariſtiæ, & ſic curabatur maiori perfectione qua poſſet, ne adhiberetur niſi panis ad hoc præparatus. Hinc Concilium Toletanum anno 693. reprehendit Presbyteros, qui ex quolibet pane cruſtulam in rotunditatem offerebant, ſtatuitque, ut non aliter panis in altari Domini ſacerdotali benedictione ſanctificandus præponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus. Talis erat communiter circumſpectio in hoc pane parando, quod nemini fidentes omnes propriis manibus panem pro ſacrificio faciebant, & Imperatores ipſi non ſe credebant immunes a tali debito. Fertur a Fortunato, quod S. Regina Radegunda ſexto ſæculo propriis manibus faciebat panem, quem poſtea Eccleſiis diſpenſabat pro uſu in ſacra Euchariſtia, & Cardinalis Hambertus ſcribit contra Michäelem Cærularium, Altaris Miniſtros ſacris veſtibus amictos inter pſalmorum decantationes panem conficere conſueviſſe. Qui pius mos viguit præcipue apud Cluniacenſes, & etiam nunc in Oriente Neſtoriani hoc obſervare dicuntur.

Digitized by Google

tur. Conſtitutiones Cyrilli Patriarchæ Alexandrini vetabant ſub pœna anathematis, ne quis committeret fæminis facere panem pro ſacra Euchariſtia. Sic P. Chardon. & S. Carolus in actione 4. Mediolanenſi part. 2. cap. *de iis quæ pertinent ad Miſſarum ſolemnia*, prohibet ne laici hunc panem præparent. In Ordine S. Benedicti ſeligebantur frumenti grana, & fideli fratri molenda committebantur, teſtibus Lanfranco cap. 3. Decreti S. Benedicti, & Ulderico lib. 3. Conſtitutionum Cluniacenſium cap. 13.

Panis Euchariſtiæ prioribus ſæculis non aliam habuit figuram quam panis communis; quia hic etiam panis erat, quo utebatur primitiva Eccleſia, ut ex Durando in Rationali lib. 4 cap. 53. num. 3. ex Concilio Toletano cap. 6. & Ordine Romano. Poſtea cœpit eſſe figuræ rotundæ, ut ex S. Epiphanio in *Anchoreto* num. 57. Hinc a S. Gregorio lib. 4. Dialogorum hoſtiæ vocantur *coronæ*. Cum autem panis integer, & ſolitus pridem offerreretur, undecimo tandem ſæculo redactus fuit ad formam nummi tenuiſſimi, unde non pauci de tali novitate reclamarunt. Ita vetus Interpres Ordinis Romani apud Caſſandrum in Liturgiis pag. 61.

§. VII.

De pane azimo, & fermentato, & de pane azimo adhibendo in uſu ſacræ Euchariſtiæ.

Statuto iam cum Chriſti exemplo in inſtitutione Sacramenti Euchariſtiæ, & perpetua Eccleſiæ traditione ab Apoſtolis recepta, materiam Euchariſtiæ eſſe panem communem, ſequitur ut certum & indubitatum in ipſius Eccleſiæ doctrina, tam panem azimum quam fermentatum eſſe materiam idoneam, in qua celebrari poſſit Sacramentum corporis Chriſti: Quia cum ad huius Sacramenti materiam nihil aliud requiratur, niſi quod ſit ſimpliciter panis, ideſt triticeus, ut iam antea probatum eſt, nec ullatenus dubitari queat panem triticeum non eſſe verum communemque panem, ſive ille ſit azimus, ſive fermentatus, evidentiſſime patet utrumque eſſe poſſe aptam, idoneamque materiam huius Sacramenti; & de hac veritate Eccleſia Chriſti catholica nunquam dubitavit; imo ne quidem ſuſpicionem habuit, cum uterque fiat ex farina triticea aqua naturali diluta, puro igne cocta, ac proprium habeat uſum panis.

Verum cum viſum fuerit Eccleſiæ, præcipue Latinæ multum convenieris (dico *conveniens*, cum nihil circa hoc præceperit Chriſtus) ſe conformare in celebratione huiuſce Myſterii Chriſti Domini inſtitutioni, qui cum hoc inſtituerit in ultima Cœna cum ſuis Diſcipulis habita ſub Veſperas Feria quinta, ideſt ſub initio Paſchatis Iudæorum, quando comedi debebat panis azimus, & neutiquam fermentatus; creditur in azimis Sacramentum hoc primitus inſtituiſſe; morem induxit, ac ſimul iuſſit Sacramentum Euchariſtiæ in pane azimo eſſe conficiendum. A quo autem tempore cœperit etiam in Latina azimorum uſus, nihil certi habemus apud auctores, cum circa hoc inter ſe diſcrepent. Nam S. Thom. in 4. ſententiarum diſtin. 11. quæſtiunc. 3. Alenſis, aliique veteres Scholaſtici exiſtimarunt, utramque Eccleſiam, Græcam ſcilicet & Latinam, uſam fuiſſe pane azimo uſque ad Ebionitarum hæreſim, qui cum vellent legem veterem ſimul cum Evangelio obſervandam eſſe, ob hoc panes azimos in ſacris Myſteriis uſurpabant, ac ideo in deteſtationem huius erroris reiectis azimis utramque Eccleſiam panem fermentatum ſumpſiſſe. Alii repetunt azimorum uſum ab Alexandro I. Pontifice, qui obiit anno 130. Alii a Melchiade, & Siricio. Alii ut nonnulli Græci Schiſmatici a Leucio ſeu Felice Apollinariſta, qui utebatur exemplo azimi, qui caret fermento veluti ſua anima, ut oſtenderet Chriſtum anima & mente humana eſſe expertem. Alii inter Græcos dicunt ab Apoſtolis Petro & Paulo, univerſæ Eccleſiæ tributa fuiſſe azima, & parvo tempore permiſſa ob multitudinem Iudæorum, qui Apoſtolorum prædicatione ad Fidem converſi erant. Alii finxerunt can. Synodi ſextæ vetitum fuiſſe, & reprobatum uſum azimorum, ut obſervat Hilarion Monacus Græcus lib. *de pane myſtico Græcorum, & de azimo Latinorum*. Sed hic confundit Synodum ſextam, in qua damnatus fuit azimorum uſus, non abſolute & ſimpliciter, ſed ritu & animo Iudaico oblatus. Sed his ommiſſis opinionibus quæ a nulla Schola patrocinantur, tres aliæ remanent, quæ inter periros verſantur.

Prima eſt eruditiſſimi Iacobi Sirmundi Societ. Ieſu, qui in ſua Diſquiſitione de azimo tom. 4. ſuorum Operum contendit uſum fermentati octingentis & amplius annis communiter adhibitum fuiſſe in Eccleſia Latina, & recepta azima medio illo tempore, quod effluxit a ſchiſmate Photii uſque ad turbas Michaelis Cærularii, ideſt ab anno 886. ad annum 1053.

Secunda eſt Patris Mabillonii Ordinis S. Bene-

Benedicti ſingularis eruditionis viri, tum in excellenti Diſſertatione *de Pane Euchariſtico azimo, & fermentato*, tum in Præfatione tertii ſæculi Benedictini, & Chriſtiani Lupi Ordinis S. Auguſtini, ac Doctoris Lovanienſis tom. 3. Scholiorum in Decreta & Canones Conciliorum Diſſert. *de Actis S. Leonis* IX. cap. 7. qui uſum azimi ſtatuunt a tempore Apoſtolorum ſemper permanentem fuiſſe in Eccleſia, nec nnquam adhibitum ſermentatum.

Tertia denique, quæ eſt veluti media inter utramque, & eſt Card. Bonæ lib. 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 25. ultimæ editionis, ubi docet uſum fermentati perpetuum fuiſſe in Eccleſia Græca, & Eccleſiam Latinam prioribus ſæculis promiſcue uſam fuiſſe & azimo, & fermentato, nec ante ſæculum decimum uſum azimi lege communi ac generali ubique receptum eſſe.

Quidquid tamen ſit de his opinionibus, quas hic diſcutere non intendo cum ſolum velim non relinquere Lectorem de his jejunum; certum eſt quod uſus azimorum videtur ex quibuſdam Monumentis eſſe valde antiquus, ſcilicet multo ante tempora Photii cum Leo IX. qui non erat ita remotus a tempore Phocii cum Leo IX. qui non erat ita remotus a tempore Photii, ideoque non ignorans mutationem ſtatutam a P. Sirmondo in illo temporis intervallo in epiſt. 6. ad Michaelem Cærularium, dicat, Eccleſiam Romanam uſum azimorum ab Apoſtolis ſumpſiſſe. Et Rabanus, qui vivebat ante annum 855. quo obiit, lib. *Inſtit. Clericor.* cap. 33. probat exemplo Chriſti Domini panem Sacrificii debere eſſe abſque fermento. Unde dicendum, Concilia, quæ poſt ſæculum 8. uſum azimi præceperunt, ac prohibuere fermentatum, potius correxiſſe abuſum, qui forſan ab aliquibus fiebat offerendi in fermentato, quam legem indixiſſe, qua uſus azimi, qui non fuerit, induceretur. Abſolute autem reprobari nequit uſus fermentati ubi eſt conſuetudo, ut apud Græcos, quem neque Eccleſia ipſa reſpectu illorum improbavit, ut conſtat ex Florentino Concil. habito an. 1438. in quo ſopita eſt hæc controverſia, quæ tamdiu, & tam graviter utramque Eccleſiam exagitavit, dum definitum fuit, utrumque Panem, & fermentatum, & azimum eſſe idoneam materiam Sacramenti Euchariſtiæ. Quod in tali propoſito circa uſum azimi apud Latinos dicere poſſumus, eſt, quod ex rationibus, ſi iis ſtandum eſſet, videatur major quædam ritus convenientia ſi ſacra Euchariſtia celebretur in azimo quam in fermentato; quia in hoc Latini ſequuntur Chriſti exemplum, qui ut patet ex Evangelio, cum Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui inſtituerit poſt Cœnam Agni Paſchalis, quæ ſecundum Legem in azimis peragebatur; in azimis Sancramentum hoc inſtituit, ac primo celebravit. Vetuſtiſſima Eccleſiæ diſciplina de Chriſti inſtitutione in azimis colligitur ex tribus Evangeliſtis, qui referunt Chriſtum comediſſe Paſcha prima die Azimorum; *prima die Azimorum*, inquit Matthæus cap. 26. *acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Et ſimilia habentur apud Marcum cap 14. apud Lucam cap. 22. Tali autem tempore per ſeptem ſequentes dies, quibus Paſcha celebrabatur, & appellabantur dies azimorum, vetitum erat non ſolum comedere, ſed etiam in domibus panem fermentatum retinere.

Uſus azimi vetuſtiſſimum in Eccleſia Latina.

Nec ullatenus valet quod dicunt Græci, aut Chriſtum præveniſſe tempus a Lege præſcriptum, ac ideo ante Iudæos Paſcha celebraſſe, vel Iudæos, qui mortem dare Chriſto moliebantur, Paſcha ſtatuto tempore poſtpoſuiſſe uſque ad Lunam 15. quia tres præcitati Evangeliſtæ viam huic, dicam cavillationi, obtrudunt. *Venit autem dies Azimorum*, ait S. Lucas, *in qua neceſſe erat occidi Paſcha*. Igitur Chriſtus proprio ſtatuto die Paſcha celebravit: nam eodem ipſo die miſit Petrum, & Ioannem dicens: *Euntes parate nobis Paſcha*. S. vero Marcus ait: *Primo die Azimorum quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſca?* Itaque ipſo eodem die, quo Iudæi, Chriſtus Paſcha manducavit. Igitur in azimo, quia nihil omnino fermentati tunc temporis in ſuis domibus retinebant. Et cum Evangeliſtæ, qui afflatu Spiritus S. locuti ſunt, non poſſint ſibi ad invicem contradicere, & blaſphemus eſſet qui alias ſentiret; hinc licet D. Ioannes dicat Chriſtum Dominum ante diem feſtum Paſchæ cœnam inſtituiſſe, nihil dicit contra alios Evangeliſtas niſi quoad modum: cum alii loquantur de die azimorum eccleſiaſtico, qui incipit veſpere ante Feſtum, ſicuti nunc etiam in Eccleſia, quæ veſpere diei antecedentis incipit cum Officio celebrare diem feſtum ſequentem, & D. Ioannes loquitur de die naturali, qui incipit a media nocte diei ſequentis.

Inſuper mirum videtur quod quivis Chriſtianus in dubium revocare poſſit Chriſtum ſtatuto tempore non celebraſſe Paſcha, quia ſi in aliis legalibus, tametſi legi non ſubjaceret, ad aliorum exemplum legalem obſervantiam exhibere voluit, ut in ejus Cir-

cumciſione, in SS. ac puriſſimæ ſuæ Matris Purificatione, in ſui præſentatione in Templo; quomodonam ambigi poteſt, quod non ſe præbuerit exemplar etiam in ritu, qui præcipuus erat in cæremoniis Moſaycis, videlicet celebrandi Paſcha tempore a lege ſtatuto? Ideoque ſicut lex præcipiebat, cœnam in azimis celebraſſe, ac proinde in azimis ſacram Euchariſtiam inſtituiſſe.

Secunda ratio, quæ panem azimum Euchariſtiæ convenientiorem demonſtrat eſt, quia in fermento eſt ſignificatio peccati & corruptionis, non ſolum in veteri lege, quæ propter hoc in ſuis oblationibus fermentum non admittebat, verum etiam apud Apoſt. 1. Corinth. 5. & alibi: Caro autem Chriſti fuit omnino expers peccati, & mortua corruptionem non vidit. Ita Eſtius. Tertia quia Chriſtiani huic Sacramento communicantes debent iuxta monitum Apoſtoli loco cit. epulari *non in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis*.

Sed cum & Græcis non deſint rationes comprobantes convenientiam ſui ritus conſecrandi in fermentato; & Eccleſia utramque conſuetudinem tum azimi Latinorum, tum fermentati Græcorum approbaverit pro vera Sacramenti huius celebratione, ut conſtat ex Concil. Florent. alias citato in Decreto Unionis; advertendum remanet, utramque Eccleſiam; Græcam videlicet & Latinam teneri ſub mortali ſuum ritum ſervare, nempe Latinos conſecrandi in azimo, & Græcos in fermentato. Ita enim præcipit cit. Concilium Florent. quod in Decreto unionis ita habet: *Definimus . . . . ipſum corpus Domini conficere debere unumquemque, ſcilicet iuxta Eccleſiæ ſuæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem*. Et utriuſque Eccleſiæ conſuetudo antiquiſſima obtinet vim legis graviter obligantis, utpote de re gravi. Hinc cap. ult. *de celebrat*. Sacerdos quidam Latinus iubetur privari in perpetuum officio & beneficio, eo quod in fermento conſecraverit defectu azimi. Unde in hoc ex nulla neceſſitate diſpenſari poteſt, ne quidem in conſecratione Viatici pro infirmo, quia præceptum divinum de Viatico non cenſetur obligare niſi quando convenienti modo, & debitis circumſtantiis fieri poteſt, ideſt eo modo, ac convenienti, ſeu decenti ritu, qui requiritur ad maiorem tanti magni myſterii reverentiam.

Advertendum tandem reſtat quod multi dicunt, Sacerdotem Latinum iter facientem per loca Græcorum licite poſſe uti pane fermentato, & Græcum azimo in Occidente, quando in iis locis non ſint Eccleſiæ ſui ritus, cum iuxta D. Auguſt. Epiſt. ad Ianuarium cuique facere licet, quod in ea Eccleſia in quam venit, invenerit, modo divino non adverſetur præcepto. Quod ſi inter Latinos ſit aliqua Græcorum Eccleſia, & inter Græcos aliqua Latina, in iis proprium ritum quiſque ſervare tenetur; quia eo ipſo, quod ibi Templum habent, idem eſt quoad Sacrificium ac ſi eſſent in propriis, nec licet Latino in Eccleſia Græcorum ſita inter Latinos celebrare in fermentato, quia hoc eſt ſpeciale privilegium Græcorum Genti in Eccleſia conceſſum.

§. VIII.

De vino; qui eſt altera materiæ pars Euchariſtiæ.

Altera huius Sacramenti materia eſt vinum de vite ex uvis expreſſum, quo in calice fit conſecratio ſanguinis Chriſti Domini, cum vinum ſit materia pro ſanguinis Chriſti conſecratione determinata, & exhibita a divina Chriſti inſtitutione, ut habetur Matthæi 26. *Cœnæ accumbens vinum conſecravit*; nec ipſi vino quacumque ex cauſa ſubrogari poteſt ſive aqua, ſive quivis alius liquor, licet pro vino communiter alicubi ad potum adhiberetur, & hoc damnat errorem Aquariorum, qui dicti fuere *Hydroparaſtatæ*, & ſunt Ebionei numerati ab Epiphanio hæreſi 30. quia ſola aqua in divino Sacrificio utebantur. Et veritas de tali materia clare conſtat tam ex Evangelio, ubi habetur Chriſtum Dominum conſecraſſe, ac inſtituiſſe Euchariſtiam in pane triticeo, & vino de vite ex uvis expreſſo, & ex perpetua ac conſtanti Eccleſiæ traditione, quæ ſicuti ab Apoſtolis accepit, ita ſemper verum vinum ex vite adhibuit, ac ideo ſemper præcepit hoc uti, & ſub pœna anathematis vetuit, ne quis niſi in vero vino, & neutiquam in aqua vel alio liquore Sacramentum ſanguinis Chriſti Domini conficeret, ut habetur in Concil. Carth. cap. 24. ubi vinum de uvis expreſſum ad Sacramentum hoc requiritur; & de re hac extant varia Capitula apud Gratianum *de conſecrat.* diſt. 2. Idemque habetur tit. *de ſumma Trinitate & Fide* cap. *firmiter*: Et hoc quoque innovavit in ſuis Decretis Concilium Florent. *in inſtruct. Armenorum*: *tertium*, (inquit) *eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite*. Eſtius. Et Patres unanimes ita docent, præ-

præcipue S. Cyprianus in ep. *ad Cæcilium* lib. 2. S. Aug. in lib. *de hæreſi* S. Ioan. Chryſoſt. hom. 23. in Matthæum.

Unde ex his omnibus patet, omne & ſolum vinum vitis eſſe materiam idoneam, ex qua Sanguis Chriſti in venerabili hoc Sacramento conſecrari queat. Neque tamen refert utrum ſit in vino ſpecierum diverſitas, ſcilicet vel ſit malvaticum, vel cyprium, modo ſit vinum extractum ex veris uvis de vite genitis, ac veram vini naturam habeat, nempe ſit uvarum ſuccus, qui communiter vocatur *vinum* ſine ullo addito: Ita ut licet id quod vocatur vulgo *acquavita* ſit ex uvis de vite, quia tamen hoc non eſt vere & proprie vinum, nec pro vino habetur, nec vinum ſimpliciter vocatur, & vini ſpeciem amiſit, non eſt idonea materia pro calicis conſecratione. Multo igitur minus, imo nullatenus apti erunt ad myſterium ſanguinis Chriſti conficiendum alii liquores omnes quicumque ſint aliunde expreſſi, vel arte qualibet facti, ut ſuccus pomorum, aliorumque fructuum, cervifia, etiamſi haberentur aliquo in loco pro vino, vel etiam improprie vinum appellarentur, & vini copia prorſus deeſſet. Similiter ob eamdem rationem conſecrari nequit omphacium vulgo *agreſta*, quia nondum habet naturam vini; acetum quia non eſt amplius vinum, & fit ex corruptione ſubſtantiali vini; ſuccus intra uvas maturas contentus nondum expreſſus; aut vinum in pane vulgo *zuppa in vino*, quia in tali ſtatu non habet naturam vini uſualis; vinum aromatibus ita conditum, ut morali æſtimatione ſpeciem vini amiſerit, ſecus vero ſi alteratio levis ſit, & exigua, tametſi illicite, valide tamen conſecraretur.

Quid de muſto recenter expreſſo. Sic P. Antoine cum aliis. Valide e contra fieret conſecratio in muſto, ſeu vino recenter expreſſo, ut aliquando legimus alicubi factum fuiſſe, nempe ante Sacrificium vinum ex uvis in calice exprimebatur, quia jam habet naturam vini; ſed quia impurum eſt ob admixtas fæces, ut indecens tanto Sacrificio, & Sacramento vetitum fuit. In caſu tamen neceſſitatis, ut ait D. Th. q. 74. art. 5. ad 3. licite fieret conſecratio. Item in vino congelato, ſed reſoluto, non in actu congelationis, ideſt dum eſt congelatum, quia tunc eſt materia incerta; idcirco ſi in hyeme vinum in calice congelaretur, antequam conſecretur, per ignem reſolvi debet, ſed cavendum eſt quantum fieri poteſt, ne congeletur.

§. IX.

De modica aqua vino admiſcenda pro calicis conſecratione.

Contra hunc Eccleſiæ ritum miſcendi aquam cum vino in calicis conſecratione duo exorti ſunt oppoſiti errores. Primus veterum Manichæorum, qui ſola aqua utebantur in calicis conſecratione, uti iam antea innuimus. Alter eorum, qui aquam a Sacrificio omnino reiiciebant, ut Armeni, quos ſecuti ſunt Novatores, Lutherani ſcilicet, & Calviniſtæ qui ſimul hunc ritum calumniati ſunt, ut purum hominum figmentum; ſed eorum Sectatores, inter quos Kemnitius in Examine Concilii Trid. docet aquam in Sacrificio eſſe rem indifferentem, ac liberam, Primum errorem damnavit Trullana Synodus. Contra ſecundum invexit Tridentina ſeſſ. 22. can. 9. Idcirco.

Dicimus cum Catholicorum omnium doctrina quod licet mixtio cum aqua in conſecratione calicis non ſit neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſeu divinæ inſtitutionis, cum in eius primæva celebratione Chriſtus Dominus uſus non ſit in in calicis conſecratione niſi vino; tamen certum eſt hoc neceſſarium eſſe neceſſitate præcepti, non divini, ſed eccleſiaſtici; quia ita ſtatuit Florent. Synodus in ſuo Decreto: *Vino ante conſecrationem* (ait) *aqua modiciſſima adhiberi debere*, & hoc monuit etiam Trid. Concilium ſeſſ. 22. cap. 7. & plura extant in hoc propoſito Summorum Pontificum, aliorumque Synodorum Decreta, ut Alexandri I. ep. 1. Iulii I. apud Gratianum *de conſecrat.* diſt. 2. item Concilii Carthag. 3. & Braccar. 3. cap. 1. aliorumque; Et in Decretalibus *tit. de celebr. Miſſæ* cap. *cum Martæ* & alibi. Immo a Conciliis tum Florent. tum Trid. rationes afferuntur, quæ Eccleſiam moverunt ad hoc præcipiendum; prima nempe quia iuxta SS. Patrum teſtimonia, præcipue S. Cypriani in ſuprad. ep. creditur ipſum Chriſtum in vino aqua permixto conſecraſſe, quia cum, ut ſupponendum, adhibuerit vinum uſuale in ordinariis domeſticis refectionibus, certe non debebat eſſe omnino purum, eo quod vinum pro tali uſu communiter aqua aliquantulum ſaltem dilui ſoleat, ut conſtat ex communiſſima praxi. 2. Quia melius ita repræſentat Chriſti Paſſionem, & præcipue beneficium per ipſum nobis collatum in Sacramentorum vivificatione per Sanguinem Chriſti, qui ex transfixo eius latere efflu-

xit mixtus cum aqua. Tandem quia maxime convenit ad ſignificandum huius Sacramenti effectum, qui eſt unio populi Chriſtiani cum Chriſto ſuo capite: nam ut Apocalypſis 17. aqua populum ſignificat, & Chriſtus vocat ſe Ioannis 15. vitem veram; Aqua vero miſcenda cum vino in calicis conſecratione debet eſſe in quantitate valde modica. Ita docet praxis, & definitio Eccleſiæ, necnon ipſa ratio. In antiquo Ordine Romano apud Patrem Mabillonium, ubi agitur de Miſſa a Summo Pontifice celebranda ita habetur: *Poſt aquæ benedictionem ponit cum cochleari tres guttas aquæ*. Et communis ritus Miſſam celebrandi §. 6. num. 4. præcipit Sacerdoti, ut parum aquæ infundat in calice, & num 9. de Subdiac. miniſtrante in Miſſa ſolemni ait: *infundat paululum aquæ in calice*. Concilium quoque Florent. hoc confirmat, quod ita ſtatuendo affert uſum Eccleſiæ, quia ut ait Concilium Triburicenſe, melius ita ſignificatur Chriſti maieſtas per vinum deſignata, & populi fragilitas figurata per aquam. Et paululum aquæ infundendo tutius agitur, ait S. Thomas, quod aliquando vinum ſit ita debile, ut aqua licet minore in ſua ſpecie facile corrumpatur; unde alias agendo reddi poſſet ſaltem materia dubia Sacramenti calicis, dum ad validitatem huius conſecrationis neceſſe eſt, ut aqua ſit in multo minori quantitate quam vinum, quia materia calicis eſt ſolum vinum uſuale, quod tale eſſe non poteſt, ſi vinum aquæ non prædominetur. Hæc autem aquæ mixtio cum vino neceſſario fieri debet tempore Miſſæ, & in ipſo ſacro calice, alioquin non eſſet cæremonia ſacra, nec ſacram haberet ſignificationem, & ob uſum Eccleſiæ facienda eſt ante oblationem calicis, & graviter peccaret, qui hanc tunc ommitteret, & ſi facta non fuiſſet in oblatione, fieri debet ante conſecrationem calicis, cum uſque ad talem actionem ſubſiſtat ratio, ac tempus præcepti, & ſignificationis, non vero poſt; ac ideo tunc ceſſat tempus, & fieri prohibetur, ut habetur in Miſſali Rom. tit. *de defectibus*.

Aqua miſcenda modica eſſe debet.

Solet hic agitari gravis quæſtio inter Doctores, videlicet num aqua in Sanguinem Chriſti convertatur, & quomodo, nempe num immediate, num poſt converſam in vinum, ut volunt Thomiſtæ: ſed cum hoc magis ſpectet ad Scholam, quam ad conſcientiæ regulas, ad quas præcipue, & melius dicam præciſe tota eſt Moralis Theologia, hinc breviter Theologorum placita ſignabimus, ideſt 1. de Fide non eſſe aquam in vinum converti, eo vel maxime quod tametſi ſæculis duodecimo & tertiodecimo ortæ ſint ſuper hoc graves controverſiæ, nihil plus ſuper hoc Eccleſia ſtatuere voluit, niſi quod Innocentius III. in ſua ad Archiepiſcopum Lugdunenſem exarata in lib. 1. ex iiſdem opinionibus tantum deſcribit aſfirmantem ut probabiliorem. 2. Circa converſionem aquæ in ſanguinem Chriſti Domini, in hoc communiter conveniunt Theologi, ac probant ex SS. Patribus, & Paulo ante laudatis Conciliis, qui aſſerunt Chriſtum Dominum calicem aqua mixtum ſuum Sanguinem feciſſe; unde nunc quoque in huius Myſterii celebratione ante conſecrationem in calice eſt vinum & aqua, & poſt conſecrationem eſt ſanguis Chriſti Domini; & Patres, ac Concilia qui docent totum conſecrari quod offertur, & benedicitur, neutiquam diſtinguunt inter utramque materiam vinum & aquam, ſed dicunt abſolute mixtum illud poſt conſecrationem eſſe ſanguinem Chriſti. Qui enucleatius rem videre cupiat, recurrat ad Scholaſticos, qui fuſius ſecundum ſuum ſtylum rem pertractant.

Tametſi illicita ſit unius ſpeciei conſecratio ſine altera, eſt tamen valida. Illicita quidem eſt, quia cum Chriſtus Dominus inſtituerit hoc Sacramentum ad modum, & ad ſignum integri convivii, quod cibo, & potu perficitur, & ut Sacrificium in quo myſtica, & incruenta immolatione ſui ipſius conſtituti modo quodam mortui ſub ſpeciebus, per conſecrationem expreſſe repræſentaret Sacrificium cruentum in ſe per realem ſeparationem Sanguinis a corpore in ara Crucis peractum; neceſſe eſt ut ambæ ſpecies conſecrentur, ut ſub illarum ſpeciebus prout ſunt panis & vini habeatur vera ratio integri convivii, & prout ſub iiſdem corpus & Sanguis Chriſti myſtice ſeparantur, expreſſe repræſentetur eorum ſeparatio, quæ in Sacrificio Crucis contigit; unde conſecratio utriuſque ſpeciei ex divina inſtitutione, & ideo iure divino eſt de ſubſtantia & integritate tum Sacrificii, tum etiam Sacramenti. Et eo vel maxime, quod Sacramentum non conficitur, niſi in Sacrificio. Hinc Chriſtus Dominus ut utraque materia conſecraretur præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: Et hoc docet etiam Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. Valide tamen una materia ſine alia conſecratur, quia Chriſtus Dominus prius tempore unam materiam conſecravit quam alteram, & Sacerdos pariter conſecrat, & populo adoran-

dorandam exhibet Hoſtiam ante vini conſecrationem: unde ſi Sacerdos per impotentiam, aut malitiam vinum non conſecraret, non ex hoc efficeret quod ſpecies panis non eſſet vere conſecrata: nam formæ veritas, & conſecratio, per quam una ſpecies conſecratur, abſoluta eſt, & independens ab altera conſecratoria alterius ſpeciei; ac ideo exigit ut Chriſtus ſit ſtatim ſub tali ſpecie independenter ab altera; ſecus enim forma eſſet falſa.

§. X.

De forma, ſeu de verbis conſecrationis huius Sacramenti.

Agendo univerſim de Sacramentis ſtatuitur iam cum D. Aug. illa fieri, ſeu perfici ex rebus quæ dicuntur materia, & verbis quæ forma dicuntur Sacramenti: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Cum ita affirmandum ſit de Euchariſtia, quæ ut iam vidimus, eſt verum Sacramentum, his perſolutis quæ ad eius materiam pertinent, nunc examinanda ſequuntur quæ eiuſdem formam reſpiciunt, nempe verba panis, & vini conſecratoria. Nec hic quoque deſunt ſuæ controverſiæ catholicos inter & hæreticos, ac etiam inter ipſos catholicos.

Ommiſſo veterum Manichæorum delirio circa Euchariſticam panis conſecrationem, qui ſomniarunt apud ſe naſci, non vero conſecrari, ut refert D. Aug. l. 20. *contra Fauſtum;* Novatores etiam in errorem impegerunt contra Euchariſtiæ formam, ideſt contra virtutem conſecratoriam verborum, ut Bucerus, qui in cap. 16. Matthæi negat proferenda eſſe verba aliqua in Euchariſtia conficienda, & Calvinus, qui ſomniat Sacramentum hoc ut ſimplicem, nudam figuram Corporis & Sanguinis Chriſti Domini; & licet in lib. 4. *Inſtit.* cap. 17. num. 19. conveniat verba proferenda eſſe in tali Myſterio celebrando, nullam tamen in verbis vim effectivam, ſeu conſecratoriam agnoſcit, ſed ſolummodo narrativam, & hiſtoricam, ad fidem nempe conciliandam ſeu excitandam. Tandem Lutherus cum aliis vim quidem conſecrationis verbis attribuit, ſed non iis ſolis a Chriſto prolatis, ſed & aliis præcedentibus, & ſequentibus, quæ a Sacerdote in myſtica actione proferuntur.

Waldenſes feruntur olim ommiſiſſe verba Chriſti ad conſecrandam Euchariſtiam, & ſolum ad id uſos fuiſſe oratione Dominica, quam pluries repetebant.

Catholici vero, tametſi in eſſentialibus non diſcrepent, non penitus tamen conveniunt circa verba Chriſti conſecratoria: nam a communiori habetur pro forma conſecratoria illa propoſitio: *Hoc eſt corpus meum*, & aliqui Græci exiſtimant, conſecrationem perfici per preces, benedictioneſve Sacerdotis; & verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum* hiſtorice tantum ex præcepto divino recitari. Et hi ſectatores duos valde doctos eruditoſque viros, Alphonſum nempe Salmeronem e Societate Ieſu, & Ambroſium Catharinum Ordinis Prædicatorum ſuæ opinionis inter Latinos habuerunt; & Catharinus præcipue, etiam dum aderat Concilio Trid. hanc propugnavit. Ita vero ad ſentiendum inducuntur ex eo quod Chriſtus Dominus prius panem, & calicem benedixit, in qua benedictione intelligitur oratio, quam affirmaverit: *Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus.* Et huic opinioni favere videtur S. Gaudentius Brixienſis Epiſcopus, dum tract. 2. in Exodum ait: *Cum panem conſecratum, & vinum diſcipulis ſuis porrigeret Dominus, dixit: Hoc eſt corpus meum.* Imo Apoſtolus ipſe 1. Corinth. 10. videtur tribuere conſecrationem oblatarum benedictioni, ideſt preci, ipſoſque Apoſtolos benedictione crediciſſe conſecrare, cum ita ibi loquatur Apoſtolus. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt?* Et ita ſentiunt citati DD. quia Patrum omnium una videtur vox, Euchariſtiam Dei invocatione, gratiarum actione, benedictione perfici. *Ad preces Sanctorum* (ſcribit S. Pater Hieronym. ep. 8. *ad Evagrium*) *Chriſti corpus & Sanguis conficitur.* Ita Origenes homil. 15. in Matthæum: Ita S. Gregorius lib. 7. ep. 64. Et quia eis videtur non poſſe ſtare veritatem huius propoſitionis: *Hoc eſt corpus meum*, ſi per illam panis in corpus Chriſti vertatur, quia vere corpus Chriſti non demonſtraret, niſi præſupponatur facta converſio, cum corpus Chriſti non exiſtat ſub ſpeciebus panis, niſi per conſecrationem. Tandem propoſitio illa: *hoc eſt corpus meum*, neceſſario ſignificat corpus Sacerdotis loquentis, niſi aliud proferatur, quo appareat Sacerdotem loqui in perſona Chriſti. Igitur forma Euchariſtiæ conſiſtere videtur etiam in illis precibus, *ut nobis corpus, & ſanguis fiat Domini noſtri Ieſu Chriſti*, & narratione ſequenti, *qui pridie quam pateretur, accepit panem.... benedixit....* quorum loco dicunt Græci, *& di-*

dicens : hoc eſt corpus meum : nam verba ſacramentalia in tantum operantur, in quantum ſignificant. Sola autem verba repetitæ propoſitionis: *hoc eſt corpus meum*, nullatenus ſignificant corpus Chriſti, ſed potius Sacerdotis celebrantis : igitur illa ſola verba videntur non efficere corpus Chriſti in Euchariſtia.

De verbis conſecratoriis in Sacrificio Euchariſtico.

Quidquid tamen ſit de tali Græcorum, Salmeronis, & Catharini opinione circa præciſa verba conſecratoria Euchariſtiæ, licet Patres Concilii Trid. ut & Salmeronus & Catharinus teſtantur, proſcribere noluerint nec opinionem, nec eius patronos, ideoque non ſit de fide credendum, quod ſola propoſitio : *hoc eſt corpus meum*, ſit conſecratoria; nihilominus non videtur recedendum a communi, imo communiſſima Doctorum ſententia, conſecrationem fieri ſolis prælaudatæ propoſitionis Chriſti verbis, ideſt : *hoc eſt corpus meum*. Et hoc præcipue comprobat non ſolum communis ſenſus totius Eccleſiæ, quæ tametſi circa huiuſcemodi controverſias nihil aliud definierit, cenſet tamen, & tenet tanquam certum, verba Chriſti laudatæ propoſitionis : *hoc eſt corpus meum*, veram eſſe & genuinam formam conſecrationis : ſed in hoc etiam concordat Patrum doctrina, præcipue Irenæi, Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini, aliorumve quamplurium, qui adſcribunt prælaudatis verbis converſionem panis in corpus Chriſti; *Panem . . . . corpus ſuum . . . fecit : hoc eſt corpus meum dicendo*, ait Tertullianus *contra Marcionem* cap. 40. Et licet Eccleſia contrariam ſententiam non proſcripſerit, ea tamen diſplicuit Concilio tum Florentino, tum Tridentino : etenim in Florentino inter cætera Græcis Latini exprobrabant, quod eorum Presbyteri confirmarent, & quod preces verbis Domini adderent in Liturgia, ideſt in Euchariſtica conſecratione. Unde colligitur quod mens Latinorum ſit, conſecrationem fieri ſine precibus. Et ſicuti alienum credebant a Chriſti inſtitutione, Presbyteros tanquam ordinarios Miniſtros confirmare ; ita quod precibus conſecratio perficiatur. In Decreto quod Eugenius edidit ad exponendam Armenis Eccleſiæ Romanæ doctrinam, conſecratio neutiquam precibus, ſed ſolis verbis Domini adſcribitur. *Forma*, inquit, *huius Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum : Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum*. Et conſenſus ipſe Græcorum huic doctrinæ præbitus impulit Concilium ad hoc indicendum, ita cum eorum approbatione ſtabiliendo illis Chriſti verbis perfici conſecrationem. Hanc eamdem doctrinam, tametſi non expreſſerit, ſatis tamen indicavit, imo & præſuppoſuit Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. & 7. Quæ igitur auctoritas opinioni, cui adverſantur communis ſenſus Eccleſiæ, tot Patrum & Conciliorum documenta ? Poteritne Theologiæ prudens ſtudioſus ſeligere ſententiam, quæ licet nota hæreſeos non inuratur, non tamen cenſuram temeritatis effugit? eo vel maxime quod allata in confirmationem contrariæ ſententiæ non ſunt tanti momenti, ut contra communem inducere, ac trahere valeant, dum omnis illorum vis faciliime diluitur.

Et quoad primum nemo inficiare poteſt, benedictionem Domini ſemper, ſed iuxta eius diſpoſitionem efficacem vim habuiſſe quoad effectum ab ipſo intentum. Unde ſicuti quando Lazarum ſuſcitavit Ioan. 11. orationem præmiſit ; ſed hæc oratio fuit ſolummodo diſpoſitiva ad miraculum, non vero immediate ipſius operativa, cum perfectum fuerit quando voce magna clamavit : *Lazare veni foras* ; *& ſtatim*, ait Scriptura, *prodiit qui mortuus fuerat* : Ita in panis conſecratione in ultima Cœna eius prævia benedictio, ſeu oratio efficax fuit, ſed quomodo, & quando ipſe voluit : non enim efficax fuit immediate, & per ſe ſolam ſine verbis ; ſed verbis ipſis vim & efficaciam impetravit, ut dici poſſit, conſecrationem diſpoſitive & mediate per benedictionem, effective & immediate per verba peractam fuiſſe ; & in hoc ſenſu intelligendus eſt S. Gaudentius, nempe, Chriſtum Dominum porrexiſſe Apoſtolis panem conſecratum præparatorie tantum, & inchoate ante verba *hoc eſt corpus meum* : Nam formaliter, & perfecte conſecratum fuit per dicta verba. Ad teſtimonium autem Apoſtoli 1. Corinth. 10. patet, quod Apoſtolus eo loci non intelligit aliquam diſtinctam Chriſti actionem, ſed omnem eius actionem in celebranda Euchariſtia, & monet fideles eam benedictionibus celebraſſe, ut nunc etiam facere ſolet Eccleſia in celebrando hoc myſterio, nempe inter benedictiones, precationes, & gratiarum actiones: non vero hic explicare voluit Apoſtolus quibus verbis Chriſtus conſecraverit ; alias cum ibi mentionem faciat etiam de panis fractione, dici poſſet quod etiam fractio panis fuerit ipſius panis conſecratio, cum ſimiliter dicat : *panis, quem frangimus nonne communicatio corporis Chriſti eſt ?*

Quo-

Quoad tertium, nempe de unanimi Patrum ſententia quod Euchariſtia conſecretur benedictione, prece, gratiarum actione, Dei invocatione, ecquis non videt Patres tunc loqui de omnibus, quibus talis actio peragitur, ſive ex Eccleſiæ, ſive ex Chriſti inſtitutione? Nam his omnibus inſtituta eſt ſacra Liturgia, qua hoc divinum myſterium celebratur; nec alias intelligunt Patres hiſce formaliter, & immediate Euchariſtiam perfici, ſed per ſola Chriſti Domini verba, quæ ſolent ab ipſis ſub nomine *precis* explicari; unde S. Auguſt. lib. 2. *de Trinit.* cap. 4. ait: *Nos corpus Chriſti myſtica prece conſecratum ſumere*. Idcirco quando hoc nomen *precis* legitur apud Sacros Scriptores, dum loquuntur de ſanctæ Euchariſtiæ celebratione, tunc loquuntur de ipſis verbis Chriſti Domini, quæ tacitam orationem involvunt, non vero de illis precibus, quas vel ante, vel poſt conſecrationem facere ſolet Eccleſia.

Ad quartum vero de ſuppoſita præſentia obiecti ad veritatem propoſitionis, quæ præſens illud exhibeat, hoc verum quidem eſt in propoſitione ſpeculativa, non vero in propoſitione practica, quæ ipſum non præſupponit, ſed facit. Nondum ſanatus erat puer Reguli, quando huic dixit Chriſtus: *vade, filius tuus vivit*, nec mulier libera erat ab infirmitate ſua, antequam ei diceret Chriſtus: *Dimiſſa es ab infirmitate tua*, Lucæ 13. Unde cum hæc propoſitio: *hoc eſt corpus meum*, ſit practica, ſufficit ad eius veritatem, quod obiectum ſit tale in ultimæ ſyllabæ prolatione, quale per illam denunciatur. Sic hæc propoſitio ab aliquo prolata: *Ego ſileo*, vera eſt, non dum hanc pronuntiando loquitur, ſed dum loqui deſinit. Quare pronomen hoc panem non demonſtrat, ſed confuſe corpus Chriſti, non ſecus ac ſi quis oſtendens alicui puta librum epiſtolarum Ciceronis diceret: *hæ ſunt epiſtolæ Ciceronis*, in pronomine *hæ* non plus quam confuſe epiſtolæ demonſtrarentur; res enim indicata initio propoſitionis per aliquod pronomen non indicatur niſi confuſe, in fine vero, rei pronuntiatione clare & diſtincte. Et licet verum ſit, quod initio propoſitionis conſecratoriæ *hoc* &c. cum adhuc Chriſtus ibi non ſit, nec diſtincte, nec confuſe demonſtratur corpus Chriſti ſpeculative, demonſtratur quidem practice, eo quod illa propoſitio efficiat, ut ibi ſit Corpus Chriſti, ac reddatur præſens, non quidem cum incipit pronuntiari, ſed quando ſenſus eſt completus. Verba enim Sacramentalia non operantur niſi quatenus ſignificant, non autem ſignificant niſi completa propoſitione.

Quoad quintum tandem difficultas eadem occurrit etiam contra formam Baptiſmi, quia illa propoſitio, *ego te baptizo*, non ſignificat determinate (ſumpta ſolitarie) ablutionem animæ, vel corporis, ſicuti nec illa, *hoc eſt corpus meum*, Corpus Chriſti, aut Sacerdotis: ſed eo ferme pacto, quo forma Baptiſmi determinatur per circumſtantias, & Miniſtri intentionem ad ſignificandam ablutionem, & mundificationem animæ; ita forma Euchariſtiæ ab iiſdem deſignatur, ſeu determinatur ad ſignificandum corpus Chriſti, & vi ipſius converſionem panis in idem Corpus Chriſti. Circumſtantiæ enim ſacrarum veſtium, & cæremoniarum, Altaris, aliorumve, quæ occurrunt ad huiuſce Sacri Myſterii celebrationem, coniunctæ cum intentione, quam Miniſter habeat actionem faciendi, quam in tali celebratione facit Eccleſia, omnia hæc, inquam, coniuncta efficiunt quod Sacerdos proferat verba Chriſti in tali actione non ſolum recitative, & hiſtorice, ſed etiam ſignificative perſonæ Chriſti, ideſt ſe repræſentare in hiſce proferendis perſonam Chriſti, & operari velle quod Chriſtus per ea operatus eſt in ultima Cœna, nempe converſionem panis in ipſius divinum corpus. Imo omnes etiam qui adſunt celebrationi cognoſcunt in Sacerdote perſonam Chriſti, ac ideo eum operari in perſona Chriſti divinum Euchariſtiæ myſterium. Singula autem Chriſti verba ſunt de eſſentia formæ conſecrationis, ac ideo neceſſario recitari debent integre, & ut ſtant: *hoc eſt corpus meum* in conſecratione panis: *hic eſt ſanguis meus*: vel *hic eſt calix Sanguinis mei*, in conſecratione calicis, ideſt vini, quia ſi una etiam ex his vocibus mutetur, vel omittatur, corrumpitur, ſeu mutatur propoſitionis ſenſus, nec amplius Corpus, & Sanguis Chriſti præſentia demonſtratur.

Inquiri tamen hic poteſt quid fieret, ſi verba in alia vocabula mutarentur, puta pronomen *hoc* in pronomen *iſtud*, *illud*, vel *hic* adverbialiter, ſeu *ibi* eſt Corpus meum; & reſpondent Theologi, quod integra eſſet forma ſi loco pronominis *hoc* diceretur *iſtud*, quia illa pronomina idem eodem modo ſignificant. Irrita tamen eſſet forma, & non amplius conſecratoria, primo: ſi loco Corporis diceretur *caro*, quia caro minus ſignificat quam Corpus, cum Corpus ſit quid totum integrale ex carne, ſanguine, oſſibus, nervis &c. Item ſi diceretur *illud*, eo quod pronomen *illud* demonſtrat rem tum præſen-

ſentem, tum abſentem. Item ſi diceretur *ibi* vel *hic*, quia adverbia illa non ſignificant converſionem panis in Chriſti Corpus, aut vini in Sanguinem, ſed ſolum demonſtrant Corpus eſſe in pane, & Sanguinem in vino, quod error eſſet impanationis Lutheranorum. Quoad particulam vero *enim*, certum eſt hanc neceſſariam non eſſe, quia ſine ea integer manet ſenſus propoſitionis. Maior difficultas eſt, quæ a quibuſdam Theologis Scholæ Thomiſticæ movetur circa verba conſecrationis calicis, quæ poſt *hic eſt enim calix Sanguinis mei* ſequuntur, nempe *novi*, *& æterni Teſtamenti*, *myſterium fidei*, *qui pro vobis*, *& pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Nam mordicus ſuſtinent alii, doctrinam eſſe S. Thomæ 3. part. quæſt. 68. art. 3. pertinere ad eſſentiam formæ; ita enim ibi habet S. Doct. *Dicendum eſt ergo quod omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ*. Negant vero alii eam fuiſſe S. Doctoris mentem, cum immediate ſubiiciat poſt allata verba: *Per prima verba* (*hic eſt Sanguis meus....*) *ſignificatur ipſa converſio vini in Sanguinem eo modo, quo dictum eſt in forma conſecrationis panis*. Unde cum panis conſecratio perficiatur per ſola verba *hoc eſt corpus meum* quæ converſionem ſignificat panis in Corpus Chriſti: per iſta etiam *hic eſt Sanguis meus*, calicis conſecratio perficitur, cum hæc pariter converſionem vini in Chriſti Sanguinem ſignificet; ac proinde reliqua pertinent ad integritatem, quam hic S. Doctor vocat *ſubſtantiam*, & neutiquam ad eſſentiam formæ. Cum autem Catechiſmus Romanus expoſitus ſit ſeu digeſtus a quibuſdam Thomiſtis, hinc amplexi ſunt primam ſententiam, cui etiam viſi ſunt favere ſacræ Inquiſitionis Miniſtri ſub Pio II. ut notat Habertus, qui ideo iuſſerunt deleri in Commentariis Card. Caietani propoſitionem, qua negabat, prædicta verba eſſe de eſſentia formæ calicis, utpote qui non ſatis honorifice, ut aliqui cenſent, ibi de S. Thom. loqueretur. Quidquid tamen ſit, ſive prædicta verba eſſentialia ſint conſecrationis calicis, ſive non, certum eſt, conſentaneum eſſe, ea in tali actione adhibere, ſicuti ea ſupra memorata quæ præcedunt panis conſecrationem, necnon alia omnia quæ in Canone continentur, quæ cum ab Eccleſia præcepta ſint, omitti nequeunt ſine aliquo contemptu, ac ideo non ſine gravi culpa, & multo magis ſupradicta verba, quia Eccleſia hæc adhibere præcipit ad Chriſti imitationem, qui iiſdem uſus eſt, exceptis tamen illis duobus, ideſt *myſterium fidei*, quæ habentur a ſola traditione. Per illa enim verba *novi*, *& æterni Teſtamenti* &c. optime deſignantur uſus & efficacia Sanguinis Chriſti, cum nomine calicis Sanguis Chriſti repræſentetur in ratione potus, dum exhibetur in vaſe huic uſui deſignato. Nomine vero *Teſtamenti æterni* ſignificatur æterna diſpoſitio divina dandæ hominibus cœleſtis æternæ hæreditatis. Dicitur *novi* quia Sanguis eius in veteri Teſtamento exhibitus fuit in figura, in novo autem realiter, ac in veritate. Dicitur *calix iſte myſterium fidei*, quia nec ſenſu, nec ratione detegi poſſunt, quæ in myſterio admirabili huiuſce Sacramenti continentur. Cætera vero ſunt ad ſignandam virtutem paſſionis, quæ veluti renovatur in hoc myſterio, & clarius figuratur per Sanguinem ſeorſim a corpore myſtice conſecratum.

§. II.

De ſenſu formæ Euchariſtiæ, ſeu de vera, & reali præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in hoc Sacramento.

Quamvis non ſit hic locus huic ampliſſimæ diſputationi, utpote ex præcipuis, quæ recenſentur inter dogmaticas, ideoque ad illam diſciplinam ſpecialiter ſpectet, ac proinde inter moralia placita non conferenda videatur; nihilominus de hac quoque, (cuius ſcientia perutilis eſt, ac neceſſaria Paſtoribus præcipue, & Confeſſariis, ut eo magis dignitatem huius Sacramenti deprehendant ac venerentur, & etiam ut ea utantur in ſuis Catecheſibus faciendis tum populo, tum pœnitentibus) cenſui non incongruum aliquid hic breviter quidem delibare. Sed cum hanc quoque veritatem non pauci ſacrilegi ſuis blaſphemiis impetiverint, prius hoſce breviter indigitabo. Nec de iis loquor, qui cum Chriſto verum corpus negaverint, ut Manichæi, aliique eorum ſectatores, certe ſimul negarunt realem, ſeu corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, ſicuti negarunt eum natum ex Maria Virgine, paſſum, mortuum &c. Sed de illis hic loqui intendo, qui cum cæteroquin verum Chriſto corpus non negaverint, impugnarunt tamen realem eius præſentiam in Euchariſtiæ Sacramento vi conſecrationis verborum ipſius Chriſti Domini transferendo ea verba a proprio ſuo ſenſu effectivo & naturali ad metaphoricum, aut nude narrativum contra Evangelii doctrinam, & perpetuam Eccleſiæ traditionem ab Apoſtolis receptam. Primus, a quo hæc impietas prodiit fuit Ioannes

nes

Digitized by Google

nes Erigeua Natione Scotus, qui obiit nono ſæculo, ut fertur, anno nempe 884. Et ſæculo undecimo circa annum 1055. hunc errorem ſuſcitavit Berengarius Andegavenſis Archidiaconus, & anno 1122. Petrus de Bruis a quo eius diſcipuli appellati ſunt Petro Bruſiani: an. 1141. Enricus, cuius diſcipuli vocantur Henriciani: anno 1517. Item Ioannes Wicleffus Presbyter Anglus, ſed de hoc incertum eſt, num illius error verſetur circa realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, an vero circa ſolam Tranſubſtantiationem: anno 1525. Carloſtadins Archidiaconus Witembergenſis librum edidit contra realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, cui adhæſit etiam Haldericus Zuinglius. Aliquibus poſt annis Calvinus, ut Catholicos deciperet, in avita doctrina de reali præſentia Chriſti in divino Sacramento, uſus eſt verbis æquivocis, quæ eamdem præſentiam aſtruere videbantur. Sociniani tandem non ſolum docent cum Zuinglianis Euchariſtiam eſſe nudum corporis Chriſti ſignum, & inſuper rationem ei denegant Sacramenti, ac contendunt non eſſe adnexam huic ritui ullam gratiæ promiſſionem; ſed aiunt eſſe gratiæ iam donatæ meram commemorationem. Omnes huiuſcemodi errores ſemper reprobavit, ac damnavit Eccleſia, & præcipue in Concilio Trid. ſeſſ. 13. cap. 1.

De vera reali non metaphorica Chriſti præſentia in Euchariſtia.

Catholica autem doctrina de divino Sacramento docet, verba Chriſti Domini, quæ ad huius myſterii conſecrationem Eccleſiæ tradidit per Apoſtolos, & Evangeliſtas, id eſt *hoc eſt corpus meum*, accipienda eſſe non in ſenſu metaphorico, ſed proprio, & naturali, adeoque *poſt panis & vini conſecrationem* (ait Concilium Trid. in cit. cap.) *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum atque hominem vere, realiter, & ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri*. Comprobant veritatem hanc plurima divinæ Scripturæ teſtimonia; & primo Ioan 6. Dominus promittens nobis hoc beneficium dixit: *panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*: Et controvertentibus Iudæis ſuper talem promiſſionem dicendo: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* ſubiungit Ieſus: *Amen, amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et ut tolleret omnem de hac veritate dubitandi locum, ſubſequitur: *Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. Ecquis non videt hic loqui non de metaphorica, ſed vera ac reali ſui ipſius corporis præſentia? Et quia ita clara eſt hæc Chriſti Domini locutio, ut omnino apertum habeat ſenſum proprium naturalem, ſeu litteralem, nec alias niſi captioſe intelligi poſſit; hæc audiendo Iudæi dixerunt ad invicem: *Durus eſt hic ſermo*, intelligentes manducandam eius carnem, quemadmodum in cadavere dilaniatur caro, aut venditur in macello, ait D. Aug. tract. 27. in Ioannem. Igitur cum hic Chriſtus Dominus non locutus ſit niſi de vera futura ſui manducatione in Euchariſtia, in qua ſe præbiturus erat Fidelibus ad manducandum, verba conſecratoria huius Sacramenti accipienda ſunt in ſenſu proprio, reali, naturali, ſeu litterali, ideoque Chriſtus Dominus eſt realiter præſens in hoc Sacramento. Comprobatur hæc veritas de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia ex verbis ipſis, quibus hoc Sacramentum Chriſtus Dominus inſtituit. Ipſe enim, ut legitur Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. panem & vinum porrigens diſcipulis ait: *Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi, & æterni teſtamenti qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Hæc autem verba certe demonſtrant realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia. Dedit enim Apoſtolis illud corpus, quod pro ipſis traditurus erat paſſioni & morti, & ſanguinem, quem pro multis erat effuſurus: unde realiter corpus ſuum eis præbuit in pane, & ſanguinem in vino calicis, quæ conſecraverat. Nam illa verba non poſſunt convenire ullo modo in corpore Chriſti figurato, ſed proprio, & naturali, quod ſumpſerat ex Virgine. Inſuper hæc propoſitio: *hoc eſt corpus meum*, eſt enunciativa, & operativa; vera enim eſt, quia prolata ab ipſamet veritate panem in manibus tenente; non eſſet autem vera, ſi panis in ſua ſubſtantia permanſiſſet, quia fuiſſet panis, & non ipſius corpus, ſicut ipſe affirmabat, & ut tale ſuis Apoſtolis porrexit. Certe ſi quando dixit Regulo: *Filius tuus vivit*, mortuus fuiſſet, propoſitio fuiſſet illuſoria: ergo fuiſſet etiam, ſi dum dicebat ſe dare in illis ſpeciebus panis ſuum Corpus, ſubſtantia panis converſa non fuiſſet in ſuum ipſius Corpus, ſed adhuc ſicuti ante converſionem ſub illis ſpeciebus fuiſſet eadem panis ſubſtantia.

Ulterius digniſſimum quidem eſt conſideratione Chriſtum reliquiſſe hoc Sacramentum fidelibus ad inſtar Teſtamenti, dum tran-

tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem. Verba vero Teſtamenti, ne lites ex his poſtea naſcantur, oportet ut aperta ſint, & plana, ac ut id fiat ſtudioſiſſime caveri ſolet in humanis; igitur quanto magis exiſtimandum eſt Chriſtum in huius Sacramenti, tanquam teſtamenti ſui inſtitutione, ſermone proprio, plano, & aperto voluiſſe toti Eccleſiæ extremam ſuam voluntatem declarare. Et eo maxime debuit Chriſtus uti proprio & claro ſermone, non autem obſcuro & figurato, ne occaſione verborum eius Eccleſia tota in horrendam idololatriam, vel in alium errorem laberetur, atque per plura ſæcula in ea forſan perduraret. Quod quidem de eo ſentire ac dicere, ut faciunt hæretici, intolerabile eſt in Chriſti ſponſam, atque adeo in Chriſtum eius ſponſum blaſphemia. Sic Eſtius.

Veritatem hanc de reali Chriſti præſentia in hoc Sacramento perpetua confirmat traditio, ac communis præſcriptio, & conſenſus omnium Eccleſiarum. Omnes ferme SS. Patres, qui in quolibet Eccleſiæ ſæculo floruere, & de hoc Sacramento locuti ſunt, docent unanimes, ac fatentur Chriſtum realiter præſentem in ſacra Euchariſtia. Hoc enim docuit S. Ignatius Martyr, qui vivebat primo Eccleſiæ ſæculo *ep. ad Smyrnæos*, S. Iuſtinus *Apologia* 2. quam ſcripſit circa annum 150. S. Iræneus Lugdonenſis Epiſcopus, Tertullianus qui floruit ſecundo & tertio ſæculo lib. *de Reſurrect. carnis* cap. 8. S. Ciryllus Hieroſolymitanus anno 356. *Catecheſ.* 4. S. Gregorius Nicænus *Orat. Catechet.* cap. 37. S. Ambroſius, qui obiit 395. S. Cryſoſtomus, qui vita functus eſt quinto ineunte ſæculo Homil. 88. in Matthæum, S. Aug. qui obiit anno 430. S. Cyrillus Alexandrinus, qui præfuit Concilio Epheſino anno 431. S. Leo qui floruit anno 450. S. Gregorius Magnus, qui Eccleſiam rexit ſæculo 6. & initio ſeptimi, & ſic omnes alii, qui ſubſequentibus ſæculis floruerunt. Ita præſcripſerunt Eccleſiæ omnes hoc dogma, utpote ab Apoſtolis acceptum. Nomine autem præſcriptionis hic intelligitur alicuius dogmatis profeſſio, quod ab Apoſtolis ad certum aliquod ſæculum non interrupta ſerie in Matricibus perduraverit; & quando matrices Eccleſiæ ab Apoſtolis fundatæ non interrupta ſerie aliquod dogma ad certum aliquod ſæculum profeſſæ ſunt, ſequitur eas dogma illud ab Apoſtolis recepiſſe. Nomine autem Eccleſiarum hic intelliguntur illæ Eccleſiæ, quibus Apoſtoli aut viva voce, aut ſcriptis epiſtolis prædicarunt Evangelium. Ubi omnes illæ Eccleſiæ in unum dogma conſpirant, certum eſt illud ab Apoſtolis, ac proinde ab ipſomet Chriſto fuiſſe traditum. *Cæterum* (inquit Tertullianus lib. *de præſcript.*) *quod apud multos unum invenitur, non eſt ratum, ſed traditum*. Tota porro Eccleſia corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia profitebatur cum 11. ſæculo illam impugnavit Berengarius: Nam conſentientibus Eccleſiis omnibus tum Orientalibus, tum Occidentalibus, nullo contradicente in variis Conciliis error Berengarii damnatus eſt. Ecce igitur etiam totius Eccleſiæ conſenſus circa myſterium de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia. Et cum non ſit hic ſcopus rem funditus enucleare, ſed ſolum præbere ſufficientem doctrinam Paſtoribus præcipue, & Confeſſariis circa realem Chriſti præſentiam in Sacramento Euchariſtiæ; hinc omiſſis quæ maiora hic exhiberi poſſent monumenta ex SS. Patribus, Conciliis, & rationibus ad veritatem hanc confirmandam: & iis etiam, quæ ab adverſariis opponi ſolent; remittimus Lectorem pro ampliori inſtructione ad Theologos dogmaticos, & ex recentioribus ad Tournely, Vitaſſe, Iuveninum, Habertum, & Patrem Berti, qui rem fuſe, & ex profeſſo pertractant.

§. XII.

De modo, & actione, quo Chriſtus Dominus fit præſens in Euchariſtia, ſeu de Tranſubſtantiatione panis, & vini in ipſius corpus, & ſanguinem.

Quamvis in demonſtranda virtute, & efficientia verborum conſecrationis, nempe converſionis panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, & ipſius Chriſti Domini reali præſentia ſub ſpeciebus panis & vini non ſine magno miraculo poſt conſecrationem remanentibus, ſimul demonſtretur Chriſti Corpus, & Sanguinem realiter extare, ac permanere ſub velamine ſpecierum, quæ ſola ſine propria panis, & vini ſubſtantia ſuperſtites remanſerunt, ita ut poſt conſecrationem nihil aliud ſit in Euchariſtia quam Corpus, & Sanguis Chriſti; imo totus Chriſtus cum anima & divinitate, & nudæ ac ſimplices panis, & vini ſpecies; nihilominus ad confutandos hæreticorum errores, quos excogitarunt etiam contra actionem, ſeu modum quo Chriſtus præſens fiat in Euchariſtia, ut quidam diſcipuli Berengarii, qui volebant Chriſtum eſſe in Euchariſtia per conſubſtantiationem, & Lu-

therus per impanationem, ut veritas huius Myſterii magis magiſque eluceſcat, operæ pretium eſt, ut ex hac quoque parte comprobata remaneat.

Nota Corpus Chriſti concipi poſſe realiter præſens in Euchariſtia, *per impanationem*, *per conſubſtantiationem*, *& per tranſubſtantiationem*. Impanationis vocabulum ſignificat unionem hypoſtaticam Verbi cum pane, ſicuti per Incarnationem unitum fuit humanitati. Conſubſtantiatio importat præſentiam ſubſtantiæ corporis Chriſti cum ſubſtantia panis, ut utraque ſubſtantia ſit ſimul in Euchariſtia. Nomine tandem tranſubſtantiationis intelligitur converſio panis & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti. Sit igitur.

Corpus Chriſti eſt in Euchariſtia per tranſubſtantiationem.

Contra utrumque errorem docet catholica Fides, Verbum non eſſe in Euchariſtia per impanationem, nec per conſubſtantiationem, ſed per veram tranſubſtantiationem, ita ut panis, & vini ſubſtantia convertatur in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini: Nam licet non tradat Scriptura diſertis verbis in Euchariſtiæ Sacramento panem converti, tranſire, ac tranſmutari in Corpus, & vinum in Sanguinem Chriſti; ex ſacris tamen Literis in ſenſu non tam obſcuro, & ex perpetuo conſenſu SS. Patrum, & Conciliorum auctoritate ſtabiliunt auctores, & comprobant ut fidei articulum, veritatem converſionis panis in Chriſti Corpus, & vini in eius Sanguinem per veram realemque tranſubſtantionem: Quia cum figuratus non fuerit ſermo Chriſti, ſed proprius, ac ideo operativus, quo panem tenens præ manibus ait: *hoc eſt Corpus meum*, neceſſario ſequitur, his verbis panem fieri per converſionem tranſubſtantiativam ipſum Corpus Chriſti, non ſecus, ut dicunt SS. Patres, ac virga Aaron verſa eſt in ſerpentem, aqua inter nuptias Canæ Galileæ Chriſti miraculo in vinum: ita ut ſi Chriſtus virgam, vel aquam, vel lapidem tenens in manibus dixiſſet, hic eſt ſerpens, hoc eſt vinum, hic eſt panis, procul dubio verba iſta efficaciter prolata a Chriſto verace, & omnipotente res illas in iſtas convertiſſet, neque aliquem alium horum verborum ſenſum probabilem retenta ſermonis proprietate fingere quis poſſet; ſic in alio ſenſu nequeunt intelligi verba a Chriſto prolata ſuper panem, quem manu tenebat: *hoc eſt corpus meum*, retenta verborum proprietate, niſi de vera converſione panis per tranſubſtantiationem in veram eius Corpus, id eſt de converſione, ſeu tranſmutatione ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam ſui corporis. Et equidem pronomen *hoc*, *hic*, ut iam antea diximus, in Euchariſtia eſt demonſtrativum ſubſtantiæ ſenſibiliter præſentis: igitur dicendum eſt non eſſe in Euchariſtia aliam ſubſtantiam, niſi Corpus & Sanguinem Chriſti, non autem impanationem Lutheranorum, nec diſcipulorum Berengarii conſubſtantiationem: nam alias quod primum non demonſtraretur Corpus Chriſti, qui in tali hypotheſi præſens eſſet; & quoad ſecundum per pronomen *hic* una tantum demonſtraretur ſubſtantia, dum eſſent duæ ſimul conſociatæ. Sequitur igitur Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia per tranſubſtantiationem, ſeu per tranſmutationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini. Sic Eſtius. Et eo magis confirmatur hæc veritas, quia Patres quotquot quolibet ſæculo floruere, & de hoc myſterio locuti ſunt, unanimi conſenſu docuerunt panem & vinum mutari in Corpus Chriſti, & Sanguinem. *Aqua aliquando mutavit in vinum*, ait S. Cyrillus Catecheſi 4. myſtagogica, *& non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaverit?* Docuerunt ſemper uno ore quod panis qui cernitur in Euchariſtia non eſt realiter panis, licet nobis panis videatur quod in panis ſpeciebus conſpicimus. *Hoc certo ſciendum, & pro certiſſimo habendum, panem hunc qui videtur a nobis non eſſe panem* (ait idem S. Cyrillus) *etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat*. Hinc Synodus Trid. converſionem quæ verborum Chriſti virtute fit in Euchariſtiæ Sacramento, *miram*, *ſingularemque* appellat: *miram* quidem, quia modus eius ab humano ingenio comprehendi nequit, idcirco magis creditur, quam intelligitur: *ſingularem*, quia nulla ſimilis invenitur in rerum natura. Poſito tamen fidei fundamento, nihil impedit ſecundum ea quæ in doctrina Scripturæ, ac Patrum tradita ſunt, modum illius converſionis aliquatenus explicare, & ad intelligentiam noſtram perducere; quod brevius quo fieri poterit, præſtare conabimur.

Et primum quod in hoc Sacramento panis convertatur in Corpus, & vinum in Sanguinem Chriſti, non vero in animam & divinitatem, imo nec panis in Sanguinem, nec vinum in Corpus; totum hoc manifeſtiſſime patet ex verbis ipſius conſecrationis, *hoc eſt Corpus meum*. 2. tota ſubſtantia panis in hoc Sacramento convertitur in Corpus ſeu ſubſtantiam Corporis Chriſti, & tota ſubſtantia vini in Sanguinem, ſeu in ſubſtantiam Sanguinis Chriſti. Ita docet Concilium

lium Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. & talis converſio fit in totum Corpus & in totum Sanguinem. 3. Hæc converſio neque generatio eſt, neque corruptio, & multo minus ad aliquod aliud genus naturalis mutationis pertinet. 4. Hæc converſio fit in inſtanti, non ſolum eo modo quo naturalis generatio, ſed prorſus ſine quavis prævia alteratione, quia ratione verborum Chriſti nulla hic alteratio contingit, cum neque ſignificetur, ſed in termino prolationis fit ipſa converſio, quam requirit verborum ſignificatio. 5 Panis & vinum non reſolvuntur in præiacentem materiam, cum reſolutio mixti in elementa fiat, non in unam materiam; at nullum hic poſt conſecrationem manet elementum. 6. Panis, & vinum non reducitur in nihilum, quia licet non videatur negandum abſolute, Deum poſſe facere, ut corpus Chriſti fiat alicubi præſens, nec per motum localem, nec per creationem, neque per converſionem alterius in ipſum; fatendum tamen eſt, corpus Chriſti non aliter fieri præſens in Euchariſtiæ Sacramento, niſi per converſionem panis in ipſum, idque virtute verborum quæ hanc converſionem exigunt: quod enim in aliud convertitur, ſive totius ſubſtantiæ mutatione converteatur, ſive partis tantummodo, non annihilatur, cum terminus annihilationis ſit nihil, converſionis autem id in quo fit converſio. Tametſi igitur panis eſſe deſinat, & Corpus Chriſti ibidem eſſe incipiat, quoniam tamen id fit per converſionem unius in alterum, dici non poteſt panem annihilari, vel corpus Chriſti ex nihilo creari, etiamſi poneretur ipſum nihil prius extitiſſe. Hoc autem non obſcure ſignificatum eſt ex S. Ambr. lib. 4. *de Sacramentis* cap. 4. ubi ait: *Ut ſint quæ erant, & in aliud convertantur*. Senſus enim eſt, ut quæ erant, non in nihilum redigantur, ſed adhuc ſint in aliud converſa. Neque verbis hiſce ſignificatur communis materia, ſed commune genus entis. Ita Eſtius.

§. XIII.

De quantitate Corporis Chriſti in Euchariſtia.

Nota. Quæri hic ſolet 1. num Corpus Chriſti in Euchariſtia ſuam habeat quantitatem. 2. An totus ſit ſub qualibet ſpecierum parte. 3. Quo nomine vocetur modus quo Chriſti Corpus præſens eſt in Euchariſtia. 4. Quænam ſint in ea vi verborum, quid per concomitantiam.

Chriſti corpus in Euchariſtia ſuam vere habet quantitatem, cum intrinſecum ſit, & eſſentiale corpori eſſe quantum; imo moderni Philoſophi non explicant corpus niſi per trinam dimenſionem quantitatis in longum, latum, & profundum. Unde cum Corpus Chriſti in Euchariſtia ſit verum Corpus, hinc habet in hoc Sacramento ſuam eſſentialem quantitatem Corpori intrinſecam, quæ conſiſtit in interna partium extenſione in ordine ad ſe cum proxima aptitudine ad extenſionem externam, & actualem impenetrabilitatem; quæ interna partium extenſio quoad ſe efficit, ut partes ipſius Corporis ſint extra ſe invicem, ut neutiquam ſimul confundantur; alias nulla eſſet membrorum diſtinctio, ac ideo nec caput, nec pectus, nec brachia, nec pedes remanerent, ac exinde Corpus Chriſti non eſſet corpus humanum, prout humanum eſt; ſcilicet importans certam partium diſpoſitionem, prout ab aliis corporibus, puta a lapide, a ligno, ſpecifice differt. Nihilominus tamen cum Chriſtus exiſtat in Euchariſtia non modo naturali, ſed ineffabili & ſupernaturali, ad inſtar ſeu ad modum ſpiritus, hinc ipſius Corpus non eſt in Euchariſtia quantitative quoad extrinſecam extenſionem in ordine ad locum, ideſt circumſcriptive, ut partes diſtinctum occupent locum, cum revera non occupet locum dimenſive, ſeu per partes, ſed totus in toto eſt, & in qualibet totius parte, non ſecus ac anima, quæ tota eſt in corpore, & in qualibet corporis parte, ut paulo poſt dicetur.

Chriſtus eſt totus & integer ſub utraque ſpecie in Euchariſtia, & Corpus eius totum eſt in toto, ſeu ſpecie conſecrata, ideſt ſub qualibet etiam minima ipſius parte, quod negavit quidam Præpoſitus tempore Alexandri III. ſæculo 12. & Calvinus ſæculo 16. Et quoad primam partem, nempe quod Chriſtus totus ſit & integer in Corpore, Sanguine, anima & divinitate ſub utraque ſpecie, patet ex Apoſt. 1. Corinth. 11. ubi reum facit Corporis ſimul & Sanguinis Chriſti Domini eum, qui indigne ſumpſerit vel Corpus, vel Sanguinem Chriſti: *Quicumque*, inquit, *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Item Ioan. 6. *Qui manducat me vivet propter me*, non ait Corpus meum, ſed me. Chriſtus autem eſt totus conſtans ex duabus naturis, & perſonalitate divina. Concilium pariter Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. ait: *Semper hanc fidem in Eccleſia Dei fuiſſe, ſtatim poſt conſecrationem* ve-

verum Domini noſtri Corpus, verumque eius, Sanguinem ſub ſpecie panis, & vini, animamque ſub utraque &c. Et hoc docet quoque perpetua traditio, ut habetur ex SS. Patribus, Ignatio Martyre, Ephrem, Hieronymo, Chryſoſtomo, Auguſtino, Cirillo Alexandrino, & ex Concil. Ephæſino contra Neſtorium. Ratio autem eſt manifeſta, quia Chriſtus non eſt diviſus, & quæ ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, & mortuus ſemel, non amplius moritur. Unde ab ipſa Reſurrectione humanitas Chriſti utpote immortalis naturali & indiſſolubili unione cum anima, & Sanguine ſemper coniungitur, ac proinde qui ſub ſpecie panis ſumit Chriſti Corpus, vel ſub ſpecie vini ipſius Sanguinem, ille totum ſumit, & integrum Chriſtum, qualis nunc eſt in cœlo, quia idem Chriſtus, qui eſt in cœlo, idem eſt quoque in Euchariſtiæ Sacramento. Cæterum ſi in triduo mortis Chriſti conſecratum, aut in ultima cœna Dominica ſervatum eſſet hoc Sacramentum, mortuum certe; & exangue fuiſſet Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & quale tunc iacebat in ſepulchro. Similiter Sanguis ſine corpore & anima fuiſſet ſub ſpecie vini, uti revera tunc erat effuſione ſeparatus.

Quod autem totum Corpus Chriſti ſit in toto pane, ſeu in tota ſpecie panis conſecrati docetur a Trid. in ſuperiori cap. 3. ubi etiam ait: *Totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit.* Et hoc docet quoque idem Concilium can. 3. eiuſdem ſeſſ. 13. Cum enim Corpus & Sanguis Chriſti exiſtat ſub ſpeciebus Euchariſticis per modum ſubſtantiæ, non vero per modum quantitatis, ſeu localem, & circumſcriptivum; & natura ſubſtantiæ tota ſit ſub qualibet parte dimenſionum Corporis, manifeſtum eſt totum Chriſtum ſub quacumque parte ſpecierum panis, & vini contineri, non ſolum cum ſpecies frangitur, aut dividitur, ſed etiam dum integra permanet, ut ſapienter docet D. Thomas 3. part. quæſt. 76. art. 3. Hinc eſt quod tanta diligentia præcavebant veteres Chriſtiani, ne vel minima pars donorum conſecratorum in terram decideret; nomine enim *doni* tunc vocari ſolebat venerabile hoc Sacramentum.

Corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia definitive, nec circumſcriptive, ſed Sacramentaliter. Non definitive, quia hoc eſt ita corpus Chriſti ſub illis exiſtere, ut non ſit alibi, quod dici nequit, cum ſit in cælo, & in aliis particulis conſecratis. Non circumſcriptive, quod iam ſupra attigimus, hoc eſt correſpondens varii ſpatii, locique partibus, quod dici nequit, ut ſupra innuimus, de corpore Chriſti in Sacramento, cum in hoc non habeat extrinſecam impenetrabilitatem, niſi quoad eius aptitudinem, quæ tamen in ſubſtantia naturaliter requiritur, ut variis partibus ſpatii, & loci reſpondeat. Unde merito Theologi modum, quo Chriſtus exiſtit in Euchariſtia, *Sacramentalem* appellant, ſeu modum qui ſoli Sacramento conveniat, mirus, ac ſupernaturalis, cum nullum habeat exemplum in rebus creatis.

Corpus Chriſti in Euchariſtia non poteſt aliquid agere, puta videre, audire, ſe loco movere, aut moveri, nec aliquid pati, quia non poteſt elicere actionem ullam, quæ pendeat a ſenſibus, cum eiuſmodi actio requirat aliquam extrinſecam extenſionem in organo, ſeu localem, qua caret corpus Chriſti: nam cum corpora non agant niſi per contactum, & non patiantur niſi recipiendo in ſe motum aliorum corporum; ſine extenſione in organo, ſeu locali certe nequit fieri talis contactus, nec alterius corporis motus recipi. Idcirco corpus Chriſti, quod ex modo non naturali, quo extat in Euchariſtia, caret tali extenſione, incapax eſt ut aliquid tangat, ac ab alio corpore tangatur, ac proinde ut aliquid externe agat, ac patiatur. Habertus, & Iuveninus in ſuo Opere *de Sacramentis*.

§. XIV.

De iis, quæ in Euchariſtiæ Sacramento ſunt ex vi verborum, & quæ per concomitantiam.

Nota quod concomitantia eſt naturalis connexio partium Chriſti, qua fit ut una non poſſit eſſe ſine altera: ſic non poteſt eſſe corpus ſine ſanguine, anima, & divinitate. Quid concomitantia.

In Euchariſtia, ut docet cit. Concilium Trid. vi verborum ſub ſpecie panis eſt tantum corpus, & ſub ſpecie vini eſt tantum ſanguis Chriſti Domini, quia vi verborum conſecrationis directe & immediate illud ponitur, quod per verba directe ſignificatur, cum ea practica ſint & operativa. Unde cum verba, per quæ panis conſecratur, ſolum corpus directe exprimant, & ſignificent, & ea per quæ vinum conſecratur, ſolum ſanguinem, vi verborum ſolum corpus ſub ſpecie panis, & ſolus ſanguis ſub ſpecie vini continetur.

Illa

Digitized by Google

Illa vero ſunt in Euchariſtia tantum per concomitantiam, quæ habent connexionem cum iis, quæ iiſdem verbis exprimuntur: Nam aliqua exprimuntur in verbis, per quæ Euchariſtia conſecratur; aliqua vero non quidem exprimuntur per verba, ſed connexionem habent cum iis, quæ exprimuntur. Hinc nonnulla ſunt in Euchariſtia vi verborum, nonnulla per concomitantiam. Concomitantia vero alia eſt naturalis & proxima, ut ea quæ intercedit inter corpus, ſanguinem, & animam, alia ſupernaturalis & remota, quam habet Humanitas Chriſti cum Divinitate, & Perſona Verbi incarnati cum Perſona Patris & Spir. Sancti; ideoque per concomitantiam naturalem, & proximam corpus, ſanguis, & anima ſunt ſimul ſub utraque ſpecie, cum ſanguis non exprimatur in conſecratione panis, nec corpus in conſecratione vini, anima vero ſub neutra conſecratione; ſub utraque enim ſpecie omnia continentur, quia Chriſtus nunc habet verum corpus, animam cum ſuo ſanguine: per concomitantiam vero ſupernaturalem eſt etiam ſub utraque ſpecie perſona Verbi, Divinitas utpore hypoſtatice unita Chriſti Humanitati: & cum Perſona Verbi ſit idem indirecte cum perſona Patris & Spiritus Sancti, ut per circumiſſeſſionem ſit in Verbo Pater, ſicut etiam Spiritus Sanctus; hinc per ſupernaturalem concomitantiam cum Verbo, & ipſius Humanitate omnes divinæ perſonæ ſunt præſentes in Euchariſtia cum Verbo, ac cum ipſo in eadem adorantur ac venerantur.

Quantitas corporis Chriſti eſt in Euchariſtia vi verborum, quia quantitas in verbis exprimitur, quando exprimitur corpus humanum: Etenim dari nequit, nec exiſtere corpus in aliqua determinata ſpecie corporis, niſi babeat partes extra ſe poſitas, ut diximus, ſaltem quoad ſe, ac ideo niſi habeat ſuam quantitatem, cum quantitas ſit id quo ſit, ut ſubſtantia habeat partes extra ſe poſitas.

§. XV.

De communicatione idiomatum ſpecierum Sacramentalium corporis, & ſanguinis Chriſti.

Idiomata, ſeu proprietates ſpecierum, ſeu accidentium, quæ poſt conſecrationem remanent in Sacramento Euchariſtiæ, ut quantitas, color, ſapor, figura, odor, motus localis, diviſio, fractio, attritio, videri, tangi, manducari, bibi, guſtati, aliave huiuſmodi, hæc omnia, imo & ſpecies ipſæ, ſive accidentia attribuuntur corpori & ſanguini Chriſti Domini ſub iiſdem ſpeciebus contentis; ita ut per talem idiomatum communicationem, quæ propria ſunt ſpecierum, dicitur corpus & ſanguinem Chriſti guſtari, manducari, bibi, frangi, geſtari &c. & hoc patet ex Apoſt. 1. Corinth. 10. ubi ait: *panis quem frangimus, nonne participatio corporis Chriſti eſt?* Et proximo cap. ſecundum Græcos: *hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur*. Et hoc habetur etiam ex Evangeliſtis. præcipue Ioan. 6. *Accipite & manducate: hoc eſt corpus meum*, & in porrectione calicis dixit Chriſtus diſcipulis: *Accipite & dividite inter vos*. Quare iuxta teſtimonia, & ſenſum Scripturarum ita etiam frequenter de corpore, & ſanguine Chriſti Domini in Euchariſtia locuti ſunt Patres, attribuendo Corpori, & Sanguini, ideſt dicendo de Corpore & Sanguine Chriſti quod proprium eſt ſpecierum, cum revera Corpus & Sanguis Chriſti nonniſi per ſpecies guſtetur, frangatur, geſtetur de loco ad locum, cum hæc ſolummodo a ſenſibus attingi poſſint. Huiuſcemodi locutiones, quæ in Patribus & alibi frequentiſſime reperiuntur, quia iam opus non ſit hic proferre, prætermitto, cum luculenter hoc confirmet confeſſio ipſa Berengarii in Concilio Rom. ſub Nicolao II. qua diſerte condemnat hæreſim, quæ dicit non poſſe Corpus, & Sanguinem Chriſti ſenſibiliter, niſi in ſolo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut Fidelium dentibus atteri. Contrarium enim profiteror, ſcilicet verum Corpus & Sanguinem Chriſti Domini ſenſibiliter non ſolum in Sacramento, ſeu in figura, ſed in veritate etiam manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.

Afferuntur ſummatim ac breviter quædam alia, quæ reſpiciunt eaſdem ſpecies, ſeu accidentia.

Primum eſt, quod ſpecies panis, & vini, quæ manifeſte per ſenſus cernuntur & remanent poſt conſecrationem in Euchariſtiæ Sacramento, divino miraculo a proprio ſubiecto ſeparatæ, nempe a ſubſtantia panis & vini poſſunt ſine novo miraculo; quod aliqui etiam ad hoc requiri ſtatuunt, poſſunt inquam ea agere, quæ agerent, ſi ſuis ſubiectis inhærerent, ſcilicet virtute propria & naturali, quæ illis per ſeparationem a ſuo ſubiecto non adimitur, ita ut quidquid agere poterant manente ſubſtantia panis, & vini,

ni, idem conſequenter poſſunt illis etiam abſentibus, ideſt ſine illis, nec duo miracula ſunt in eo agnoſcenda, per ſe ſcilicet ſubſiſtere, & agere, ſed dato priori, ideſt per ſe ſubſiſtere, ſequitur aliud, ideſt agere; ac proinde afficere poſſunt, ſicut antea oculum per ſuum colorem, palatum per ſuum guſtum &c. Secundum. Sicut hæ ſpecies poterant corrumpi ſimul cum ſuis ſubiectis, ita etiam abſque illis corrumpuntur etiam ab iiſdem cauſis, a quibus corrumperentur, ſi propriis inhærerent ſubiectis, nempe a rebus contrariis, vel ab aliis cauſſis in ea naturaliter agentibus: ſed cum quantitas non corrumpuntur coniuncta ſubiecto, ita nec ab ipſo ſeparata. Tertium. Cum ex ipſa Chriſti inſtitutione Corpus eius & Sanguis non extent niſi ſub ſpeciebus panis & vini, dum hæ corrumpuntur, non corrumpitur Corpus & Sanguis Chriſti; ſed in eodem momento corruptionis ibi eſſe deſinunt. Ita Eſtius. Verum cum ex hiſce ſpeciebus Sacramentalibus dum corrumpuntur, compertum ſit aliquid generari, ut vermes &c. Quomodo hæc nova generatio fiat, cum nec ſubſtantia, nec materia panis & vini remaneant in Sacramento, difficillime explicari poteſt. Hinc variant in eorum opinionibus Doctores; nam quidam putant hoc evenire ex aere circumſtante, quod rationibus multis improbatur, & refellitur. Alii per miraculum reverti ſubſtantiam panis & vini, ut ex iis novæ rerum generationes fierent, & hæc opinio videtur fuiſſe Innocentii III. lib. 4. *de Offic. Miſſæ* cap. 11. quem ſequuntur Alexander de Ales, & S. Bonaventura. Volunt alii generationem illam fieri ex quantitate panis, ac vini remanente in Euchariſtia, quæ cæterorum accidentium durante Sacramento, ita etiam & ſubſequentium formarum ſit ac maneat primum ſubiectum, non tantum accidentalium, verum etiam ſubſtantialium, ita ut in eorum ſententia in eo quod ex ſpeciebus gignitur, quantitas ſubeat officium & locum materiæ ſimul & quantitatis. Hæc fuit ſententia S. Thomæ quam tamen eius diſcipuli non ita exponunt, ut Caietanus, & Soto, qui oſtendunt abſurda, quæ talem ſequuntur opinionem. Sententia vero communis eſt, & probabilior videtur, quam etiam S. Thomas in 4. ſcribens ſecutus eſt, & ignoratur qua ratione ab hac poſtera receſſerit, & eſt, in inſtanti corruptionis ſpecierum non ſubſtantiam priorem panis & vini redire, ſed materiam primam, vel novam creari a Deo, vel eam quæ fuerat panis ac vini ex nihilo reparari, ſeu recreari, in quam forma ſubſtantialis geniti introducatur, & in qua deinceps ſubſiſtat quantitas cum aliis accidentibus, quæ antea remanſerant, quia Deus ordinavit ſpecies illas remanſuras ſine ſubiecto in Euchariſtia, & non alibi. Unde deſinente Euchariſtia non amplius ibi agnoſcenda eſt quantitas, ſicut etiam alia accidentia ſine ſubiecto. Quod autem de generatione dictum eſt, Idem quoque intelligendum eſt de nutritione, quæ eſt generatio partis. Sic Eſtius.

Species remanentes in Euchariſtia frequenter a nonnullis Patribus nomine panis & vini exprimuntur, a Concilio Lateran. 4. dicuntur panis ac vini ſpecies, a Concilio Conſtan. accidentia panis & vini. Concilium Trid. eumdem Concilii Florent. modum adhibuit.

§. XVI.

De iis quæ ſequuntur ex converſione panis & vini in Chriſti Corpus & Sanguinem.

Ex converſione panis & vini in Chriſti Corpus & Sanguinem ſequitur 1. Sacram Euchariſtiam adorandam eſſe cultu latriæ. 2. Servandam religioſe in Templis. 3. Deferendam ad ægrotos. 4. Honorandam propria feſtivitate. 5. Circumgeſtandam ſolemniter in proceſſionibus, publice adorandam, exponendam ad publicas ſupplicationes.

Lutherus qui negabat permanentiam huic Sacramento extra uſum, ideſt extra Cœnam (ſeu a conſecratione uſque ad Communionem) præciſa adoratione in actu ipſius Cœnæ, omnia alia proxime recenſita negavit ſac. Euchariſtiæ. Melancton vero negavit huic Sacramento adorationem etiam in ipſius exercitio, cum impie ſomniaverit, Chriſtum non eſſe in Euchariſtia ante actualem ipſius uſum, ſed quando ſolummodo fideles actu eam recipiunt. Quid cultus latriæ

Cultum latriæ Theologi communiter appellant obſequium, ſervitutem, ac venerationem ſupremo Domino debitam, ut D. Auguſt. qui lib. de *Civit. Dei cap.* 1. *num.* 2. ait: *Ea dicitur ſervitus quæ pertinet ad colendum Deum.* Cum, ut iam ſtatutum eſt contra impios hoſtes huius tam venerabilis Myſterii, Sacramentum hoc ad differentiam aliorum non conſiſtat in ſolo actu ac uſu, ideſt dum fit, ſed in eſſe permanenti, ita ut ſacratiſſimum Ieſu Chriſti Corpus, eiuſque Sanguis permaneant poſt conſecrationem ſub ſpeciebus materiæ, ex qua conficiuntur, panis ſcilicet & vini; hinc ſacra Euchariſtia colenda eſt cultu latriæ, cum contineat ve- S. Euchariſtia cultu latriæ adoranda.

latum ſub iis ſpeciebus partim vi verborum, partim per concomitantiam Corpus & Sanguinem Chriſti Domini cum eius anima & Divinitate Verbi, ut iam diximus, ac ideo per circumiſſeſſionem Patrem etiam & Spiritum S. ideſt totam SS. Trinitatem: hinc ita definivit Trid Synodus ſeſſ. 13. can. 6. *Si quis dixerit in S. Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, anathema ſit*. Et hanc adorationem etiam Patres Eccleſiæ nobis præcipiunt, quorum auctoritates brevitatis gratia hic prætermitto. Et Patres nihil plus tradidere quam Eccleſiæ praxim, quæ revera ab initio ad hæc uſque tempora tali cultu hoc Sacramentum veneratą eſt.

Cum autem adoratio aliud non ſit, quam creditæ Divinitatis externa ſeu corporalis per genuflexionem, capitis inclinationem, vel alium venerabundum geſtum profeſſio, proteſtatio; luculenter patet, Chriſto tanquam vero Deo non minus in hoc Sacramento, quam alibi cultum adorationis quam vocabulo Græco *latriæ* vocant Theologi, exhibendum eſſe: imo eius Corpus, & Sanguis, & Anima, totaque Humanitas tam in hoc Sacramento, quam extra eodem genere cultus adorari debent, tametſi nihil horum ſit Chriſtus, quomodo nec caput, nec manus Regis ſunt Regis perſona, & nihilominus qui manus aut caput regis oſculatur, vel percutit vere dicitur ipſum Regem oſculari vel percutere.

Mos perpetuus in Eccleſia ſervandi SS. Euchariſtia pro infirmis. Item mos fuit ſemper in Eccleſia ut honorifice ac reverenter reponeretur, ac ſervaretur in Templo hoc Sacramentum ad uſum fidelium, & præcipue ad morientium Viaticum. Eam conſuetudinem aſſerit, & approbat Trid. Synodus ſeſſ. 13. cap. 6. & ut ratam ac licitam ſub anathemate confirmat, & de hac conſuetudine pene innumera habentur apud veteres luculenta teſtimonia, præcipue S. Baſilii ad Patritium, Tertulliani lib. *ad Uxorem*, & lib. *de Ratione* ſub fine, S. Cypriani ſerm. *de lapſis*, Clementis Alexandr. lib. 1. *Stromatum*. Imo mitti ſolebat ſacra Euchariſtia ad Epiſcopos velut ſymbolum pacis & mutuæ communionis. Hoc enim Romanos Pontifices facere conſueviſſe teſtatur S. Iræneus in ſua ad Victorem Papam quæ extat apud Euſebium lib. 5. cap. 24. Meminit huius rei S. Auguſtinus lib. 2. *contra litteras Petiliani* cap. 22. Denique ſervabatur ad Miſſam prætanctificatorum, cuius meminit Concilium Laodicenum celebratum ineunte 4. ſæculo: unde ſtulte hic mos reprobatur a Novatoribus.

§. XVII.

De geſtatione Sacramenti S. Euchariſtiæ in proceſſionibus, ipſius feſto, & de eius publica expoſitione.

Quando, & ubi incœperit iſta ſolemnis feſtivitas SS. Corporis Chriſti, & proceſſio, incertum eſt. Quod circa hoc certe dici poteſt, eſt, quod dato etiam hanc celebrationem cœpiſſe in Diœceſi Leodienſi, pro Eccleſia tamen univerſali non fuit inſtituta niſi ſub Urbano IV. qui iuremerito dici poteſt eius inſtitutor, & ita appellatur ab omnibus ferme Hiſtoricis: nam anno 1264. ſua Bulla data in Urbe veteri die 11. Auguſti eiuſdem anni, ut notat Papitis lib. 5. *de Epiſcopis Urbis Romæ* tom. 3. *Scriptorum Rerum Italicorum* ſtatuta fuit talis celebratio facienda Feria 5. poſt feſtum SS. Trinitatis, eo quod Feria 5. maioris Hebdomadæ, quæ eſt dies ſuæ inſtitutionis Eccleſia tota ſit in aliis functionibus, puta benedictionis olei ſancti communionis Fidelium, &c. In ipſa quoque feſtivitate ordinatum eſt ab eodem ſummo Pontifice Urbano IV. ut fieret proceſſio cum Sacra Euchariſtia. Iure merito inſtituta fuit ſolemnis celebratio, & proceſſio in honorem SS. Euchariſtiæ Sacramenti, quod habet ex Chriſti Domini mandato ſpecialem divinæ paſſionis commemorationem: *Hæc quotteſcumque feceritis, facite in meam commemorationem*: ac ideo eſt perenne divinæ erga nos benignitatis, charitatis, ac dignationis memoriale.

Unde circumgeſtatio ſacræ Euchariſtiæ in proceſſionibus cœpit poſt Urbanum IV. & ante Martinum V. qui in Bulla quæ incipit *Ineffabile Sacramentum* illius meminit: ſed id docte ac breviter confirmat Trid. Synodus in cap. alias ſupracit. cuius etiam rei typum prætulit vetus Teſtamentum in Arca Domini, quæ ſæpenumero tum Dei iuſſu, tum Sacerdotum, Regis ac populi devotione ſolemni pompa deportata ac circumlata fuit ad opem miſericordiæ divinæ impetrandam, Ioſue 6. 1. Regum 4. 2. Regum 6. Arcam autem Euchariſtiæ figuram extitiſſe probat illud etiam pſalmi a SS. Ambr. & Auguſt. myſtice expoſitum: *adorate ſcabellum pedum eius*, quod ad litteram de Arca fœderis intelligitur. A ritu vero circumgeſtandi Sacram Euchariſtiam in proceſſionibus originem traxit eius expoſitio publicæ adorationi.

ni. Ut autem fiat frequenter requiritur gravis cauſſa, Epiſcopi diſpenſatio, & præterea neceſſe eſt ut indicetur ea frequenti expoſitione pietatem fidelium promoveri. Eſtius, Iuveninus. Sed de hoc melius, quando de ritibus huius Sacramenti.

Inquiret hic aliquis, num liceat Euchariſtiam deferre ad extinguendum incendium. Hoc non approbat P. Iuveninus, 1. quia non extant, ait ipſe, momenta, ſaltem fide digna, quibus oſtendatur huiuſcemodi uſum aliquando approbatum fuiſſe ab Eccleſia. 2. Quia deportatio Euchariſtiæ ad extinguendum incendium eſt illicita Dei tentatio, cum ad eum finem non fuerit inſtituta.

Nemini poſtea licet deferre in itineribus ſacram Euchariſtiam vel collo appenſam, vel alio modo, excepto Summo Pontifice, cui iter agenti præfertur decenti pompa & comitatu: quia licet in veteri diſciplina in uſu fuerit apud fideles ſibi ad viaticum, & ad communionem domum aſportare Euchariſtiæ Sacramentum, ut tradit Tertullianus *ad Uxorem*, S. Cyprianus *de lapſis*, & ſeſe communiverint divini corporis præſentia ac præſidio longa ſuſcepturi itinera, ut in lib. 10. *de exceſſu Satyri* S. Ambr. in epiſt. *ad Ruſticum*, S. P. Hieronymus, ac alii Patres ſcripſere; idemque affirmetur de Monachis Monaſterii Wingartenſis, ac ita in Eccleſiaſticis Monumentis de aliis; tamen iuſtis de cauſſis abrogata eſt illa antiqua diſciplina, & excepto Summo Pontifice hic uſus quibuſcumque aliis vetitus fuit a Conciliis Cæſarauguſtano anno 380. ſub pœna anathematis & Toletano I. cap. 14.

§. XVIII.

De effectibus ſacræ Euchariſtiæ.

Theologi cum SS. Patribus & Conciliis varios enumerant huius venerabilis Sacramenti effectus, quidquid in contrarium garriant Novatores, præcipue Lutherus, & Calvinus ex falſo illo principio, quod ſola fides iuſtificet, ad quam excitandam dicunt ipſi inſtituta eſſe Sacramenta, ſcilicet ut per hæc excitetur noſtra fiducia in divinis promiſſionibus. Hunc errorem quoad efficaciam Sacramenti Euchariſtiæ damnavit Concilium Trid. ſeſſ. 13. can. 5. & 11. videlicet ſolam fidem non iuſtificare, & definit, remiſſionem peccatorum, alioſque cum hac effectus fructum eſſe Sacramenti Euchariſtiæ; & fuſius ac diſtinctius effectus huius Sacramenti expoſuerunt, ac docuerunt Concilii Florent. Patres in ſuo Decreto, quod de hoc Sacramento edidere, in quo inter alia ſic legitur: *Huius Sacramenti effectus quos in animo operatur digne ſumentis eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris eius unitur, ſequitur quod per Sacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt temporalem, hoc idem quoad vitam ſpiritualem & per hoc Sacramentum operatur.* Ex hiſce igitur poſſunt in genere quatuor aut quinque præcipui huius divini Sacramenti effectus numerari, nempe 1. eſt unio cum Chriſto, qui cum hic præſens ſit cum carne, ſanguine, anima & Divinitate, conſequitur, perceptione huius Sacramenti nos Chriſto coniungi, ac unum cum eo fieri, tam ſecundum ſpiritum, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 6. *qui adhæret Domino unus ſpiritus eſt*, quam ſecundum carnem, ex eodem Apoſt. Epheſ. 5. *membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius.* Hic autem effectus alio nomine appellatur hominis incorporatio & tranſmutatio in Chriſtum, ut notat S. Leo ſerm. 14. *De Paſſione Domini* Eſtius. Hoc Sacramentum nos unit cum Chriſto.

Ex hoc alter ſequitur, nempe unio Fidelium inter ſe, nam inter ſe uniuntur qui uni tertio copulantur, ut advertit Apoſtolus 1. Corinth. 10. *Unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Et licet hoc fiat per Baptiſmum, qui nos unit Chriſto, & nos inter nos, ut idem Apoſt. habet 1. Corinth. 12. *Omnes in unum corpus baptizati ſumus*, cum per baptiſmum membra efficimur Eccleſiæ, quæ eſt myſticum Chriſti corpus, cuius ipſe eſt caput; tamen peculiari modo, & ratione hoc efficitur per Euchariſtiæ Sacramentum; & huic talis effectus competit, ita ut quod incipit per baptiſmum, excellentiori quodam modo & ratione perficitur a Sacra Euchariſtia, qua non ſolum ſpiritu, ſed & corpore ſimul Chriſto copulamur; & hoc ſpectat ad articulum Symboli de Communione Sanctorum; unde non prætermittendum eſt hic notare, quod qui Chriſto & Eccleſiæ unitus eſt, omnium bonorum tum Chriſti, tum Eccleſiæ particeps efficitur. Unit fideles inter ſe.

Tertio: Sacramentum hoc abundanter auget in nobis divinam gratiam: nam cum fructus omnis ſpiritualis, ſeu gratia in nos redundet ex Chriſti paſſione, conſentaneum eſt, gratiam eo copioſiorem quam in aliis Sacramentis in hoc nobis conferri, quanto magis præ cæteris in hoc recolitur Paſſio Chriſti & repræſentatur. Alia enim Sacramen- Gratiam auget.

menta inſtituta ſunt ac ordinata ad certum aliquem effectum paſſionis Ieſu Chriſti conſequendum; iſtud autem ad hoc præcipue, ut iugiter & offeratur, & ſumatur in memoriam paſſionis eius, ut alias iam ex ipſo Evangelio & D. Paulo indicavimus. Quare publica confeſſione reſtatur Eccleſia in hoc ſacro convivio recoli memoriam paſſionis eius, & mentem gratia impleri, quod eo magis etiam fieri clare conſtat, ex eo quod in hoc Sacramento realiter ſumitur ut cibus & potus ſpiritualis animæ alimenti & nutritionis Chriſtus ipſe, qui eſt auctor, plenitudo, ſcaturigo & fons omnis gratiæ, & benedictionis. Quare ex hoc deduci poſſunt alii etiam plures effectus huius Sacramenti, qui omnes in Canone Miſſæ nomine gratiæ, & benedictionis explicantur. Dicitur autem hoc Sacramentum gratiam augere, quia cum hoc ſit Sacramentum, ut dicunt Theologi, vivorum, ideſt pro iis qui ſunt in gratia, non vero mortuorum, ideſt pro iis qui adhuc ſunt *in ſtatu peccati*, tametſi magnum gratiæ cumulum conferat ſanctificantis; non tamen primam gratiam, ſaltem per ſe, & directe, ut loquar cum communi Theologorum, habet conferre, ſed ſecundam, ideſt gratiæ iam præexiſtentis augmentum.

Spiritualiter nutrit. 4. Sacra Euchariſtia eſt ſpirituale nutrimentum, cum inſtituta ſit in cibum, & potum fidelium. Quare a Patribus Concilii Trid. appellatur *Sacramentum alimentarium*; nam digne illud ſumentibus operatur omnes effectus ſpiritualiter, quos cibus & potus naturalis operatur corporaliter in hominibus; & hoc confirmat quod paulo ante dixi, ſacram Euchariſtiam ſcilicet non conferre directe primam gratiam, cui proprium eſt revocare animam a morte peccati ad vitam ſupernaturalem, quod primum ſpectat ad baptiſmum; & poſt ipſum ad pœnitentiam quoad lapſos, quæ ideo dicitur ſecunda tabula poſt naufragium: Unde cum Euchariſtia rationem habeat alimenti, eius effectus eſt augere, ac ſervare per nutritionem in vita, non vero vitam conferre, quæ ſupponitur in eo qui accedit ad Sacram Synaxim, ut in vitam iam accepta per Baptiſmum, & Pœnitentiam nutriatur, & per nutritionem in ea conſervetur, non alias ac fit in naturali vita, quæ per alimentum cibi & potus fovetur & ſervatur. Hanc vero analogiam alimenti corporalis, & Corporis ac Sanguinis ſui tanquam alimenti ſpiritualis ſatis expreſſit Chriſtus Dominus præcipue Ioannis 6. *Caro mea vere eſt cibus, Sanguis meus vere eſt potus*.

delet, & purgat peccata. Quinto, delet ſeu remittit ac purgat peccata præterita, quod tamen intelligi debet ſecundum communiorem de ſolis venialibus; & hæc etiam ſecundum alios tantum indirecte, & ſecundum alios directe præſervat a futuris tum venialibus tum mortalibus, quia Sacra Euchariſtia non ſolum porrigitur tanquam cibus hominis ſani, ac robuſti, verum etiam ut medicina infirmi, qua expellatur, & purgetur quod vitioſum eſt, & quidquid crudum eſt & indigeſtum in anima hominis conſumetur; ac ipſa itidem impoſterum homines adverſum ingruentes hoſtium tentationes quodam veluti antidoto præmuniuntur. Unde D. Ambroſius medicinam appellat divinum hoc Sacramentum lib. 1. *de Sacramentis* cap. 4. & lib. 4. cap. 5. *Qui manducaverit*, ait, *hoc corpus, fiet eis remiſſio peccatorum, & non morietur in æternum*. Et S. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 7. dicit, inter alia Sacramenta hoc ſedare ſævientem membrorum noſtrorum legem, quæ fortiter militat contra ſpiritum, ut ait Apoſtolus. Et hæc omnia, ideſt hos alios effectus præſtat ſacra Euchariſtia mediantibus gratiis actualibus, ſeu Sacramentalibus, quæ nempe huic Sacramento conveniunt.

Alia beneficia recenſentur S. Euchariſtiæ. Hinc beneficio ac virtute tanti Sacramenti conſervamur, & augemur in gratia; mens noſtra innovatur, fervor excitatur charitatis in cordibus noſtris, applicamur ad charitatis officia, munimur, ac protegimur contra mala animi, & corporis, a culpis levamur, paſcimur, vegetioreſque efficimur, gubernamur, & liberamur a pœnis ob peccata divinæ iuſtitiæ debitis. Hoc poſtremum tamen ut Sacramentum non præſtat Sacra Euchariſtia directe, & ex opere operato, ſed indirecte ex opere operantis; nam remittendo peccata venialia minuit indirecte pœnam peccato debitam, & ut dicebam vitalis Sacramenti fervor producitur charitatis, & ad bona opera incendimur, quæ omnia ſunt ſatisfactoria pro pœnæ reatu. Non ſibi tamen tales promittant ſavores ac fructus ignari ac deſides, & vanis nugis diſtracti.

Parit ſpiritualem delectationem. 6. Sacra Euchariſtia parit ſpiritualem delectationem iuxta illud: *pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias regibus. In hoc Sacramento* (inquit Clemens V. in Concil. Vienn.) *habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitas, ipſaque dulcedo Domini deguſtatur*. Hanc tamen ſuavitatem non percipiunt nauſeantes, & ſenſuum delectatione præoccupati, ut advertit S. Bernar-

nardus ſerm. 5. Aſcenſionis Domini. Habertus cum aliis.

7. Tandem cum gratia quam confert nobis in hac præſenti vita, dat nobis pignus perennis gloriæ in futura, ſicuti ex lætitiæ extaſi in honorem tanti Sacramenti canit Eccleſia: *ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Imo poteſt adiungi, quod S. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 13. & ſeqq. & lib. 10. cap. 13. refert ſumptioni corporis & Sanguinis Chriſti acceptam beatam corporum noſtrorum immortalitatem, quam in univerſali reſurrectione expectamus. Ita Eſtius.

Ex opere ope. rantis poteſt ſumens, hoc Sacrament. prodeſſe aliis.

Licet omne beneficium, quod profluit ex ſacra Eucriſtia ex opere operato non proſit niſi ſumenti, ex opere operantis tamen aliis quoque prodeſſe poteſt. Nam ſi alia bona opera, puta eleemoſynæ ſunt aliis meritoriæ de congruo, quando in illorum utilitatem Deo offeruntur; ſimiliter divina Euchariſtia, quæ ſumpta cum debita devotione eſt opus bonum, immo optimum, utilis eſſe poteſt non ſolum ſumenti, ſed etiam aliis, ſi pie in gratiam illorum, ſeu etiam pro aliis ſumatur; ac ideo ſacra Cardinalium Congregatio damnavit ſub Alexandro VII. illorum ſententiam, qui morem repræhendebant communicandi pro defunctis. Valde tamen improbandus eſt mos quarumdam mulierculaꝛum, quæ pro aliis communionem Sacramentalem faciunt intuitu certæ ſummæ pecuniarum, quæ ipſis retribuitur ab iiſdem, a quibus requiruntur, ut pro eis communionem faciant, ideſt Sacram Euchariſtiam ſumant, qui eſt valde deteſtabilis abuſus ſapiens ſimoniam, cum veluti vendant Sacram Communionem, quæ eſt opus ſpirituale, & ſacramentale pro pecunia, quæ eſt res temporalis. Invigilent ergo in hoc Confeſſarii, ut medeantur huic malo graviter Euchariſticæ communioni iniurioſo, monendo & perſonam quæ ſacramentalem communionem alteri pro ſe ordinat, & eam, quæ hanc facit: quod ſi aliqua pecuniæ vel alterius rei retributio in tali caſu occurrat, fiat ſolummodo, ac recipiatur intuitu ſolius eleemoſynæ, & nullatenus pro Euchariſtica Communione, ſive facta ſive facienda.

Quid de corporis ſanctiſicatione per S Euchariſtiam.

Inquirere hic ſolent aliqui num Sacra Euchariſtia ut eſt Sacramentum, habeat aliquam virtutem & efficaciam circa corpus ſumentis; & inter alios Ludovicus Habert ut certum tenet, Sacram Euchariſtiam corpori quoque in quo digne recipitur, aliquam moralem ſanctificationem directe tribuere: nam ſi vaſa inanimata ex contactu Corporis Chriſti ſacra fiunt, ac veneranda, a fortiori, ait cit. auctor, id dicendum erit de iuſtorum corporibus, quæ non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter illud recipiunt; & huic ſententiæ adſtipulatur S. Cyrillus Hieroſolymitanus cath. 4. ubi ait: *animam & corpus ſanctificat*.

Cæterum quoad effectus gratiæ Sacramentalis, quamvis Sacra Euchariſtia ſit cibus nonniſi animæ nutritivus, tamen ſaltem indirecte operatur etiam in corpus; & hæc eſt ſententia D. Thomæ in 4. quæſt. 79. art. 1. ad 3. ubi ait: *Licet corpus non immediatum ſubiectum gratiæ, ex anima tamen redundat effectus gratiæ ad corpus, quatenus nempe ex augmento, & fervore charitatis concupiſcentia minuitur*. Imo poteſt etiam dici, Euchariſtiam aliquando directe operari circa corpus, quatenus eius intuitu Deus ſpeciali providentia invigilat, ne recurrant phantaſmata, quibus ſolent acriores tentationes inſurgere. Et hoc comprobat ipſa traditio, quam afferunt S. Cryſoſtomus homil. 4. in Matthæum, & Cyrillus Alexandr. lib. 3. & 4. in Ioan. & S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. *Fidei orthodoxæ* cap. 14. & Catechiſmus Rom. docet hoc Sacramentum ſenſum libidinis cohibere. Adhuc tamen remanet difficultas, quomodo Sacramentum Euchariſtiæ hoc præſtet effectum. Putarunt quidam hoc directe efficere infundendo corpori quaſdam qualitates, ac dotes glorioſas, quæ ſuam ſequentur reſurrectionem, quæ tamen ſententia omni caret fundamento. Solummodo ergo hoc directe efficit Euchariſtia, quatenus inſtituta eſt ut medium adultis neceſſarium ſecundum quid ad perſeverandum uſque in finem, ut præfiguratum fuit in cibo Eliæ ab Angelo adminiſtrato, in cuius fortitudine ambulavit Propheta uſque ad montem Dei, ut habetur 3. Regum cap. 19.

De tempore quo effectus S Euchariſtiæ producuntur.

Circa vero tempus quo producat Sacra Euchariſtia effectus ſupra recenſitos, breviter explicatur, nempe gratiam habitualem producere in ipſa manducatione: nam Sacramenta gratiam producunt in actu ſuæ applicationis, ſeu in uſu ſigni exterioris, puta Baptiſmus in ablutione; unde etiam Euchariſtia in manducatione, quæ eſt uſus ciborum. Manducatio vero eſt traiectio cibi in ſtomachum, non vero ipſa nutritio, quæ eſt manducationis effectus; neque cibi trituratio, ſeu comminutio, quæ fit dentibus; unde qui comminutum cibum expueret, non cen-

conferetur comediſſe: Hinc veritum eſt a ſacris Canonibus præbere hoc Sacramentum iis, qui præ infirmitate deglutire non valent.

Quare ex his ſequitur, quod ſi quis ſacras ſpecies detineret in ore, aut expueret, fructum nullum ex Sacramento perciperet. Vana eſt obſervatio (& ideo in Hiſpania damnata fuit ab illis Inquiſitoribus Fidei) ſumendi grandiores formulas, & fundendi maiorem copiam vini in calice, ut ex diutiore perſiſtentia ſpecierum in ſtomacho uberior gratia producatur, cum hoc procedat a maiore, vel minore diſpoſitione ſumentis, non a longiore permanentia ſpecierum in ſtomacho: Unde etiam a Sac. Congregat. Cardinalium interpretum Concilii approbante Innocentio XI. 12. Febr. 1679. talis vana obſervantia proſcripta fuit, & præſcriptum Parochis & Confeſſariis, ne hoc abſurdum permitterent.

§. XIX.

De obicibus qui effectus ſacræ Euchariſtiæ impedire poſſunt.

Tres præcipue obices impedientes fructus S. Euchariſtiæ.

Tres præcipue recenſentur obices, quibus impediri poſſunt effectus Sacræ Euchariſtiæ prout eſt Sacramentum, videlicet conſcientia peccati mortalis, conſcientia venialium, & defectus attentionis. Et primo certum eſt conſcientiam mortalium impedire penitus huius Sacramenti, prout eſt Sacramentum, effectus, quia cum hoc Sacramentum ſe habeat cum reſpectu ad cibum corporis: *Caro mea*, inquit Chriſtus Dominus, *vere eſt cibus*; ſicuti totus cibi effectus per mortem corporis impeditur, ita omnis effectus cibi Euchariſtici, prout eſt Sacramentum, impeditur per ſtatum peccati mortalis, quod eſt mors animæ. Et hoc conſtat ex Patribus, qui quovis ſæculo floruere, dum verba illa Apoſtoli: *Qui manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat*, interpretati ſunt de iis, qui ſumunt hoc Sacramentum in ſtatu peccati mortalis: unde prioribus ſæculis, dum proximum erat tempus, ut fideles accederent ad Sacram Synaxim, ubique mos erat ut inclamaret Diaconus: *Sancta Sanctis*; ac ideo nemini lapſo concedebatur participatio huius Sacramenti Euchariſtiæ, quin prius ſe in variis Pœnitentium claſſibus per laborioſa quædam opera variaſque preces purgaſſet. Hinc Concilium Trid. ſeſſ. 3. cap. 7 merito damnavit Lutherum, qui audebat contendere, conſcientiam mortalis peccati non reddere communionem ſacrilegam & indignam.

Quid de peccatis ignoratis.

Num vero peccata lethalia, quæ ignorantur, totum communionis effectum impediant; certum eſt, quod ſi ignorentur invincibiliter, non amittitur totus communionis effectus, nec redditur communio ſacrilega, quia illa peccata delentur per contritionem cum Sacramento Pœnitentiæ coniunctam, quæ includit Dei amorem ſuper omnia, niſi actualiter, ſaltem in voto, vel ſecundum aliquos, delentur per ipſius Euchariſtiæ receptionem, ſed per accidens tantum; ſi vero ignorentur vincibiliter, omnes Scholaſtici cum S. Thoma 3. part. quæſt. 80. art. 4. unanimes conveniunt, hoſce privari omni effectu huius Sacramenti, quinimo incidere etiam in novum crimen ſacrilegii. Conſcientia venialium non impedit fructus Euchariſtiæ; levis tamen ac ſubreptitius illorum amor non ex toto quidem, ſed ex parte illos impedit; immo eorumdem peccatorum venialium voluntarius ac pluribus actibus confirmatus amor adducit in periculum communionis ſacrilegæ. Non impedit Euchariſtiæ fructus peccatum veniale, quia poteſt eſſe coniunctus cum charitate etiam intenſa, nimirum fieri poteſt, ut quis poſt commiſſa venialia, quorum habet conſcientiam, ſeu eorum meminit, ea ex perfecta contritione deteſtetur, ac cum ingenti fervore ad Euchariſtiam accedat. Levis vero ac ſubreptitius venialium amor, reſpectu Euchariſtiæ ſe habet non ſecus ac ſtomachi debilitas reſpectu cibi communis, qui ipſius cibi communis effectum non ex toto, ſed ex parte impedit. Amor tandem voluntarius peccatorum venialium, quæ ſæpe commiſſa ſunt, diſponit ad mortale, quia valde auget cupiditatem, & charitatem minuit. Igitur plerumque adducit in periculum communionis indignæ. Sic S. Auguſtinus Serm. 224. & D. Bonaventura lib. *de præparat. ad Miſſam*.

Quid de diſtractionibus involuntariis.

Diſtractio vero naturalis, quæ comitatur Euchariſtiæ ſumptionem, non impedit præcipuum illius fructum. Et hoc probat antiqua Eccleſiæ diſciplina, quæ per duodecim priora ſæcula miniſtrabat Sacram Euchariſtiam infantibus, amentibus, aliiſque uſu rationis deſtitutis; ex quo colligitur cenſuiſſe, defectum rationis non liberum, ſeu involuntariam diſtractionem non impedire præcipuum effectum Sacræ Euchariſtiæ. Ita etiam hunc effectum non impedit diſtractio levis etiam voluntaria, cum hæc gravem irreverentiam non importet contra venerabile Sacramentum: impedit quidem ſecundum effectum, nempe

nempe degustationem ſpiritualis illius dulcedinis, ſicuti experiuntur ii qui cum actuali attentione hoc Sacramentum percipiunt. Impedit pariter non ſolum ſecundum effectum, ſed etiam præcipuum, ſeu ſpiritualem nutritionem diſtractio de induſtria expreſſe quæſita, ut ſi in ea diſtractus ſiſtat cum delectatione dum ſe communicat, quia hæc gravem infert Sacræ Euchariſtiæ irreverentiam.

§. XX.

De Miniſtro Sacræ Euchariſtiæ.

De Miniſtro conſecratio nis S. Eucharistiæ

Nota, quod ſicuti Sacramentum Euchariſtiæ conſiderari poteſt vel ſecundum eius conſecrationem, & confectionem, vel ſecundum eius miniſtrationem & diſpenſationem, hinc ſecundum hanc duplicem rationem duplex eſt Sacræ Euchariſtiæ Miniſterium, unum quod conſiſtit in eius oblatione & conſecratione, alterum in eius diſpenſatione, ſeu diſtributione.

Circa primum Miniſterium ideſt conficiendi, & conſecrandi Sacram Euchariſtiam, S. Iræneus refert errorem cuiuſdam Marci hæretici ſimul & Magi, qui utebatur etiam mulieribus ad Sacram Euchariſtiam conficiendam, ut teſtatur etiam S. Epiphanius hæreſi 49. de Peputianis, & hæreſi 79. de Collyridianis. Waldenſes cuilibet laico, modo eſſet vir probus, poteſtatem tribuebant Sacramentum hoc conficiendi, quam negabant impiis Sacerdotibus, ut conſtat ex Rainiero lib. contra Waldenſes cap. 5. *de Sacram. Euchariſtiæ*, Lutherus lib. *de Captivitate Babylonica*, & lib. de *abroganda Miſſa*, ſtatuit, ac docuit, quemlibet Chriſtianum habere ex baptiſmo poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, quam ſententiam emolliere eius recentiores aſſeclæ, præcipue Kemnitius, qui in 2. part. Examinis Concilii Trid videtur innuere, datam fuiſſe Miniſtris a Chriſto hiſce verbis: *Hoc facite*, ſpecialem poteſtatem conficiendi Sacram Euchariſtiam. Error valde cohærens errori Lutheri evulgatus fuit in Diſſertatione cuiuſdam incerti auctoris anni 1638. in qua oſtendebatur facultas facta a Chriſto Domino ſingulis Chriſtianis conſecrandi Euchariſtiam; ea tamen lege ac Baptiſmus, ut laicus ſibi hoc aſſumere non debeat ſine urgenti neceſſitate, & dum præſens adſit Sacerdos. Hunc errorem erudite confutavit perdoctus Petavius in ſua Diatriba, ſeu Diſſertatione *de poteſtate conſecrandi*. Colligunt inſuper aliqui Theologi cum Morino de Pœnitentia cap. 24. ex veteribus canonibus Conciliorum Laodiceni, Ancyrani, Arelatenſis, Diaconos olim ſibi arrogaſſe facultatem conficiendi Euchariſtiam, imo etiam nonnullas mulieres, quorum impiam audaciam repreſſit Synodus Pariſienſis anno 829. lib. 1. can. 25.

Contra tamen hos errores ſemper tenuit, ac tenet ut fidei dogma Eccleſia, ſolos Sacerdotes ritu ipſius Eccleſiæ ordinatos Miniſtros eſſe conſtitutos a Chriſto Domino conficiendi Sacram Euchariſtiam, cum poſt conſecrationem in ultima Cœna ſolis Apoſtolis, & in eorum perſona Epiſcopis & Sacerdotibus ait: *Hoc facite in meam commemorationem*. Et hunc eſſe horum verborum ſenſum patet ex perpetua traditione, & ritu Eccleſiæ quæ ita ſemper tenuit, & docuit, ac ſolis Sacerdotibus dicit in eorum conſecratione, & non aliis. *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium* &c. Et hoc manifeſte habetur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. his verbis: *Hoc Euchariſtiæ Sacramentum nemo poteſt conſecrare, niſi ſolus Sacerdos rite ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ, quas ipſe Chriſtus conceſſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus*. Idipſum confirmarunt Concilia tum Florentinum in ſuo Decreto de Sacramentis, tum Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. ubi loquens de Apoſtolis ſic ait: *Eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem; uti ſemper catholica Eccleſia intellexit ac docuit*; & in can. 2. ita definivit tenendum ſub pœna anathematis.

Neque dubitandum eſt, hanc fuiſſe perpetuam Eccleſiæ traditionem, ac doctrinam, cum Patres priorum ſæculorum, & Concilia clariſſime hoc teſtentur: nam primo hoc habetur in can. 3. Apoſtolorum, qui ſolis Epiſcopis, & Presbyteris præcipit, & præſcribit quod in Altari ſint offerentes. De hoc loquitur S. Dionyſius cap. 5. *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ*, S. Iuſtinus Martyr, Tertullianus lib. *de præſcriptione* cap. 4. S. Epiphanius epiſt. ad Ioannem Hieroſolymitanum, S. P. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, qui ſupponunt ut rem certiſſimam apud Catholicos omnes, ſolum Sacerdotem poſſe Euchariſtiam conficere. Hilarius Sardus inquit: *Cum Diaconus de Eccleſia receſſerit; neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos, & Presbyteros non habens Eccleſia, & non eſt quæ non habet Sacerdotes*. Idem S. P. Hieronymus epiſt. ad Evangelum de quodam Diacono ſeſe præferente Presbyteris, ait: *Quis patiatur, ut ſupra eos ſe tumidus*

Diaconus efferat ad quorum preces corpus, ſanguiſque Chriſti conſecratur? A ſæculo vero V. quo obiit S. P. Hieronymus uſque ad præſens tempus Eccleſia tum Orientalis tum Occidentalis ſemper credidit ſolos Sacerdotes pollere poteſtate Euchariſtiam conſecrandi ſeu conficiendi, nec unquam paſſa eſt, Diaconos, aut alios inferiores Clericos hoc miniſterium ſibi uſurpare, eo quod nullam cognoverit in eis poteſtatem ad illud exercendum, utpote quod ſolis Sacerdotibus, & Epiſcopis ex divina Chriſti inſtitutione fuerit conceſſum, & non Diaconis, qui ſunt proximiores Clerici Sacerdoti, ut ipſum nomen Diaconi non obſcure demonſtrat; quia cum Sacerdos dicatur a ſacrificando, utpote qui conſecrat & ſacrificat, ſicuti ait S. Iſidorus lib. 7. *Etymologiarum* cap. 12. & extat in cap. *Sacerd. de conſecr.* diſt. 2. num. 1. Diaconus ſic appellatur a verbo græco, quod latine vertitur *Miniſter*, quia eius munus eſt Sacerdoti conſecranti inſervire. Idcirco in Liturgiis græcis Diaconus iubetur gerere ſanctam oblationem, ideſt munera conſecranda: Et in antiquo Ordine Romano pariter ſuſcipere oblata de oblationario, inſervire Sacerdoti rem ſacram peragenti, & aliquando etiam Euchariſtiam diſpenſare. Quoad ſecundum vero, ideſt Euchariſtiæ diſpenſationem, certum eſt, quod ſicut Chriſtus Dominus, qui Euchariſtiam inſtituit, eam etiam diſpenſavit Apoſtolis, ita etiam exemplo ipſius inſtitutoris patet, Sacerdotem, qui eam conſecrat in perſona Chriſti, eſſe ordinarium Miniſtrum etiam pro Sacramento hoc in eadem Chriſti perſona diſpenſando: & hoc patet ex citatis verbis Chriſti Domini: *Hoc facite in meam commemorationem*, ideſt non ſolum conſecrando, ſed conſecratum Sacramentum fidelibus miniſtrando. Quod iſte ſit ſenſus huius textus divinæ Scripturæ perpetua comprobat Eccleſiæ traditio, quæ ſemper agnovit Sacerdotem ordinarium Miniſtrum non ſolum pro conſecrando, ſed etiam pro diſpenſando fidelibus venerabili Euchariſtiæ Sacramento. Hinc advertit Concilium Trid. ſeſſio. 13. cap. 8. morem ſemper fuiſſe in Eccleſia, *ut laici a Sacerdotibus communionem reciperent*.

Diaconus eſt Miniſter extraordinarius ad diſpenſandam S. Euchariſtiam.

Diaconus vero tamquam Ordini Sacerdotali proximus, & aliquo modo de Sacerdotis officio participans, eſt Miniſter extraordinarius pro publica ſacræ Euchariſtiæ diſpenſatione, urgente tamen neceſſitate, iuſſu, ac delegatione Epiſcopi, aut etiam Sacerdotis, ſicuti olim factum fuiſſe habetur quando opus erat, maxime ubi maior erat populi frequentia, & potius ipſis committebatur diſpenſare, ut quidam volunt, Sanguinem, quam Corpus Chriſti. Hæc tamen differentia, quam urget S. Thomas parte 3. quæſt. 82. art. 2. non invenitur in ſacris Canonibus fundata, utpote qui utriuſque diſpenſationem Diaconis concedant. Nunquam tamen Euchariſtia a Diacono diſpenſanda eſt Sacerdotibus, ut habetur ex can. 8. Concilii Nicæni. Cum tamen talis uſus non amplius apud nos vigeat, imo in tanta Sacerdotum frequentia ſcandalum movere poſſet, facultas expectanda eſt a ſolo Epiſcopo, niſi forſitan urgeat gravis neceſſitas, puta ſi Viaticum deferendum eſſet ad periculoſe decumbente abſente Presbytero.

Clerici inferiores poſſunt quidem eſſe extraordinarii Miniſtri Euchariſtiæ pro diſpenſatione privata urgente gravi neceſſitate; hoc tamen non poſſunt in publicq cœtu, & ſolemniter. Hoc primum patet ex Adone, qui in ſuo Martyrologio refert, Therſcitium Acolythum Sacramentum Corporis Domini deferentem a Paganis occiſum fuiſſe, quia noluerit ſancta eis prodere. Quoad ſecundum autem habetur ex uſu & praxi Eccleſiæ, quam afferunt S Cyprianus *de lapſis*, Acta paſſionis S. Laurentii, Concilium Arelat. primum, Nicænum primum, & Carthaginenſe quartum, in quibus munus illud non aliis Miniſtris tribuitur, niſi Diacono; quin & Concilium Laodicænum ſub S. Sylveſtro ita ſtatuit can. 15. contra Subdiaconos: *Non oportet Subdiaconos panem dare, vel calicem benedicere*.

Miniſtrare ſibi Euchariſtiam poteſt Sacerdos celebrans, ut definitum fuit, ac ſtatutum a Concilio Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. *Laici a Sacerdotibus communionem accipiant; Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicent*; & hoc probatur tum ex ipſius Chriſti exemplo, qui ſeipſum communicavit, ut habet S. Chryſoſtomus homil. 83. in Matthæum, & S. P. Hieronymus quæſt. 2. ad Hebidinum ubi vocat Chriſtum *convivam, & convivium*; tum ex uſu conſtanti univerſalis Eccleſiæ, qui ab Apoſtolis deſcendere credendus eſt. Item Sacerdos non celebrans in ægritudine ſeipſum communicare debet, ſi nullus adſit niſi Diaconus. Ita docet Suarez, Durandus. Imo idem poſſe Sacerdotem docet Suarezius, diebus ſolemnioribus, dummodo abſit ſcandalum.

Quamvis ob graves urgenteſque rationes indulſerit Eccleſia antiquitus, præcipue ſæviente perſecutione, ut laici Euchariſtiam in proprias domos deferrent, & Monachi in de-

Digitized by Google

deſertum; & hiſce etiam poſt redditam Eccleſiæ tranquillitatem, ut eam propriis manibus ſumerent; cum tamen a pluribus ſæculis eædem rationes ceſſaverint, hinc remota fuit talis conſuetudo, imo per Conciliorum decreta vetita, præcipue a Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. cit. ubi declarat retinendum morem, quem dicit deſcendere ab Apoſtolis, ut laici a Sacerdotibus communionem recipiant. Ab hac diſciplina diſpenſatum fertur ſæculo 16. cum Maria Scotorum Regina, quæ in carcere detenta, & morti proxima Euchariſtiam quam apud ſe detinebat, ſibi per ſeipſam miniſtravit. Sed de hoc fuſius quando de ritibus iſtius Sacramenti.

Quid de ſimpl ci Sacerdote circa miniſtrationem S. Euchariſtiæ.

Etſi quilibet ſimplex Sacerdos vi poteſtatis Ordinis Euchariſtiam miniſtrare poſſit, quia tamen Paſtoris eſt paſcere ſuum gregem; hinc Sacerdotes qui Paſtores non ſunt animarum, nequeunt Sacramentum hoc nec alia ſine Paſtoris licentia cuipiam miniſtrare. Communiter tamen talis licentia præſumitur 1. cum admittitur Sacerdos ad ſacrificandum: nam optat Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 6. ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes communicent. 2. Cum ex privilegio in aliquibus Oratoriis aſſervatur ſacra Euchariſtia diſtribui poteſt fidelibus etiam extra Miſſæ actionem; ad hoc enim ſervari permittitur. Dixi *communiter*; nam 1. non licet niſi Paſtori miniſtrare Viaticum, aut alio Sacerdoti ab ipſo deputato. Et hæc exceptio habetur expreſſe in Regularium privilegiis. Imo hoc ipſis inhibitum eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſervatæ Summo Pontifici prima Clementina, *Religioſ. de privileg.* 2. Infantes non ſunt admittendi prima vice ad ſacram Synaxim ſine iudicio, & conſenſu Paſtoris, iuxta diſciplinam, quæ ubique viget, & ſervatur, cum cæteroquin periculum ſit, ut admittantur ignorantes prima fidei rudimenta, vitæque Chriſtianæ regulas, ac neceſſarias diſpoſitiones ad Sacramentum digne ſuſcipiendum: nam ſicut iam patet experientia, plebæi niſi mediante hac diſciplina induci poſſunt ad iſta perdiſcenda. Item vetitum eſt privilegiatis miniſtrare Euchariſtiam die ſancto Paſchatis, ita ut vel nulla eſt Bulla Nicolai V. tollens talem exceptionem, vel ut aliqui volunt, non eſt uſu recepta. Verum cum multi Epiſcopi prohibitionem hanc extendant a Dominica Palmarum ad Octavam Paſchatis incluſive, dubitari nequit, quin huic diſciplinæ faveat Clementina contra Regulares, qui ſine iuriſdictione in tali caſu communionem laicis adminiſtrant. Nihilominus tamen in Italia hæc diſciplina non viget reſpectu eorum, qui Euchariſtiam ſumunt, non ut debito Paſchalis communionis ſatisfaciant, ſed intuitu ſolummodo devotionis, quia hæc talis miniſtratio non eſt vetita. Cæterum privilegiati pro adimplendo præcepto Paſchalis Communionis Euchariſtiam miniſtrare nequeunt vagis & peregrinis, qui nullam habent Parochiam, quia ii ſortiuntur Parochiam, ad quam devenerint, idcirco nec hiſce poſſunt miniſtrare Viaticum in lethali ægritudine, & extremam Unctionem: nam hoc ſemper ſpectat ad Parochum, vel ad eius deputatum. Et cum præceptum de Paſchali Communione ſemper urgeat, qui tempore præſcripto non ſatisfecerunt, remittendi ſunt ad ſuum Parochum, ſi in anni tempore ad alium accedant.

De Parocho quoties S. Euchariſtiam ſuo gregi miniſtrare debeat.

Circa tempus, quo Parochus Euchariſtiam ſuo gregi miniſtrare teneatur, certum eſt teneri non ſolum cum urget præceptum communionis ſub tempore Paſcharis, ægritudinis, peſtis, & perſecutionis propter mortis periculum, in quo fideles verſantur, ſed etiam quotieſcumque rationabiliter petant: Et quia Paſtoris eſt ſubminiſtrare proprio gregi non neceſſaria tantum, ſed etiam utilia, *in paſcuis uberrimis paſcam eos* legimus Ezechielis 34. & cum intentio ſit piæ Matris Eccleſiæ ut fideles frequenter eo ſaluberrimo, ac pretioſo pane reficiantur; evidenter patet, requirere a Paſtoribus, ut ſpiritualem ſuorum ſubditorum famem pietate vere materna ſaturent, ne gemere habeat ſancta Eccleſia mater: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Thren. 4. Tandem quia ſacra Euchariſtia eſt medium tametſi non abſolute, ſaltem ſecundum quid, ut proxime dicetur, neceſſarium ad perſeverandum in gratia, ad tentationes vincendas, & peccata vitanda, ut advertit Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. Hinc factum fuit quod probati Paſtores qui hactenus in Eccleſia floruere, non timuerunt ſe exponere mortis periculo, ut hoc valido adminiculo fideles munirenr, ac recrearent.

Non licet extra caſum miniſtrandi Viaticum pericoloſe decumbenti, deficientibus minoribus particulis detrahere partem maioris quæ in celebrando eſt conſecrata, ſi communis ex ſola devotione petatur, quia hoc eſſet contra Eccleſiæ praxim.

§. XXI.

Digitized by Google

§. XXI.

De ſubiecto Euchariſtiæ, ideſt de perſonis capacibus huius Sacramenti.

Quia baptiſmus eſt ianua Sacramentorum, quatenus homo per ipſum Eccleſiam ingreditur, & membrum eius efficitur, ac proinde hoc mediante ius, ſeu actionem acquirit participandi de bonis omnibus, quæ Eccleſia fidelibus ſuis diſpenſat, atque communicat, præcipua quorum ſunt Sacramenta; hinc omnes & ſoli homines baptizati ac viatores ſunt ſubiectum capax Sacramenti Euchariſtiæ; illius vero fructus nonniſi qui cum debitis diſpoſitionibus ad hoc accedunt. Dixi *homines baptizati*, quia baptiſmus ſe habet per modum potentiæ paſſivæ ad recipienda alia Sacramenta. Dixi *ſoli baptizati*, quia non baptizatus, etiamſi catechumenus ſit, caret potentia neceſſario ex Dei inſtitutione prærequiſita ad alia Sacramenta ſuſcipienda: reciperet enim nondum initiatus Corpus Chriſti; ſed materialiter, ſicuti recipitur in pyxide. Dixi *viator* quia Sacramenta non ſunt inſtituta niſi pro viatoribus, ac ideo Sacra Euchariſtia dicitur etiam Viaticum, quia cibus eſt viatorum; quæ ratio movit Concilium Carthag 4. cap. 6. Antiſiodorenſe anno 563. cap. 12. Trullanum can. 83. ad damnandum abuſum dandi ſacram Euchariſtiam corporibus defunctorum. Dixi tandem *Sacramenti*, quia eius fructum nonniſi iuſti percipere poſſunt, ut melius res explicabitur, ubi de requiſitis diſpoſitionibus agemus.

Solus homo viator baptizatus capax eſt S. Euchariſtiæ.

Tres autem modos notat Concilium Trid. iuxta doctrinam SS. Patrum ſeſſ. 16. cap. 8. ſumendi hoc Sacramentum, nempe *Sacramentaliter* tantum, ut fit in iis qui indiſpoſita conſcientia accedunt: ii enim Sacramentum ſolummodo recipiunt, non fructum Sacramenti. *Spiritualiter*, & hoc de iis intelligitur, qui voto, non re panem hunc cœleſtem ſuſcipiunt, fide tamen viva, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & utilitatem ſentiunt, ac guſtant. *Sacramentaliter* tandem *ſimul & ſpiritualiter*, & ita illud ſuſcipiunt qui virtutum ornatu ad huius divinæ menſæ participationem accedunt. Unde cum hi vivi ſint in gratia, ſpiritualem alimoniam, ac nutritionem ex hoc divino pane recipiunt: Quod cum ſolis ſpiritualibus viventibus conveniat, & pro iiſdem pariter fuerit inſtitutum, ideo Euchariſtia Sacramentum vocatur vivorum. Quare ratio huiuſce Sacramenti difficultatem movet inter Theologos, num improbi homines, ideſt ſceleribus inquinati procul ab Euchariſtica menſa arcendi ſint; & cum varia ſint genera hominum, quibus aliquando conceſſa fuit, denegata aliquando huius Sacramenti participatio, de iis quoque diſtincte inquirendum erit. Et hi ſunt parvuli, energumeni, amentes, ſurdi ac muti a nativitate, damnati ad mortem, qui poſt vitam contaminatam ſine emendatione ad extremum vitæ perveniunt. Cæteroquin licet verum ſit miniſtrandam non eſſe ſacram Euchariſtiam omnibus his quos recenſuimus in explicanda ſententia de ſubiecto capace huius Sacramenti; tamen in primis obſervandum eſt, quæ ſit Eccleſiæ diſciplina, quæ accedentium diſpoſitiones, quæve circumſtantiæ in iis, qui accedunt.

Tres modi ſumendi S. Euchariſtiam.

§. XXII.

De malis, ſceleribuſque inquinatis.

* Nota nomine mali hic non intelligi illos, de quibus ait Chriſtus Dominus Matthæi 7. *Si vos cum ſitis mali &c.* Nam in tali ſenſu omnes mali ſumus propter quotidianas offenſiones, in quas incurrimus; ſed eos qui reipſa ſunt in affectu peccati mortalis, abſque eo quod nullatenus abhorreant ac deteſtentur ſuorum flagitiorum inquinamenta. Licet ut refert D. Thomas 3. part. quæſt. 80. art. 3. quidam ex antiquis opinarint Corpus Chriſti nequidem ſacramentaliter ſumi a peccatoribus actuali affectu ſuorum ſcelerum illaqueatis, ut poſtea ſenſit Ioannes Wicleffus quodlibeto apud Thomam Waldenſem tom. 2. *de Sacramentis* cap. 60. indubie tamen tenendum cum Sancto Thoma, omnibuſque Scholis, Corpus Chriſti vere ſumi in Sacramento Euchariſtiæ non tantum a bonis, verum etiam actualiter malis, & peccatoribus; illud enim ſumpſit cum aliis Apoſtolis etiam impius Iudas, Marci 14. & *biberunt de illo omnes*; & Chriſtus Dominus porrigens omnibus ſuis diſcipulis, inter quos erat ipſe Iudas, ait: *Accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum*; & hoc etiam comprobatur teſtimonio Apoſtoli 1. Corinth. 10. ubi monet fideles, ut vitent idololatriam, quia nemo poteſt bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum: ait enim: *Non poteſtis bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum*; & proximo cap. verſ. 27. indigne communicantes appellat reos Corporis, & Sanguinis Domini; nec his opponitur cap. *Qui diſcordat diſt.* 2. *num.* 65. ubi ſic habetur: *Qui diſcordat a Chriſti non manducat* car-

Qui nomine mali intelligantur.

carnem eius: Nam ibi intelligitur indignum non manducare Chriſti carnem ſpiritualiter, & quoad effectum Sacramenti, qui eſt habere Chriſtum permanentem, non autem quoad veram Sacramenti ſumptionem & manducationem.

Quando S. Euchariſtia peccatorib. ſ deneganda quando miniſtranda.

An vero liceat dare ſacram Communionem peccatori eam petenti, vel eo omnino deneganda ſit, ut præceptum Domini innuere videtur Matthæi 7. *Nolite dare ſanctum canibus*, & Matthæi 15. *Non eſt bene ſumere panem filiorum, & mittere canibus*: pro reſolutione, ac explicatione quæſtionis diſtinguendum eſt, nempe, aut peccator publicus eſt, & manifeſtus, aut peccator eſt occultus; ideſt aut notorium eſt eius crimen, aut ſecretum: item aut petit in publico, aut in loco occulto; manifeſti autem dicuntur peccatores, & notorium eorum crimen, vel per evidentiam facti, ita ut nulla tergiverſatione celari, aut excuſari poſſint; cuiuſmodi ſunt publici uſurarii, hiſtriones, & meretrices; vel per evidentiam iuris, ut ſi peccatum confeſſus fuerit coram Iudice, aut alteri publicæ perſonæ ad hoc ſpecialiter delegatæ, aut per iudicium cap. *quæſitum eſt*, & cap. *Tua nos*. Peccatori publico, qui non egit pœnitentiam, ſive private, ſive publice communionem petat, ſemper deneganda eſt, quia Chriſtus Dominus ita præcepit Apoſtolis, ut habetur Matthæi 7. *Nolite ſanctum dare canibus*, & 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Canes iuxta Chryſoſtomum hom. 4. in Matth. ſunt homines perditiſſimi & in impietate viventes immedicabili. Nulla enim fit petenti iniuria, quoniam nec infamatur, cum iam talem notam a propriis criminibus accipiat, nec iure ſuo defraudatur, cum in tali ſtatu ius non habeat ad percipiendum Chriſti corpus. Item deneganda eſt etiam ex parte Miniſtri, ne ipſe quoque reus fiat cooperando alterius culpæ, nempe communione indignæ. Eadem vero lege, ac conditione obſtringuntur etiam excommunicati publice denunciati & ex Decreto Innocentii XI. etiam mulieres accedentes ad altare habitu ad laſciviam compoſito. Quod ſi peccator ita laboret infamia, ut tergiverſatione crimen excuſet, conſulendus eſt Epiſcopus. Ita Eſtius, Habertus &c.

Si crimen vero ſit occultum, & peccator occulte petat & abſque ullis teſtibus, deneganda eſt communio ob rationes paulo ante adductas in præcedenti reſolutione. Excipiunt tamen communiter Theologi contra S. Thomam in 4. diſt. 9. art. 5. quæſt. 1. niſi Sacerdos ex ſacramentali confeſſione peccatum cognoverit; quia Eugenius Papa cap. *Si Sacerdos de offic Iud. ordin.* ait: *Si Sacerdos ſciat pro certo aliquem eſſe reum alicuius criminis, vel ſi confeſſus fuerit, & noluerit emendare .... tamen non nominatim poteſt eum removere a Communione, quia non ut iudex ſcit, ſed ut Deus; ſed debet eum admonere, ne ſe ingerat, quia nec Chriſtus Iudam a communione removit*. Ita 1. Decretalium tit. 31. cap. 2. Et quidem confeſſionis ſigillum talem exigit cautelam, & maxima cautela adhibenda eſt, ne peccatorum confeſſio in contemptum invidiamque trahatur. Hanc ſententiam ſecuti ſunt Gabriel, Sylvius, Navarrus, Suarez, imo ipſe D. Thomas deprehenditur ex art. 6. quæſt. 80. non ſtetiſſe in ſententia, quam iunior tenuerat in 4. Nam ibi laudat, ac approbat auream S. Auguſtini regulam ex ult. hom. inter 50. nunc ſermo 351. *Nos a communione prohibere quemquam non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo iudicio eccleſiaſtico, vel ſeculari nominatum, atque convictum*. Sed regula S. Auguſtini eſt ex omnium conſenſu de peccatoribus occultis, qui publice petunt, quorum famæ eſt conſulendum.

Quid in caſu peccatoris occulti publice petentis.

Sed ſaltem monendus videretur qui minus ex malitia quam ex ſimplicitate Euchariſtiam ſine teſte peteret; nam conſtat experientia rudiores expleta confeſſione pro more ad ſacram menſam pergere, non attendentes an abſoluti fuerint, necne: in quo caſu, ubi ſupponitur nullum periculum eſſe infamiæ, poteſt Sacerdos quærere ab huiuſmodi homine num abſolutionis beneficium conſecutus fuerit. Habertus. Quod ſi peccator occultus, & notus non pluſquam per confeſſionem peccator, publice petat, ſine ulla controverſia non eſt ei deneganda communio, quoniam in faciem Eccleſiæ non conſtat ipſum ius ſuum amiſiſſe: Ita S. Thomas in 4. diſt. 9. quæſt. 1. art. 5. Nam quando etiam Miniſter ut peccatorem eum agnoſceret, docet cit. Pontifex Eugenius, quod non ut iudex, ſed ut Deus agnoſceret, ac proinde ſicuti Chriſtus Dominus docuit ſuo exemplo, quando ſciens ut Deus Iudam peccatorem, adhuc ſanctiſſimum ſuum corpus & ſanguinem ſimul cum aliis diſcipulis ei præbuit; ita Sacerdos ſciens ex confeſſione, ac proinde ut Deus petentem Sacram Synaxim conſcientiam crimine maculatam habere, nullatenus illam ei denegare debet, nec poteſt; nam iuxta regulam præcitatam S. Aug. hæc fuit ſemper Eccleſiæ praxis. Ex huiuſmodi

enim

Digitized by Google

enim repulſa iniuſte læderetur proximi fama, ad quam tuendam ius habet, quando crimen eius eſt occultum. Praxis enim Eccleſiæ magnam redolet prudentiam, quia hoc cavet ne pax in ipſa turbetur, & viam gravioribus ſcandalis recidit, quæ alias ſequerentur, ut inimicitiæ, rixæ, contentiones, & Sacerdos ſuſpicaretur hoc agere infenſo animo, ac ſimulato, & ſæpe etiam contingeret aliquem hoc prætextu privatas ulciſci iniurias.

Nec ſecus licet ullatenus conſulere honori huius venerabilis Sacramenti, & impedire novam ſacrilegii culpam in occulto peccatore publice petente, qui iam propter ſcandalum repelli nequit, ei particulam non conſecratam præbendo, quod communiſſime docent Doctores cum S. Th. quæſt. 80. art. 6. ad 2. nam hic eſſet error peior priore. Et primum quia Sacerdos quantum in ſe eſt, in tali caſu adſtantes, & ipſum etiam occultum peccatorem idololatriæ periculo exponeret, & quia admitti non debet hæc compenſatio, ut faciamus aliquid mali, ne aliud gravius malum fiat, ut ait S. Aug. quæſt. 42. in Geneſ. Præterea quia non impeditur ea ratione ſacrilegium accedentis animo, & voluntate iam commiſſum, nec iniuria Domino illata. Tandem quia in cap. *de homine* lib. 3. Decretalium tit. 41. *de celebrat. Miſſæ* habetur: *Impie ſe gereret Sacerdos, qui propter ſui facinoris conſcientiam Miſſam celebrare, ſe fingit, ac ſuppreſſis verbis, quibus conficitur corpus Chriſti, panem, & vinum tantummodo pure ſumit.* Et ibi additur ratio, cum falſa ſint abiicienda remedia, quæ veris ſint periculis graviora. Iuveninus, P. Berti &c.

§. XXIII.

De pueris aliiſque uſu rationis carentibus.

De more qui olim viguit miniſtrandi S. Euchariſtiam infantibus.

Habetur, ſeu legitur, praxim viguiſſe in Eccleſia uſque ad 12. ſæculum non alias ſextum, ut vult Maldonatus in cap. 6. Ioannis, concedendi ſacram Euchariſtiam infantibus, ut de III. ſæculo teſtatur S. Cyprianus tract. *de lapſis* de IV. S. Ambr. lib. *de initiandis* cap. 8. de V. S. Aug. ep. 217. alias 107. ad Vitalem, de VI. S. Greg. Magnus lib. *Sacramentorum*, de VII. Concilium undecimum Toletanum; de VIII. Ordo Romanus tit. *de Baptiſmo*, & ſic alibi de aliis 4. ſæculis, & præcipue in D. Thoma, qui obiit anno 1274. Hic 3. part. quæſt. 70. art. 9. docet iuxta uſum ſua ætate confirmatum pueris recenter natis danda non eſſe ſacra Myſteria, licet Græci contrarium ſervent. Hac ſua praxi, & diſciplina perſuaſum fuiſſe notatur veteribus, infantes aptos eſſe cum fructu ſacræ Euchariſtiæ & probationem, quam exquirit Apoſtolus ad huius Sacrati cibi manducationem, illis ſolummodo neceſſariam eſſe, qui alicuius mortalis culpæ ſint conſcii, ut ſunt adulti, & neutiquam parvuli. Mutata tamen fuit in Eccleſia Occidentali poſt ſæculum 12. diſciplina erga infantes, & prorſus abrogatus mos ac praxis eis miniſtrandi ſacram Euchariſtiam, tametſi per baptiſmum facti ſint iuſti, ac ideo capaces ſuſcipiendi hoc Sacramentum, & fructus eius. Iuſtis tamen de cauſſis immutata fuit diſciplina, ac vetitum dare infantibus ſacram Synaxim, quod probavit Trid. Synodus, contrariumque uſum firmavit cap. 4. & can. 4. ſeſſ. 21. Nec Eccleſiæ iudicium eſt reprehendendum, nec ob contrariam diſciplinam fovenda ſunt ſchiſmata: Non enim una fuit ratio quare huiuſcemodi praxis immutata fuerit; & 1. quod infantuli non percipere valeant quid ſumant, carentque devotione tam neceſſaria ad religioſam ſacræ Euchariſtiæ ſuſceptionem, ac ideo in re iam ad ſalutem non omnino neceſſaria prævalere debet reverentia tam venerabilis Sacramenti augmento illi gratiæ, cuius defectu nullum parvuli pro ſpirituali eorum ſalute detrimentum patiuntur. Item quia non facile ſpeciem panis percipere, & digerere valent parvuli, & cum illis præberetur ſpecies vini ſemper erat periculum alicuius irreverentiæ huic Sacramento indebitæ, nempe vel quod aliqua pars ſanguinis extra os pueri effunderetur, vel quod ſumptum evomerent. Tandem cenſeri poteſt a recentiori Eccleſia hoc factum fuiſſe, ut reprobetur hac nova praxi eorum ſententia, qui volunt pueros baptiſmate regeneratos abſque Euchariſtia ſalvari non poſſe.

Sæculo 12. mutata fuit in Eccleſia Occidentali diſciplina dandi S. Euchariſtiam pueris ante uſum rationis.

Quid de Euchariſtiæ adminiſtratione amentibus.

Circa eos vero qui uſu rationis carent, obſervandum quod vel perfecte carent, ut ſunt amentes, vel imperfecte, ut ſemifatui Amentes vel nunquam uſum rationis habuere, ideſt illorum amentia, eſt perpetua ſeu a nativitate, vel aliquando ſui compotes fuerunt, hoc eſt eorum amentia non eſt a nativitate, & perpetua. Si amentia perpetua ſit, certe iis qui hac laborant, non eſt concedenda ſacra Euchariſtia, nam iſti habendi ſunt pro infantibus. Si vero non ſunt perpetuo amentes, ut habeant lucida intervalla, hæc attendenda ſunt, ut Sacramentum hoc illis miniſtretur; & ſi non habeant hæc incer-

tervalla, vel ita brevia ſint, ut non vacet tempus eos communicandi, ſi dum uſu rationis pollebant aliquam erga hoc Sacramentum venerationem devotionemque exhibuerint, ſaltem in morte privandi non ſunt ſacro Viatico, dummodo tamen laudabilem vitam duxerint, aut ſaltem ſigna pœnitentiæ dederint; ex can. 76. Concilii IV. Carthag. inſerto 2. parti Decretalium 26. quæſt. 6. cap. *his qui pœnitentiam*; quando tamen nullum ſit periculum irreverentiæ, puta vomitus, aut expuationis. Nam ſi experientia conſtet adeſſe hoc periculum, quia Euchariſtiam recenter acceptam plerumque expuerint, in hoc caſu conſulant Paſtores reverentiæ, & ſecuritati Sacramenti prius immittendo in os infirmi, qui rationis compos non eſt, formulam non conſecratam. Sic Habertus, & P. Berti. Qui autem carent uſu rationis imperfecte, & dicuntur ſemifatui, conſultius eſt eos non admittere frequenter ad participationem corporis Chriſti, ne Sacramenti dignitas vileſcat; ſed urgente præcepto in Paſchate, & mortis articulo denegari non debet, cum hi habeant ſufficientem capacitatem, ut neceſſariam diſpoſitionem præmittere valeant. Tournely, Juveninus, Habertus &c.

§. XXIV.

De energumenis, ſurdis, ac mutis a nativitate.

De veteri Eccleſiæ diſciplina circa energumenos.

Energumeni ii dicuntur, qui ab immundis ſpiritibus oppreſſi ſunt, ac vexati. Duo autem ſunt iſtorum genera. Quidam perpetuo agitantur, alii lucidis quibuſdam fruuntur intervallis. Energumeni primævis Eccleſiæ ſæculis non admittebantur ad Euchariſticam communionem, niſi urgente mortis periculo, in quo caſu eis concedebatur, vel ipſi de purgatione ſui ſolliciti Clericorum monitis obſequebantur. Ex veteri Eccleſiæ diſciplina, quæ eos tempore oblationis a fidelibus ſeparabat Diaconi iuſſu, qui poſt exitum catechumenorum alta voce clamabat: *Exite energumeni*, ſicuti docent antiquæ Liturgiæ; non eadem erat conditio cuiuſcumque energumeni: Nam qui ita a maligno ſpiritu exagitabantur, ut ſubiecti eſſent diuturnæ perturbationi, ii erant qui tempore oblationis ab aliis fidelibus per Diaconi intimationem ſeparabantur; & de iſtis loquitur Concilium Eliberit. can. 9. & 37. ubi additur, *qui ab erratico ſpiritu exagitabatur*. Illis vero, qui lucida habebant intervalla, ideſt quos non ſemper malignus ſpiritus exagitabat, his inquam dum actu liberi erant a maligna exagitatione communio permittebatur, ſicuti habetur in alio can. eiuſdem Concilii Eliberitani, in quo vexatis a ſpiritibus immundis communionem permittit; qui canones cum ad invicem ſibi contradicere nequeant, intelligendi ſunt de duplici energumenorum ſpecie. Quando tamen alter canon non eſſet intelligendus de energumenis mortali morbo correptis, ut notat P. Berti. Nova tamen diſciplina, ſeu ſubſequentibus ſæculis energumeni indiſtincte admittuntur ad ſacram communionem, quandocumque accedant, quando viſi ſunt, ac videantur accedere cum fructu & reverentia ad eam diſpoſiti. Et huic diſciplinæ, ac novo uſui ſavet, ac concordat Concilium primum Arauſicanum an. 441. can. 14. in quo dicit, energumenos iam baptizatos curantes de ſua purgatione ſolicitudini Clericorum eſſe tradendos, ac eorum monitis obtemperantes omnino communicandos, ac virtute Sacramenti muniendos ab incurſu dæmonis, a quo infeſtantur. Habentur enim varia exempla multorum, qui virtute ſacræ communionis a dæmonis infeſtatione liberati fuere. Pater Berti.

Nova Eccleſiæ diſciplina de Euchariſtia ipſis miniſtranda.

De ſurdis & mutis circa eorum admiſſionem ad Euchariſticam communionem.

Surdis, ac mutis a nativitate, licet ſint capaces percipiendæ cum fructu Euchariſtiæ, ſi nulla culpa lethali obſtringantur, ex diſciplina tamen Eccleſiæ, quando nullum præſeferant huius Sacramenti deſiderium, & fidem ſuam, ac pietatem nullatenus exprimere, ſeu ſignificare ſciant, ac valeant, deneganda eſt Euchariſtia. Non ita vero, ſi ſubito ob aliquam infirmitatem obmuteſcant; *ſubito obmuteſcentes* (ait Concilium Arauſicanum primum can. 12.) *baptizari, ac pœnitentiam ſuſcipere poſſunt, ac ideo etiam ſacram Euchariſtiam, ſi voluntatis eius aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeant, aut præſentis in ſuo nutu*. Imo non eſt deneganda etiam mutis, ac ſurdis a nativitate, & in hoc omnes conveniunt, quando hi peccata vitare ſatagant, atque in virtute proficere, pœnitentiæ quoque, ac devotionis ſigna præbeant; quæ ut exhibeant, invigilare debet parentum, ac Paſtorum pia ſolicitudo. Nam tametſi fides nonniſi per auditum ſuſcipiatur, ut monet D. Paulus Rom. 10. S. tamen Auguſtinus agnoſcit lib. *de dono perſever.* cap. 19. quibuſdam licet pauciſſimis donatum fuiſſe, ut nullo homine ſibi prædicante, per ipſum Dominum, vel per angelum cœlorum doctrinam ſalutis acciperent, & S. Thom. in 3. diſt. 2. quæſt. 4. ait: *in iis quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem,* nun-

nunquam Deus homini quærenti ſuam ſalutem deeſt, vel deficit ex culpa ſua : Unde explicatio eorum quæ ſunt ad ſalutem vel divinitus providetur homini per prædicatorem, ſicut patet de Cornelio Actor. 10. vel per revelationem. Quod ſi dubitetur de eorum diſpoſitionibus conſulatur Epiſcopus. Habertus, Tournely.

§. XXV.

De condemnatis extrêmo ſupplicio.

Circa malefactores ultimo ſupplicio afficiendos variat Eccleſiarum ſtylus, ſeu diſciplina. Aliquando enim iis denegata fuit ſacra Euchariſtia, præcipue in Hiſpania, & Gallia, ut habemus ex Synodo Rhemenſi anno 630. Imo ante annum 1396. denegabatur ibi eiuſmodi reis etiam ſacramentalis abſolutio, ut conſtat ex Morino lib. 10. *de pœnitentia* cap. 4. ubi habetur hunc morem ab rogatum fuiſſe a Carolo VI. ann. 1396. Verum uſus hiſce denegandi ſacram Euchariſtiam adhuc in Gallia perſeverat & in Hiſpania, quamvis dicat Sylvius in 3. par. quæſt. 80. in Hiſpania obtinuiſſe contrarium uſum. In Italia autem, & in Germania certum eſt hoc Sacramentum præberi ultimo afficiendis ſupplicio, & tametſi morem ſuum defendant Galli eo quia aiunt, hi non deteſtantur ſua ſcelera, niſi timore ſupplicii, unde merito dubitatur, an ſint capaces ſacramentalis abſolutionis, quæ tamen nunc etiam eis benigne conceditur, & quia accepto mortis nuntio ita conſternantur, ut deſtituti appareant rationis uſu; varia nihilominus momenta perſuadent Italis & Germanis, iiſdem denegandam non eſſe ſacram Synaxim. Et hoc conſtat ex cap. *quæſitum* 13. quæſt. 2. num. 30. ubi definitur *qui pro ſuis ſceleribus in patibulis ſuſpenduntur, communionem in fine ſecundum canonicum iuſſum dandam* eſſe. Idem habetur in can. 27. Concil. Mogunt. ann. 847. can. 80. & in aliis etiam Wormacienſi ann. 868. Triburienſi ann. 895. In his enim omnibus Synodis ſtatuitur ſuſpendendis dandam eſſe ſacram communionem, dummodo pœnitentiam gerant.

§. XXVI.

De hominibus ſceleſtibus qui tempore mortis pœnitentes ſe præſeferunt.

Non ſecus ac de ſupplicio afficiendis, etiam circa perditos homines qui ad mortis extrema pœnitentiam perducunt, dum tamen ſunt adhuc in rationis uſu, non ſemper fuit eadem in Eccleſia, nec in omnibus Eccleſiis conformis diſciplina. Nam primis Eccleſiæ temporibus fuit aliquantum ſeverior circa propoſitum caſum rigor diſciplinæ. *Obſervantior prius*, inquit Innocentius I. epiſt. e. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum, *durior poſterior interveniente miſericordia inclinatior*. In Hiſpania Concilium Eliberitanum reis quorumdam graviorum criminum communionem denegabat etiam in mortis articulo, can. 1. 2. 3. 6. 7. & in aliis. Verum quidem eſt, quod primævis temporibus nomine communionis intelligebatur ſocietas cum fidelibus, ſed quibus hæc ſocietas denegabatur, denegabatur ſimul Euchariſtiæ participatio. In Africa ante S. Cyprianum aliquando pax, ideſt reconciliatio, & ſacra communio denegabatur mæchis, ſeu adulteris, ut teſtatur S. Martyr ep. 21. ad Antonianum, quem rigorem anterioris diſciplinæ ipſe S. Cyprianus temperavit in Concil. habito cum ſuis Epiſcopis, ſed nihilominus mos aliquando invaluit, ut qui pœnitentiam in decurſu vitæ ſuæ non egiſſent, ſi in mortis articulo Eccleſiæ reconciliari poſtularent, a ſpe communionis, & pacis repellerentur, ut S. Cyprianus memorat in cit. ep. & hæc ſeveritas Galliæ quoque fuit in uſu, ut ex Conc. Arelat. anno 314. can. ult. Diſciplina tamen adeo durior non ubique recepta erat, nec in eiſdem Eccleſiis conſtans fuit ac diuturna, ut patet ex Concil. præcipue Carthag. IV. Nicæno gener. ann. 325. can. 18. quæ temperarunt hanc ſeveritatem, & iuſſerunt, huiuſcemodi obſtinatis peccatoribus, ſi tempore eorum mortis pœnitentiam petierint, etiamſi ante Sacerdotis adventum oppreſſi ab infirmitate obmutuerint, vel in phreneſim inciderint, dummodo adſit qui teſtetur ſe audiviſſe eos pœnituiſſe, ac pœnitentiam ſeu reconciliationem petiiſſe, & morituri credantur, eis, inquam, dandam eſſe pœnitentiæ reconciliationem, & ſacræ Euchariſtiæ participationem. Quare hæc diſciplina ſtatuta ab hiſce duobus Conciliis de danda reconciliatione, & ſacra Synaxi in extremo vitæ periodo peccatori, qui tunc ſolum pœnituit, ac ſacramentalem petiit reconciliationem, & ſacræ Euchariſtiæ viaticum, tandem invaluit in Eccleſia, ut morem hunc, excepta nunc Gallia quoad Euchariſtiæ participationem, fere omnes aliæ particulares Eccleſiæ ſequantur, & hoc eſt conſonum non ſolum cit. Conciliis Carthag. IV. & I. gener. Nicæno, ſed etiam Agathenſi

Explicatur vetus, & nova diſciplina Eccleſiæ circa tales pœnitentes.

thenſi anno 406. can. 15. in quo ſic legitur: *Viaticum omnibus in morte poſitis non eſt negandum*; iudicio & doctrinæ Gregorii III. qui ep. *ad Bonifac.* num. 7. ſcribit, quæ ab Ivone inſerta ſunt Collectioni Canonum part. X. cap. 179. *De iis vero, qui patrem, matrem, fratrem, aut ſororem occiderint dicimus, ut toto vitæ tempore communionem non ſuſcipiant, niſi in ſuo exitu pro viatico.* Tandem Innoc. III. cap. *quod in te* lib. 5. Decretalium tit. 38. *de pœnitentia* conceſſit, ut etiam tempore interdicti Clericis & laicis *detur viaticum in extremis*, licet hoc Decretum, ut notat eruditiſſimus P. Berti deſideretur in epiſt. Innocentiis editis a Sirleto & Bouſqueto.

§. XXVII.

De Mortuis.

Mos fuit aliquando, ut ex hiſtoriis colligitur, dandi Euchariſtiam mortuis, aut cum ipſis eam ſepeliendi, & præcipue hoc uſitatum fuit cum Epiſcopis, collocando ſupra pectus ipſius vita functi ſacram Euchariſtiam, ut in notis Sacramentariorum Gregorii num. 680. demonſtrat eruditus Menander ex Beda & Amalario Fortunato. Morem hunc repetit Lupus in 42. Trullanum ex variis rationibus, prima quarum eſt, ne cadavera e ſepulchris eiicerentur, ut inſinuatur ex exemplis adductis in Dialogis S. Gregorii; altera ne dæmones furerent in defunctorum corpora: tertia, quam etiam illuſtriſs. Albaſpinæus lib. 10. obſervar cap. 9. nempe originem dediſſe huic abuſui fidelium ſimplicitatem, quæ ita intendebat providere, ut ii, qui in ſuo exceſſu e vivis ſacram Euchariſtiam non receperant iuxta leges eccleſiaſticas, quibus cautum fuit ne quiſque migraret e vita ſine ſacramentali Viatico, iuvarentur ſaltem ipſius præſentia, qua putabant aliquod ſalutis ſubſidium conferri defuncto ipſi tali modo conceſſa. Alii vero, ut Baſilius, Pontius part. 1. variarum diſputationum pag. 137. alteram afferunt cauſſam, ut ſcilicet hoc ritu communionis avocarentur homines a ſuperſtitione Gentilium, qui mortuis obolum imponebant ori, Acheronti pro ratis naulo perſolvendum. Et equidem ſolebat ſacra particula ori defuncti ingeri. Illius ſuperſtitionis complura habentur teſtimonia in Luciano Apuleio, aliiſque Scriptoribus ethnicis.

Verum quæcumque ſit cauſſa, ex qua huiuſcemodi mos, ſeu potius abuſus originem traxerit, certum eſt, quod cum redoleret irreverentiam tam venerabili Sacramento, abrogatus, & vetitus fuit ab Eccleſia per Conciliorum canones, & præcipue 6. Carthag. III. anni 397. 12. Autiſiodorenſis ann. 578. & 83. Trullani in Oriente; & defunctorum quieti ſatis conſultum eſt benedictione cœmeteriorum, quæ Pontifex benedicendo munit ſigno Crucis, ne dæmon accedat, purgat luſtrali aqua, ut mundentur ab omni ſpurcitiæ inquinamento, & immundorum ſpirituum inſidiis, ac precatur in defunctorum depoſitione, ut donet eis Deus quietis ſedem, & ab omni incurſione malorum ſpirituum tutelam.

§. XXVIII.

De neceſſitate communionis Euchariſticæ.

Nota 1. communionis vocabulum non ſemper ab Eccleſiæ Scriptoribus eodem ſenſu, ſeu ſignificatione uſurpari. Nam aliquando tali utuntur nomine ad innuendam ut antea notavimus ſocietatem & conſortium fidelium; aliquando ad ſignificandam Sacræ Euchariſtiæ participationem, aliquando denique ad denotandum Sacrificium Miſſæ, necnon antiphonam quæ cantari ſolet, dum infra actionem ipſius Miſſæ communicant. Communio accepta in primo ſenſu appellari ſolet communio eccleſiaſtica, qua interdum privantur qui aliquo graviori crimine obſtringuntur, & hi tunc dicuntur excommunicati, & ad hanc communionem reducuntur etiam commemoratæ apud veteres ideſt communio *laica*, & communio *peregrina*, quæ imperite accipi conſueſcunt pro ſola euchariſtica perceptione, prout laicis, aut advenis diſtribuitur. Communio *laica*, ut ſupra iam attigimus erat pœna, qua clerici ob aliquod commiſſum crimen in ordinem, ſeu conditionem plebis redigebantur, ſeu expulſi erant extra ordinem clericalem, & inter laicos reputabantur, nec poterant communicare cum cæteris eiuſdem ordinis, a quo expulſi erant, ſeu depoſiti. *Peregrina* vero illa dicebatur, quæ conceſſa erat eccleſiaſticis, ſeu laicis cum litteris commendatitiis, quas *formatas* vocabant, extra propriam eccleſiam peregrinantibus, ſeu itinerantibus: hi enim communicabant cum cæteris ſui ordinis tum in oratione, tum in Euchariſtia, ſed nullo fungebantur ſuæ dignitatis munere. Cæterum Sirmondus in hiſt. publicæ pœnitentiæ, & Albaſpinæus lib. 1. *obſervat.* eam vocant communionem peregrinam, qua clerici ob aliquod facinus poſiti

De varia acceptione vocabuli communionis.

ſiti erant, ac collocati in hoc loco, ac ſtatu, in quo poni ſolebant peregrini vagantes per alienas diœceſeos ſine litteris formatis ſeu commendatitiis. Nazianzenus, Peluſiota, Card. Bona lib. 1. rerum Liturgicarum cap. 3. n. 2. partem pro toto accipientes nomen communionis attribuunt toto, Sacrificium hoc communionem appellantes, cui Sacrificio fiat conſecratio, & participatio Dominici corporis. Communio tamen de cuius proprietatibus agere hic ſtatuimus, eſt perceptio corporis Domini in Sacra Euchariſtia, cum in Decretis Conciliorum *communio Dominica* appelletur.

Nota ſecundo, quod inter proprietates Sacræ Euchariſtiæ ipſius neceſſitas præcipuum locum tenet: unde examinabimus 1. num Sacræ Euchariſtiæ perceptio in re, vel in voto ſit ad ſalutem neceſſaria. 2. Utrum eius perceptio debeat eſſe frequens. 3. an recipienda ſit ſub utraque ſpecie.

Nota tertio, neceſſitatem, ſicuti iam alias notatur, in duplicem vulgo diſtingui a Theologis, nempe in neceſſitatem medii, & neceſſitatem præcepti. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo ex divina inſtitutione, vel in re ſeu actu, vel in voto explicito ſaltem percepto, finis, ideſt æterna ſalus obtineri nequit, & ita in ordine ſupernaturali neceſſaria ſunt Sacramenta, Baptiſmi, & Pœnitentiæ tum ad vitam ſpiritualem habendam, tum ad eam per peccatum deperditam reparandam; non ſecus ac in ordine naturali cibus, & potus ad vitam corporis conſervandam, quia eiuſmodi media ex ſui inſtitutione continent, & conferunt eum gratiæ ſpiritualis effectum, qui per ſe adeo neceſſarius eſt, ut ſine eo vita æterna conſequi nequeat. Illud vero eſt neceſſarium neceſſitate præcepti tantum, quod neceſſarium eſt ſolum quia adeſt præceptum, cum res præcepta non ſit de ſe neceſſaria, imo ſit aliquando mere indifferens ad finem conſequendum, eo quod effectum aliquem gratiæ in ſe non contineat per ſe, ſeu ex natura ſua neceſſarium ad ſalutem, utpote quæ etiam ſine illo conſequi poſſit: Sic v. g. abſtinentia carnis in die Veneris per ſe eſt indifferens, ſed per Eccleſiæ præceptum talis abſtinentia neceſſaria ſit ad ſalutem. Præceptum vero aliud divinum eſt, aliud eccleſiaſticum, ac ideo alia ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti divini, alia eccleſiaſtici, ſeu humani.

Advertendum tamen, quod ea quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii, ſunt ſimul neceſſaria neceſſitate præcepti; quia cum ratio naturalis dictet hiſce utendum ſine quibus ad finem perveniri nequit, iure naturali tenetur unuſquiſque adhibere omnia neceſſaria: unde ſicuti qui voluntarie ſe abſtineret a naturali cibo neceſſario ad mortem vitandam, peccaret mortaliter; ita qui negligeret Baptiſmi, & Pœnitentiæ Sacramenta neceſſaria ad peccatorum remiſſionem, ac ideo ad ſpiritualem ſalutem conſequendam: nam eo ipſo quod media ſunt omnino neceſſaria ad huiuſmodi fines obtinendos, eorumdem uſus præcipi cenſetur. Non vero ſequitur e contra, neceſſarium neceſſitate præcepti neceſſarium eſſe etiam neceſſitate medii, cum præceptum ut ſic non obliget, quando obſervari nequit; ita ut, qui exempli gratia non poteſt ſe abſtinere a carnibus die Veneris, adhuc poterit ſalvari, quia hæc abſtinentia non obligat niſi ſolummodo quia eſt præcepta.

Medium aliud internum, aliud externum.

Medium vero aliud eſt internum, v. g. ſanctificans, aliud externum, ut ablutio exterior in Baptiſmo, & hæc in hoc differunt, quod ſine interno, ideſt gratia ſanctificante actu, ac reipſa accepta, eſt omnino impoſſibile quemquam vitam æternam conſequi, cum e converſo ſine medio externo, nempe Sacramento actu & re accepto, poſſit quis ſalvari cum eius voto fidei coniuncto, quæ per charitatem operatur. Nam cum medium externum ex Chriſti inſtitutione ordinatum ſit ad conferendam internam ſanctificantem gratiam, quæ exterioribus ſignis ſolum ex divino conſilio eſt alligata, & poſſit hæc per contritionem perfectam percipi; hinc aliquando medium illud ſuppleri poteſt per votum ipſius, ſeu deſiderium, ut ſuppletur Baptiſmus per Martyrium, & perfectam contritionem.

Nota 4. Euchariſtiam non ſecus ac Baptiſmum, percipi poſſe vel reipſa ſeu in Sacramento, vel in voto tantum ſeu deſiderio, & ſpiritualiter. Votum vero vel eſt explicitum, quod ſupponit præviam rei deſideratæ cognitionem, vel implicitum; vel eſt perſonale, quod per ſe elicit perſona capax volendi & agendi vel alienum, quod ab alio pro nobis ſponſore emittitur, in quo ſenſu ſecundum S. Aug. infantes dicuntur vere fideles, & pœnitentes, quia per verba ſuorum patrinorum fidem profitentur, ac diabolo & huic ſæculo renunciant.

Nota 5. votum Euchariſtiæ implicitum ſive perſonale ſit, vel aliena voluntate formatum, duplex eſſe poteſt, unum proprium quod directe, ac proprie tendit ad Euchariſtiam, alterum improprium, ac generale

quod

Digitized by Google

quod tendit ad Euchariſtiam ſub ratione tantum generalis præcepti a Chriſto nobis impoſiti, quo ſenſu in charitate perfecta ſemper includitur votum adimplendi omnia Chriſti mandata, & hoc votum eſt neceſſarium neceſſitate medii; non enim fieri poteſt, ut quis ſalvus fiat, niſi voluntatem habeat adimplendi quæcumque a Chriſto ſunt nobis præcepta.

Nota tandem, quod rite baptizatus cenſetur aliqua ratione votum habere ſuſcipiendæ Sacræ Euchariſtiæ, prout eſt finis omnium Sacramentorum, ac conſummatio, ſeu perfectio vitæ ſpiritualis, cum res omnes habeant in intentione, & deſiderio ſuam perfectionem ut finem, ad quem tendunt; & quia rite baptizatus ius habet ut communicet corpori & ſanguini Domini, non ſecus ac ſponſi per matrimonium ius ad invicem acquirunt in corpus alterius ſponſi.

De neceſ. ſitate S. Euchariſtiæ in ſententia Græcorum.

Recentiores Græci volunt, propugnantque, Euchariſtiam neceſſariam eſſe tam adultis quam parvulis neceſſitate medii. Novatores item hoc tenent, ſimulque docent, omnes veteres Patres, ac præcipue D. Aug. perſuaſum habuiſſe talem eſſe Euchariſtiæ neceſſitatem, ac proinde univerſalem Eccleſiam ſolicitam fuiſſe uſque ad ſæculum 12. in adminiſtranda infantulis Sacra Euchariſtia. Græcorum, ac Novatorum ſententiam proſcripſit Concilium Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. cum docet, ſine controverſia credendum eſſe, veteres nulla ſalutis neceſſitate infantibus Euchariſtiam dediſſe.

Variæ ſententiæ Doctorum circa S. Euchariſtiæ neceſſitatem.

Inter Catholicos vero Maldonatus poſt Concil. Trid. in ſuo Commentario in cap. 6. Ioan. ſcribit, opinionem, ac iudicium neceſſitatis Sacræ Euchariſtiæ obtinuiſſe in Eccleſia per annos 600. Scholaſtici tandem Magiſtri diverſimode in hoc propoſito opinantur, & ſentiunt. Alii enim, cum non audeant contradicere definitioni Concilii Trid. volunt, ac ſentiunt, Sacram Euchariſtiam neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad ſalutem ſaltem in voto implicito, eo quod illa ſit finis omnium Sacramentorum; & quia per Baptiſmum homo ordinatur ad Euchariſtiam. Ita S. Th. 3. part. q. 73. art. 3. & 79. art. 1. ad 1. qui tamen ibi explicatur alia ratione a Sylvio, aliiſque Thomiſtis. Et inter recentiores diſcipulos S. Doctoris idem tenet Contenſonus in *Theologia mentis & cordis* lib. 1. part. 2. diſ. 2. cap. 1. Alii admittunt hanc neceſſitatem ſaltem in voto, ſed non tantam, quanta eſt in baptiſmo, utpote qui ſit principium vitæ ſpiritualis, & per ſe neceſſarius in re, & ſolum per accidens fit, ut eius votum ſuſficiat: e contra vero, quia Euchariſtia eſt conſummatio, & perfectio vitæ ſpiritualis, per accidens tantum neceſſaria eſt in re, per ſe vero requiritur in voto. Et patroni huius ſententiæ creduntur Caietanus, Dominicus Soto, aliique nonnulli. Alii denique opinantur, Euchariſtiam nec in re, nec in voto neceſſariam eſſe neceſſitate medii, ad ſalutem, ſed præcepti duntaxat tum divini tum eccleſiaſtici.

Duplex Chriſti ſumptio in S. Euchariſtia, realis, & myſtica.

Verum facile dirimi poſſunt hæ controverſiæ, ſi, ut ſapienter advertit hic P. Berti, diſtinguatur duplex Chriſti manducatio, realis nempe quæ fit ſumendo Sacram Euchariſtiam, & myſtica, quæ fit adoptatione in myſticum Chriſti corpus, ideſt Eccleſiam: Unde D. Aug. qui præcipuus videtur in ſtatuenda neceſſitate huius Sacramenti ad ſalutem lib. 3. *de peccat. merit. & remiſſ.* cap. 4. n. 8. ita intelligendus eſt. Et equidem S. Fulgentius, cui potuit eſſe manifeſta mens S. Auguſt. in ep. ad Ferrandum Diaconum ita doctrinam explicat S. Doctoris adductus verbis S. Aug. *arbitror*, ait, *diſputationem noſtram præclari Doctoris Aug. ſermone firmatam; nec quidquam eſſe aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis ſanguiniſque Dominici participem fieri, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illo panis caliciſque conſortio, etiamſi antequam panem illud comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat.* Verba S. Fulgentii reſolvunt maniſeſtiſſime controverſiam omnem & ambiguitatem de ſenſu S. Aug. Hinc ex verbis S. Fulgentii Cardinalis Bona ait, ex hiſce verbis colligi, non bene perſpectum fuiſſe ſenſum Aug. ab illis, qui perperam eum accuſant, docuiſſe contra Eccleſiæ definitionem, Euchariſtiam neceſſariam eſſe parvulis ad ſalutem. Et alii quoque ſapienter, inter quos Card. Pallavicinus, vindicant S. Aug. imo & Innocentium I. a tali cenſura.

Porro ex his quæ dicta ſunt de myſtica Chriſti manducatione oſtenditur, quo ſenſu veteres quidam Scholaſtici docuerint, Chriſti Euchariſtiam unicuique, etiam parvulis neceſſariam eſſe ad ſalutem explicando cum S. Aug. & Innocent. I. ea Chriſti Domini verba: *Niſi manducaveritis &c* de ſumptione ſpirituali, intelligentes rem hoc Sacramento ſignificatam, ideſt unitatem, ac coniunctionem cum corpore Eccleſiæ, non vero actualem Sacramenti ſumptionem, ſicuti docuit etiam S. Th. quæſt. 73. art. 3. ubi ait:

ait: *rem huius Sacramenti eſſe unitatem corporis myſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus*. Unde ex his vindicatur etiam S. Doctor ab omni ſuſpicione, ſi etiam legatur 9. articulus quæſt. 80. in qua definit, ac ſtatuit, Euchariſtiam non dandam eſſe parvulis & amentibus. Quare ex his omnibus explicata remanent quoad omnem eorum ſenſum prælaudata verba Chriſti Domini Ioan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & ſoluta omnis obiectio quæ ex his & S. Aug. & Innoc. I. fieri poſſet. Sit igitur.

Euchariſtiæ Sacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medii ſive parvulis, ſive adultis neque in re, neque in voto, ſaltem proprio ad ſalutem: & hoc apertiſſime comprobant Scripturæ, & Patrum teſtimonia. Hoc confirmat univerſalis ac perpetuus ſenſus Eccleſiæ, quæ ſemper hanc fidem retinuit, ac docuit, nempe infantes ſtatim poſt baptiſmum regeneratos, ſi ex hac vita decedant, frui æterna beatitudine, cum ſemper pro certo habuerit per baptiſmum deleri originale peccatum, & in adultis cum fide, ſpe, & charitate illum recipientibus omnia etiam actualia ab ipſis commiſſa, conferri gratiam ſanctificantem, & ius acquiri ad cœleſtem hæreditatem; & hanc fidem percepit Eccleſia ex illis verbis Domini Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, & ab Apoſtolo ad Galatas 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; ita ut cum infantes ſint in Chriſto, nihil in ſe habent per quod excludi poſſint a regno cœlorum, ideſt æterna vita, hoc comprobante ipſo Apoſt. Rom. 8. ubi ait: *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu*, & ep. ad Titum 3. ubi habetur: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Hinc factum fuit quod ex hac fide, quam ſemper habuit Eccleſia quod Baptiſmus eſſet ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, non vero Sacra Euchariſtia, conceſſit etiam laicis, ut urgente neceſſitate baptiſmum conferrent, minime vero Euchariſtiam. Et hanc fidem ac conſtantem Eccleſiæ traditionem Patres omnes tum Græci tum Latini, qui a primo tempore ad ſubſequentia floruere, concorditer docuerunt, imo dum ablatus fuit mos communicandi parvulos, nullus Patrum in ſuis ſcriptis conqueſtus eſt, illis remedium ſalutis denegari. Et id etiam patet ex ipſa huius Sacramenti inſtitutione, & natura: nam inſtitutum eſt tanquam quidam cibus ſpiritualis: unde ſicuti cibus corporalis non eſt neceſſarius ad vitam corporis inchoandam, cum hoc fiat per generationem, ſed ſolummodo conſervandam, ac proinde vitam præſupponat; ſic Euchariſtiæ Sacramentum ſe habet ad animæ vitam; imo ad differentiam cibi corporalis, qui per aliud ſuppleri nequit, poteſt hic ſpiritualis cibus per alia ſpiritualia remedia ſuppleri, & per hæc, veluti per quoſdam alios cibos ſpirituales poteſt homo in vita ſpirituali augeri, ac conſervari, licet inter ea omnia locum obtineat excellentiſſimum hoc Sacramentum. Eſtius hic. Dixit quidem Dominus, ut opponunt hæretici: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis*: ſed hoc probat tantum neceſſitatem præcepti, quo obſtringuntur adulti, & reſpectu parvulorum, aliorumque quibus ex aliquo eventu impediretur realis communio, indicare voluit neceſſitatem omnibus ſaltem communionis myſticæ de qua antea, in quo ſenſu indiſtincte ac indifferenter omnes nominat.

Et revera ſi manducatio corporis Chriſti accipiatur in myſtico ſenſu, nempe prout ſignificat unionem cum Eccleſia, hæc profecto omnino neceſſaria eſt aut in re, aut in voto de neceſſitate ſalutis, quia extra Eccleſiæ cœtum ſalus ullatenus haberi nequit. Hoc innuere volebat S. Aug. contra Pelagianos, parvulos excludendo a regno cœlorum, *niſi manducaverint carnem filii hominis*, ideſt ſi ex hac vita deceſſerint priuſquam per baptiſmum corpori Eccleſiæ copularentur. Ita S. Doct. cit. loco *de peccat. merit.* &c. lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 4. & alibi, & Innocentius I. ad Patres Concil. Milevitani. Non enim intelligi poſſunt S. Auguſtinus, Innocentius, nec alii, qui tali modo locuti ſunt, de manducatione ſacramentali Corporis Chriſti, ſicuti iam paulo ante notavimus, ſed de manducatione myſtica, & ſpirituali, ſeu de coniunctione tanquam membro cum myſtico corpore Eccleſiæ. Et in hoc ſenſu locutus eſt etiam Doct. Ang. 3. part. quæſt. 73. art. 3. ubi ait: *Dictum eſt autem, quod res huius Sacramenti eſt unitas corporis myſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus. Nulli enim patet aditus ſalutis extra Eccleſiam, ſicut nec in diluvio abſque arca Noe, quæ ſignificat Eccleſiam*, ut habetur 1. Petri. Manducatio igitur myſtica, & ſpiritualis corporis Chriſti, ideſt incorporatio in Eccleſiam, quæ Eccleſia eſt myſticum Chriſti corpus, cuius ipſe eſt caput, eſt neceſſaria neceſſitate medii in re, vel

in

Digitized by Google

in voto, non ſumptio realis corporis Chriſti in Euchariſtia, ſive in re, ſive in voto neceſſaria eſt neceſſitate medii ad æternam ſalutem conſequendam. Ita Eſtius, P. Berti, cum aliis.

§. XXIX.

De obligatione ſumendi Sacram Euchariſtiam ex neceſſitate præcepti divini & eccleſiaſtici.

De Chriſti præcepto ſumendi S. Euchariſtiam. Tametſi Euchariſtiæ Sacramentum non neceſſarium ſit neceſſitate Sacramenti nec in re, nec in voto ad æternam ſalutem; certum tamen eſt, Chriſtum ita illud inſtituiſſe, ut eius ſumptionem præciperet: Hiſce enim verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit non ſolum Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Sacerdotibus Euchariſtiæ conſecrationem, aut oblationem, ſeu diſpenſationem, ſed etiam fidelibus omnibus uſum eius, ſeu ſumptionem præceptam voluit; ita ut iiſdem verbis: *Hoc facite &c.* idem fuit ac dicere, conſecrate, comedite, & diſtribuite; ideoque divinum præceptum eſt, ut Sacerdotes percipiant communionem Sacramentalem, eamdemque laicis diſtribuant. Præterea dixit iiſdem Apoſtolis nomine omnium Fidelium: *Niſi manducaveritis &c.* Quæ verba explicantur a Patribus non ſolum de communione myſtica cuicumque neceſſaria, ſed etiam de communione reali, ſeu ſacramentali præſcripta, ac præcepta iis, quibus neceſſarium eſt ſpirituale alimentum, ut in Chriſto permaneant; & huius rei documentum habetur etiam ex Apoſt. qui 1. Corinth. 11. ſumptionem quoque in illis verbis includi oſtendit, dum ea explicans ita ſubiicit, *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Ita in his poſtremis Eſtius. Et equidem ſi Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut ſicuti ipſe illam eis diſtribuerat, ipſi quoque fidelibus diſtribuerent, præcepit ſimul, ut fideles eam reciperent; diſtributio enim ex parte miniſtrorum, ait Iuveninus, & receptio ex parte fidelium ſunt relativa. Tandem cum Sacramentum hoc inſtituerit Chriſtus Dominus ad vitæ ſpiritualis conſervationem, fideles omnes iure divino illud ſuſcipere tenentur, cum fideles omnes teneantur iure divino ſtudere vitæ ſpiritualis conſervationi.

Chriſti præceptum de S. Euchariſtiæ communione ſpicit ſolos adultos. Huic præcepto non tenentur parvuli, utpote qui capaces non ſint præcepti, ſed ſoli adulti utriuſque ſexus, quando ad annos diſcretionis pervenerint, ſive baptizati ſint, vel non, cum præceptum, *niſi manducaveritis*, ſit univerſaliſſimum, & tam late patens, ideſt ſe extendens æque ac præceptum baptiſmi, *niſi quis renatus fuerit*. Dixi *ſive baptizati, ſive non*, quia non baptizati poſſunt, & tenentur baptizari, ut exinde capaces reddantur ſuſcipiendi ſacram Euchariſtiam, & ſic præceptum de eius ſumptione adimplendi, & peccant graviter, ſi utrumque neglexerint, quia præter divinum præceptum eſt etiam debitum cuique de iure naturæ curare remedia, ut iam diximus, quæ neceſſario pertinent ad æternam noſtram ſalutem, cum recta ratio cuicumque hoc indigitet, & præſcribat. Idcirco non ſecus ac fidelis, qui defectu diſpoſitionis arcetur tempore Paſchatis ab Euchariſtica communione, peccavit contra præceptum de annua communione in Paſchate, ſi cum advertentia ſe diſponere neglexerit; ita qui advertenter non curat baptiſmum, peccat, & contra primarium præceptum de ſuſcipiendo baptiſmate, & contra aliud ſuſcipiendi ſacram Euchariſtiam, quia neglexit ſe per baptiſmum ad ipſam diſponere.

Quis cenſeatur ad annos diſcretionis perveniſſe ut ſit aptus & obnoxius Euchariſticæ communionis. Tunc vero quis cenſetur ad annos diſcretionis perveniſſe quantum ſpectat ad communionem, quando non ſolum ſufficientem rationis habet uſum, ut in venialia peccata labatur, ſicuti quamplurimi putant cum Abulenſe diſp. 26. inter ſelectas; ſed inſuper idoneus ſit ad corpus Chriſti iudicandum, excellentiamque divini myſterii percipiendam, ac iuxta Apoſtoli monitum ſeipſum probare, ſi ſit diſpoſitus, ſaltem ad non indigne ſuſcipiendum tam venerabile Sacramentum; quod cum de pueris non præſumatur in primo rationis crepuſculo, cenſuerunt communiter Theologi expectandam eſſe ætatem ſaltem inter annum 10. & 12. Uſus enim rationis principio non eſt ad res ſingulas eiuſdem vigoris, & aliud eſt exercere in rebus humanis poteſtatem arbitrii, aliud idoneum eſſe ac comparatum ad res divinas. Hanc inſuper grandiuſculam ætatem decem annorum requirunt Theologi cum D. Th. in 4. diſt. 9. quæſt. 1. & præſcribunt Acta Mediolanenſis Eccleſiæ S. Caroli part. 4. inſtruct. *de Sacram.* quia talis eſt Eccleſiæ praxis, quæ licet audiat confeſſiones puerorum minoris ætatis iam dictæ, eis tamen non concedit huius divini myſterii participationem.

§. XXX.

§. XXX.

De tempore quo obligat divinum præceptum communionis Euchariſticæ.

Divinum hoc præceptum obligat in mortis periculo.

Revera in divinis Scripturis non aſſignatur certum determinatum tempus pro divino implendo præcepto ſacræ Euchariſtiæ percipiendæ. Conſtat tamen ex univerſali Eccleſiæ traditione, quæ utpote ſemper ubique obſervata, oſtenditur manaſſe ab Apoſtolis a Chriſto edoctis, obligare hoc divinum præceptum in probabili mortis periculo, puta in gravi morbo, inſtante conflictu, difficili partu, periculoſa navigatione, inciſione; conſuetudo enim, & praxis in tota ſervatur Eccleſia, miniſtrandi ſacram Euchariſtiam verſantibus in gravi mortis periculo, cum maxime tunc neceſſarium ſit immo nunquam tam neceſſarium ſit huiuſce Sacramenti ſubſidium, & munimen ad conſervandam, roborandam, ac defendendam ſpiritualem vitam contra dæmonum tentationes, ac infirmitatis noſtræ difficultates, quam in mortis periculo, in quo ſolent eſſe graviores, & ex qua pendet ultimo æternitas, & imminet ultimum periculoſum certamen cum infernali hoſte pro deciſione perpetuæ ſortis. Hinc ſemper ſolicita fuit Eccleſia, ac enixe curavit, ut hoc Sacramentum infirmis miniſtraretur, & ſemper ſolicite miniſtravit, ac ad hunc finem hoc perpetuo conſuevit ſervare in Templis, ut ſupra iam notatum eſt, & conſtat ex Concil. primo Nicæno can. 13. ut ex Dyoniſio Alexandrino, apud Euſebium Hiſtoriarum cap. 24. ex Carthag. IV. can. 77. & Arelat. II. can. 12. ex Agathen. cap. 15. ex Tolet. XI. cap. 11. Unde qui prævideret ſibi non vacare opportunitatem ſumendæ Euchariſtiæ ob probabile mortis periculum, teneretur tale periculum prævenire eam ſumendo. Porro ſi quis paulo antequam in morbum incideret, communicaſſet, licet velint aliqui hunc non teneri iterum in morbo communicare, probabilius tamen alii affirmant teneri, cum præcepto non ſatisfiat per opus non præceptum, ſicuti fieret in eo, qui Sabbato Dominicam Palmarum præcedente acceſſiſſet ad ſacram Synaxim; nam adhuc deberet iterum accedere intra quindenam Paſchatis pro adimplendo præcepto communicandi Paſchali tempore. Non teneretur vero ſi communicaſſet eodem die, quo correptus eſt morbo ſtatim moriturus; non enim videtur tunc vigere talis obligatio, eo vel maxime quod ſit contra Eccleſiæ praxim bis in die ſacram Euchariſtiam accipere, niſi in caſibus exceptis, inter quos hic non recenſetur; eademque militat regula de infirmo, qui poſt acceptum viaticum incideret in aliquod grave peccatum, ne alias detur occaſio, ut de illo male ſuſpicaretur. Si autem ſupravixerit infirmus aliquot dies, ſaltem decem poſt acceptum Viaticum, perſeverante eodem mortis periculo, poteſt, imo expedit Viaticum iterum ad illum deferri, cum liceat ſæpius in eodem lethali morbo ſacram Communionem miniſtrare etiam non ieiunis.

Ad ſatisfaciendum huic præcepto requiritur, quando ſit poſſibilis, realis, & actualis perceptio ſacræ Euchariſtiæ. Si autem ob aliquem ſupervenientem gravem eventum fieret impoſſibile ſive phyſice, ſive moraliter percipere actu realiter, ſeu ſacramentaliter ſacram Euchariſtiam, in tali caſu ſufficeret, ſi ſuſcipiatur in voto, ſeu ſpiritualiter.

Obligat etiam pluries in vita.

Obligat inſuper hoc divinum præceptum, & eſt communis, ut etiam extra mortis periculum, ideſt ut in vita quoque pluries ſumant adulti hoc Sacramentum: nam ex ſua inſtitutione iuxta Trid. Synodi doctrinam, datum eſt a Chriſto Domino ſuis fidelibus per modum cibi ſpiritualis, quo eorum animæ nutriantur, & confortentur, & ut iuxta ſtylum cibi corporalis eum identidem ſumant, & ſub hac ratione cibi eius perceptio neceſſaria eſt ex præcepto: Igitur non raro ex præcepto ſumenda eſt. Chriſtus tamen pro Euchariſtia percipienda præciſe tempus non præſcripſit, ſed reliquit iudicio Eccleſiæ, ut eius frequentiam determinaret, quando fidelium neceſſitas id exigeret.

§. XXXI.

De præcepto eccleſiaſtico ſumendi ſacram Euchariſtiam.

Primis temporibus, quando adhuc ferveſcente religione, ac pietate ſponte ſua ſatis frequenter accedebant fideles ad ſacræ Menſæ participationem, non cenſuit Eccleſia eos lege aliqua compellere, qua certum aliquod tempus eis præſcriberetur ſacræ Euchariſtiæ percipiendæ. Verum quando cœpit tepeſcere ardor fidelium, ſeu devotio, ſtatuit ut ſaltem ter quotannis fideles communicarent, iis nimirum diebus, quibus ſolemniter recoluntur præcipua Chriſtianæ Religionis myſteria, ideſt Feſtis Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini. Ita enim

Primum Eccleſiæ præceptum de Communione ſumenda ter in anno.

ſtatu-

ſtatutum eſt a Fabiano Papa, ut habetur apud Gratianum *de conſecr. diſt.* 3. *cap. etſi non frequentius*, & a Concil. Agathenſi can 81. Verum magis etiam frigeſcente pietate decretum fuit, ut adulti omnes utriuſque ſexus, ſemel ſaltem in anno, videlicet Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis tempore Euchariſtiam in memoriam eius paſſionis ſumerent, addita hac pœna, ut qui huic præcepto non obtemperaverit, & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura. Præceptum hoc editum fuit in Concil. magno Later. ſub Innoc. III. a Conſtitutione quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexus*, relata in Decret. *de pœnit. & remiſſ. cap.* 12. & innovatum fuit, ac confirmatum in Concil. Trid. ſeſſ. 13. can. 9. Nonnullæ tamen Eccleſiæ etiam poſt Lateranenſe Decretum priorem uſum de communione ter in anno a fidelibus percipienda retinuere, ut videre eſt in Concil. Toloſano anno 1229. cap. 13. & Abbienſi anno 1254. cap. 59.

Aliud præceptum pro facienda confeſſione & communione ſemel in anno.

Pueri vero tenentur primo communionem ſumere, quando ſufficientem uſum habent rationis ad diſcernendum panem Euchariſticum, ideſt corpus Chriſti ab alio pane, ac idonei ſunt ad illum ſatis devote ac reverenter ſumendum, quod in aliis citius, nempe circa 11. vel 12 in aliis ſerius, id eſt circa 14. contingit; tametſi cenſeantur prius obligari ad confeſſionem, eo quod plus diſcretionis, devotionis, & reverentiæ requiratur ad communionem. Ita enim Eccleſia interpretatur præcepta confeſſionis, & communionis pro ſubiecta materia, & dignitas ſingularis ſacræ Euchariſtiæ exigit pro reverentia, quæ ei debetur, ætatem maturioris iudicii. Quare ob talem rationem ætas, qua urget obligatio, eſt intra annum 10. 12. & 14. nec ultra differtur, niſi in ſemiſatuis, uſus requiſitus rationis.

Regula pro pueris circa ætatem eos ad mittendi ad communionem.

Idcirco qui curam habent & debitum pro puerorum educatione, ſoliciti eſſe debent, ut ante annum 14. reddantur ſufficientes ad implendum divinum præceptum, & eccleſiaſticum communicandi in Paſchate; unde mortaliter peccant parentes, & ſacri Paſtores; ait Habertus, aliique communiter, niſi curent ut creſcente rationis lumine creſcat reverentia, & devotio erga tantum Sacramentum, ut tempore a conſuetudine ſtatuto parati ſint ad divinum eccleſiaſticumque præceptum implendum. In periculo tamen mortis puero capaci confeſſionis, & ſufficienter inſtructo dandum eſt ſacræ Euchariſtiæ viaticum, quia in periculi neceſſitate verſatur, in quo expectare non debet tempus commodius ad ſumendam ſacram Euchariſtiam cum ferventiori devotione, ut divinum adimpleat præceptum, & aliunde reverenter ſumere poteſt, & per confeſſionem ſe ſufficienter probare, ne indigne ſumat.

Per tempus Paſchatis ex uſu Eccleſiæ, & Bulla fide digna edita ab Eugenio IV. intelligitur tota quindena a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſive. In variis tamen locis, ſive ex conſuetudine, ſive ex privilegio, ſive ex neceſſitate ultra hoc tempus plus etiam conceditur.

Quale tempus intelligatur pro Paſchali ad implendum præceptum communionis.

Communio Paſchalis fieri debet in propria Parochia, & ſumi de manu proprii Sacerdotis, aut eius delegati. Et hoc conſtat ex Ritualibus, & ex variis Synodis, atque ex inveterata Eccleſiæ conſuetudine, quæ vim habet legis, & ita interpretata eſt canonem Concilii Later. Excipiuntur tamen Sacerdotes ſæculares, qui ſatisfaciunt præcepto communionis Paſchalis celebrando in Eccleſia cui addicti ſunt per ſuas functiones, cum ex recepta conſuetudine ſolus laicali more communicans obligetur Euchariſtiam ſumere de manu ſui Sacerdotis, & in propria Parochia. Qui vero habet duo domicilia, quod neque canonicis, neque civilibus repugnat, communicare debet in ea Parochia, in qua communicaturus tempore Paſchatis habitat. Item qui tempore Paſchatis degunt in aliena Parochia non ita cito in propriam reverſuri, implere poſſunt præceptum communicandi, ſi communicent in ea Parochia, ubi reperiuntur. Ita declaravit Eugenius IV. ut teſtantur Caietanus, Sotus, Navarrus, Azorius.

Communio Paſchalis facienda in propria Parochia.

Peregrini forenſes, & quicumque alii a proprio domicilio abſentes, qui non commode propriam Parochiam adire poſſunt, (idemque dicito de vagabundis) ut docent Salmanticenſes cum cit. Caiet. Soto, &c. tacita ſuorum Parochorum licentia poſſunt a quocumque Sacerdote, etiam Regulari, facultatem miniſtrandi ſacram Euchariſtiam habente, communionem Paſchalem recipere, & præcepto ſatisfacere, quia ſecundum Sanchez non ſunt obligati accedere ad Eccleſiam matricem illius oppidi, vel ad eam Parochiam, in qua tranſeunter commorantur; quia non ſunt proprie illius Parochiæ ex obligatione, eſto eſſe poſſint ex voluntate. Aliter tamen ſentit P. Antoine, qui vult, vagabundos teneri communicare in ea Parochia, in qua eo tempore verſantur: Nam ibi ſunt veluti ſubditi, & non habent cer-

Quid dicendum de Peregrinis.

certum Paſtorem ſuum & Parochum, ac tempore quo ibi morantur, cenſentur ſe habere ibi domicilium eo modo quo ſunt capaces: & idem cenſet ut verius de peregrinis, quia reputantur tanquam incolæ illius loci, & Parochus loci illius eſt proprius eorum Parochus, niſi tamen interveniat licentia proprii Parochi ſaltem tacita, quæ ex conſuetudine innoteſcit. Sententia P. Antoine verior mihi videtur ex hoc præcipue, quod ſive vagabundus, ſive peregrinus, ſi ad mortem in eo loco pervenerint, certe non poſſent recipere Sacramenta niſi a Parocho illius loci tanquam illi ſubditi: Quare non ergo etiam communionem Paſchalem?

Qui cum licentia Parochi certo præſumpta, ac moraliter certa in Eccleſia Regularium die Paſchatis communicat, ſciens certo moraliter quod Parochus id velit, ſatisfacit præcepto, quia habens talem certitudinem moralem de Parochi voluntate, de ejus licentia id facere cenſetur. Ita Salmanticenſes. Sine Parochi autem licentia declaratum eſt a ſacra Congregat. Cardinal. ſæculares non ſatisfacere præcepto eccleſiaſtico per communionem factam in Eccleſia Regularium. Satisfaciunt tamen laici Religioſorum, eorumque familiares in Monaſteriis, aliiſve locis a cura Parochorum exemptis degentes, ſi hiſce in locis ubi degunt communionem ſuſcipiant, tum quia exempti videntur a Parochia, tum quia ſicut ibi ſepeliri poſſunt inconſulto Parocho, ita ibi videntur ſuſcipere poſſe Sacramenta. Sic Salmanticenſes cum Sanchez, Bonacina, aliiſve.

Quid nomine proprii Sacerdotis, a quo accipienda eſt communio in Paſchate.

Licet vero nomine proprii Paſtoris non ſolum intelligatur quilibet Parochus in ſua Parochia, ſed etiam Summus Pontifex in toto orbe, Epiſcopus in ſua Diœceſi; ac proinde non minus quam ſua Eccleſia Parochialis, Patriarchalis quoque Lateranenſis, Metropolitana ſeu Cathedralis ſit cuique fideli Eccleſia mater, nihilominus tamen non ſatisfaceret Eccleſiaſtico præcepto de annua communione in propria Parochia, & a proprio Sacerdote ſumenda, qui tempore Paſchatis Euchariſtiam ſumeret vel Romæ in ſacros: Lateranenſi, matre & capite omnium orbis Eccleſiarum, vel in Cathedrali ſuæ Diœceſis, matre pariter & capite Eccleſiarum ſuæ Diœceſis, niſi hoc feciſſet de licentia proprii particularis Paſtoris, ſeu Parochi, vel Epiſcopi juxta cap. *Omnis utriuſque ſexus*: Nam uſus receptus videtur, quod ut præceptum impleatur, communio fiat in propria Parochia. Et ita docet, ac confirmat ſapientiſſimus, vigilantiſſimuſque Eccleſiæ univerſalis Paſtor, ac Magiſter glorioſæ recordationis Benedictus Papa XIV. in Notificat. 18. 1. vol. ſuorum operum: Ita enim, ideſt in hac Eccleſia communicando agnoſcitur proximus & immediatus Paſtor, & hoc mediante dignoſcere vult Eccleſia filios præceptum hoc adimplentes, & cenſuris obſtinatos mulctare, quod difficillime fieri poſſet, ſi cuicumque liceret ad Cathedralem confluere. Sic Salmanticenſes, & P. Berti.

Confeſſarius ex juſta cauſſa differre poteſt ultra quindenam Paſchalem communionem pœnitenti, ut conſtat ex Concil. Later. cit. can. *omnis utriuſque ſexus*, imo tenetur, quando judicet differendam eſſe abſolutionem: quia cum communio pendeat ab abſolutione qui poteſt hanc protrahere, & illam ſimiliter poteſt.

Qui ante quindenam communicavit in ſua Parochia tenetur iterum ſub mortali ibi communicare intra quindenam, quia cum temporis circumſtantia determinetur in præcepto, præceptum impleri nequit niſi in circumſtantia ſtatuti temporis, non ſecus ac qui die Sabbati Miſſam audit, non idcirco eximitur a debito audiendi ſacrum die Dominico, quando præcile currit præceptum de audiendo ſacro ipſo die dominico. Hinc Rituale Rom. præſcribit Parochis, ut etiam infirmis licet paulo ante ſua devotione communicaverint, deferant intra quindenam Paſchatis ſacram Euchariſtiam pro præcepti ſatisfactione. Ita P. Antoine cum aliis contra Tourneleium, qui ſupponit impleviſſe jam præceptum & quoad ſubſtantiam, & quoad locum qui ante tempus paſchale communicavit in ſua Parochia; ſed verior eſt prior ſententia eum non ſatisfeciſſe, quia præceptum exigit etiam circumſtantiam temporis Paſchalis. Item qui in Paſchate non communicavit in propria Parochia, tametſi in alia Eccleſia communionem receperit, ut præceptum adimpleat tenetur prima data occaſione in ſua Parochia communicare, quia Eccleſia non ſolum præcipit communionem annuam ſaltem in Paſchate, ſed etiam ut communio fiat in propria Parochia, ſicuti antea jam notatum fuit ex can. Concilii Later. qui etiam quoad hanc circumſtantiam ita communiter intelligitur, & in hoc ſenſu receptus eſt ab inveterata conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres. Item qui intra quindenam Paſchalem non ſatisfacit, liber non remanet pro eo anno a debito ſacræ Euchariſtiæ

riſtiæ ſuſcipiendæ, ſed adhuc tenetur intra eumdem annum communicare: nam in hac lege ſunt duo virtualiter præcepta, alterum communicandi ſemel in anno, alterum communicandi in Paſchate; ideoque non cenſenda eſt hæc lex eadem ac ea, qua præcipitur ieiunium, auditio Miſſæ, &c. tali dato die, quæ cum præcipiantur in honorem talis diei venerabilis per celebrationem alicuius divini mſterii, vel commemorationem alicuius Sancti, non excedunt terminum illius diei, ſed cum ipſo die expirant, cum finis & ratio præcepti ceſſaverit; terminus enim Paſchatis non præciſe aſſignatur, ut in illo ſolo die, ideſt in illa ſola quindena obliget, ſed ut ultra illum diem non differatur communio. Cum autem terminus non aſſignetur ad finiendam obligationem, ſed ne ultra illum debeat differri opus præſcriptum, qui tunc illud ommittit, obſtrictus remanet ad ſatisfaciendum quamprimum poteſt, quia terminus ille non alias ad finiendam obligationem, ſed ne ultra differatur, aſſignatus eſt. Idem dicito de annua Paſchali communione, quæ primario ut annua præcipitur ad implendum divinum præceptum ſæpe in vita communicandi. Unde licet poſterior obligatio, ideſt communicandi in Paſchate, tranſactis quindecim diebus Paſchæ, præterierit, eum poſt talem terminum impoſſibile ſit obſervare hanc temporis circumſtantiam; prior tamen, quæ principaliter intenditur ab Eccleſia, in ſuo præcepto perſeverat per totum intervallum temporis quod remanet ad complendum integrum annum, & ſic toto hoc tempore poteſt, & debet impleri. Hoc ſatis ſuperque indicant verba Concilii Lateranenſis *ſaltem in Paſchate*; nam ita impellente fidelium deſidia ſtatuere debuit Concilium certum tale tempus implendi divinum præceptum communicandi pluries in vita, & obligare ad communionem poſt Paſcha, qui ante tale tempus quod conſtituit quindecim dierum, ommiſiſſet. Igitur cum præceptum Eccleſiæ adhuc obſervari poſſit quoad id quod eſt magis principale, obligatio toto perdurat anno donec impleatur. P. Antoine, Tournely & alii.

Num vero hæc obligatio ſit continua communicandi ſtatim quamprimum moraliter fieri poteſt poſt Paſcha, vel ſolummodo communicandi ante finem anni, non ſunt ſuper hoc eiuſdem ſententiæ Doctores. Nam ſecundum Suarezium, Azorium, Reginaldum, alioſve eſt obligatio continua communicandi quamprimum moraliter fieri poteſt poſt Paſcha, ita ut nova ſemper committatur culpa, quoties data opportunitate non impleatur. Nam tempus Paſchæ non eſt ſolum tempus determinatum propter ſolemnitatem, & maiorem huiuſce temporis congruentiam, ſed etiam ut iam diximus, ne diutius communio prorogetur. Quare præceptum hoc eſt affirmativum ex una parte quatenus præcipit communionem, & ſimul implicite negativum, in quantum vetat eius dilationem ultra circumſtantiam Paſchalis ſolemnitatis. Et ipſius Eccleſiæ praxis hoc comprobat, quæ minis & cenſuris cogit, ut qui Synaxim hoc ſtatuto tempore neglexit, quamprimum communicet: ac ideo concludunt, quod qui toto anno non communicavit, tenetur explicare in confeſſione quoties per annum dum moraliter poterat ommiſit ſatisfacere præcepto per communionem. Alii tamen, & præcipue de Lugo, docent, remanere obligationem communicandi ei, qui in Paſchate neglexit, non quidem ſtatim poſt Paſcha, ſed ſolummodo ante finem anni, quia eum præceptum, inquit ipſe, communicandi in Paſchate non poſſit amplius obſervari, nec proinde plus obliget, manet ſolum obligatio alterius præcepti communicandi ſemel in anno, & hoc non obligat communicare hoc menſe potius quam alio, ſed ad communicandum ſemel hoc anno. De cenſura vero dicit hanc ſolum infligi propter tranſgreſſionem præteritam præcepti, quod obligabat ſub cenſura a Præſato infligenda.

Si quis autem prævideat ſibi obventurum impedimentum per quod nequeat communicare in Paſchate, nec in toto anno, tenetur prævenire, quia præceptum communicandi, ut alias dictum eſt, non eſt ſicut præceptum ieiunii, ſacri audiendi, divini officii recitandi, cuius executio ita eſt tali diei affixa, ut non poſſit anticipari: In lege enim communicandi, ut iam dictum eſt ſupra, includuntur duo præcepta, alterum communicandi ſemel ſaltem in anno, alterum communicandi in Paſchate, & præveniendo communionem adimpletur præceptum communicandi ſemel ſaltem in anno: Unde dicendum, ex hac parte eum teneri communionem prævenire, non vero ex parte alterius præcepti communicandi in Paſchate, quia per illam anticipatam communionem non videtur ſatisfacere poſſe huic præcepto; alias etiamſi impedimentum non obveniret, ſolutus eſſet ab obligatione communicandi tempore Paſchatis, quod dici nequit: Nam qui tempus prævenit, quia ſe in

Paſchate, & poſtea etiam toto illo anno impediturum ſuſpicatur, impedimento non adveniente tenetur denuo communicare, dum iam poteſt, in Paſchate; quia per illam communionem huic obligationi non ſatisfecit, & eidem iam ſatisfacere poteſt. Sic Salmaticenſes, & P. Antoine cum aliis. Quoad ſecundum vero præceptum, teneretur pariter prævenire, qui incœpto iam tempore Paſchali prævidet, puta quod poſt feriam tertiam, vel quartam maioris Hebdomadæ, & toto reliquo Paſchali tempore impediatur ab accedendo ad ſacram Communionem, non ſecus ac tenetur prævenire Miſſam audiendo ſummo mane diei feſti, qui prævidet ſe poſtea non poſſe eam audire.

Præcepto de annua communione ſatisfieri nequit per communionem indignam. Præcepto huic de communione nequit ſatisfieri per communionem indignam ſeu ſacrilegam contra quoſdam Caſuiſtas, qui ducti hac ratione quod finis & modus præcepti non cadat ſub præcepto contrarium ſentiunt; hanc enim doctrinam damnavit Innoc. XI. anno 1679. dum hanc propoſitionem quæ numero eſt 55. uti ſcandaloſam proſcripſit: *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*. Laborabat ſiquidem hæc doctrina in falſo ſuppoſito, videlicet modum ac finem huius præcepti non cadere ſub hoc præcepto de communione ſumenda tempore Paſchatis, quod falſum eſt, cum revera Eccleſia modum quoque iuſſerit in hoc ſuo præcepto excludente communionem ſacrilegam: Nam 1. Eccleſia præcipiendo Paſchalem communionem, præcepit ſolum ſacramentalem communionem, quam Chriſtus Dominus præceperat, ac eo modo, quo ipſe illam præceperat, addendo duntaxat explicationem, & determinationem temporis, quo ab omnibus ſervaretur. Unde cum Chriſtus Dominus communionem, ſimulque modum ipſius, ideſt ſanctam, & piam iuſſerit, per quam ipſe maneret in ſuſcipiente, & ſuſcipiens in ipſo per gratiam quam digne ſuſcipientes percipiunt in hoc Sacramento; Eccleſia quoque in ſuo præcepto modum incluſit: Chriſtus enim Dominus Ioan. 6. poſtquam communionem præcepit per ea verba: *Niſi manducaveritis* &c. explicat modum quoque, quo obſervandum ſit eius præceptum per ea quæ addidit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo;* unde manducare carnem Chriſti, ait S. Auguſt. eſt in illo manere; idcirco monet Apoſtolus 1. Corinth. 11. ut accedens probet, ideſt examinet ſeipſum, ſi diſpoſitus ſit ad hoc Sacramentum digne ſumendum: *Probet autem ſeipſum homo*. Inſuper Eccleſia in ſuo præcepto modum etiam expreſſit, ac proinde modus ad ſubſtantiam pertinet præcepti: Eccleſia enim expreſſit in ſuo præcepto modum excludentem communionem ſacrilegam, ut patet in cap. *Omnis*, in quo præſcribit, ut omnis adultus corpus Domini ſemel ſaltem in anno in Paſchate reverenter, ac devote ſuſcipiat, idcirco non ſacrilege; igitur devotio & reverentia ad ſubſtantiam pertinet huius præcepti.

Nec valet dicere, Eccleſiam non poſſe præcipere actus internos, quia hoc intelligitur ſolummodo directe, & quando actus ſunt pure interni; poteſt vero dum actus coniuncti ſunt cum externo, & indirecte; ſic præcipiendo orationem vocalem, auditionem Miſſæ, præcipit ſimul ut neceſſariam in utraque attentionem ſine voluntaria diſtractione, & devotionem. Præcipiendo igitur communionem in Paſchate, ut divino præcepto ſatisfaciant fideles, præcipit communionem dignam, & ſubſtantiam facit præcepti non ſolum ipſam communionem, ſed modum etiam ipſius, ac proinde cadit utrumque ſub præcepto, ut apertiſſime patet ex cit. verbis Later. Concilii, nempe *reverenter, ad minus in Paſcha* &c. Præcipit enim Eccleſia eam communionem, quæ ad finem ſibi propoſitum poſſit conferre; videlicet ad obtinendam gratiam, vitamque æternam, ac ideo proſcripſit allatam propoſitionem 55. quæ contrarium de communione docebat, ideſt etiam ſacrilegam ſatisfacere poſſe ſuo præcepto. Quæ quidem cenſura tollit prorſus de medio omnem prorſus dubitationem, & controverſiam. Sic Iuvenius, Habertus & nunc omnes alii communiter.

Nota, non licere pluſquam ſemel in die ſacram Euchariſtiam ſumere, ut patet ex univerſali conſenſu ac conſuetudine optima legum interprete, & vim legis habente, & ex cap. 3. *de celebrat. Miſſar.* & cap. *ſufficit de conſecrat.* diſt. 1. Licet enim canones loquantur de ſolis Sacerdotibus, communiter tamen, & potiori iure extenduntur ad laicalem communionem, & merito: nam facilius Sacerdoti ob utilitatem totius Eccleſiæ permitti poteſt bis celebrare in die. Prohibetur vero multiplex in die ſumptio ſacræ Euchariſtiæ ob reverentiam tanto Sacramento debitam, & ut aptius repræſentetur unica mors Chriſti quæ ſemel tantum contigit, & cuius commemorativum eſt ſacra Communio: *Chriſtus*, ait Apoſtolus, *mortuus eſt ſemel pro peccatis noſtris*. Quare ſi alicui contin-

tingat die quo communicat in lethalem morbum incidere, qui eius mortem eodem die minitetur, non ei licet eodem die iterum communicare, cum illicitum ſit extra Miſſam bis in die communicare, niſi quando ob reverentiam Euchariſtiæ neceſſe ſit ut ab aliquo conſumetur, & hoc communiter, vel ſere communiter docent Theologi, ut obſervavit de Lugo. Hic enim ſatisfecit præcepto divino communicandi tempore mortis, cum communicaverit tempore morti proximo, ac ideo cenſetur moraliter communicaſſe morte imminente, quamvis hoc ille ignoraverit. Sic P. Antoine.

§. XXXII.

De frequentia ſacræ Euchariſtiæ communionis.

Nota, quod uſus ac frequentia Euchariſtiæ duobus modis conſiderari poteſt, in ſe, ideſt in ſua excellentia, & utilitate; & ex parte ſumentis, nempe ipſius diſpoſitionis ad tam inſigne & venerabile donum, quo nihil maius optari, & accipi poteſt. Si Euchariſtia in ſe, & abſolute ſpectetur, communio deberet eſſe quam frequentiſſima; ſi vero reſpective, & ex parte ſumentis, ſeu diſpoſitionis fidelium, communio debet eſſe vel rarior, vel frequentior, prout homines paratos ſe reddunt, vel non, ut ſicut decet, digne eam ſumant. Cæterum digni ſunt non levi reprehenſione, qui non ita vivunt, ut tanto & tam utili beneficio frequentius frui poſſint.

De diſcipl. plina primitivæ Eccleſiæ quoad frequentem communionem.

Primævis naſcentis Eccleſiæ temporibus, quando in illis fidelibus ardor fervelcebat devotionis, ac pietatis, frequentiſſima, & ſæpenumero quotidiana erat eorum communio, cum exordio Eccleſiæ convenirent fideles ad frangendum panem, ut non obſcure ex Actibus Apoſtolorum colligitur cap. 2. S. Iuſtinus Martyr in Apologia ad Antoninum ſcribit omnes, qui in agris, vel oppidis morabantur, unum in locum conveniſſe, & poſt concluſas preces percepiſſe Euchariſtiam die, qui Solis dicitur. Tertullianus, item S. Epiphanius in expoſitione Fidei num. 22. diebus feriæ 4. & 6. conveniſſe Fideles ad ſacram Synaxim, ideſt ad ſacram communionem, quæ hac voce apud græcos deſignatur, tametſi Synaxis ſignificet etiam conventum, collectam, & aliquando modulationem etiam pſalmorum, ut in Regula S. Columbani cap. 7. & alibi. Prædictis Feriis, S. Baſilius annumerat etiam Sabbatum, ac dies deſtinatos Martyrum cultui in ſua ep. ad Cæſaream Patritiam. Sed cum poſtea ſubſequentibus Eccleſiæ temporibus tepeſceret in ſucceſſoribus priorum fidelium fervor, ac devotio, communio reſtricta fuit ad ſolos dies Dominicos, in quibus olim nunquam prætermittebatur, ut habetur in Scriptore ſerm. 25. inter eos qui S. Ambroſio adſcribuntur, & in lib. *de divinis Officiis* cap. 120. Ait Ioannes Belet quod etiam nunc in Græcia anathemate puniuntur qui tribus Dominicis non communicaverint. Sed in dies magis magiſque pietate Chriſtianorum decreſcente, cum laudabilis mos communicandi per Dominicas omnes in deſuetudinem abierit, coarctatus fuit, ut antea dicebam, ex præcepto ad tres ſolemniores feſtivitates, Paſchatis ſcilicet, Pentecoſtes, & Natalis Domini, ut in cap. *Omnis de conſecrat. diſt.* 2. ubi ſtatutum legitur, eum qui hiſce tribus diebus a communione abſtinuerit, non connumerandum eſſe inter catholicos. Lateranenſe tandem Concilium, ut ſupra notatum eſt, denuo coarctavit hoc præceptum ad ſolum tempus Paſchatis, ut ſemel ſaltem in anno quivis fidelis ad ſacram Communionem accederet. Monachi tamen ſervarunt piam conſuetudinem communicandi ſingulis Dominicis, & principalioribus feſtivitatibus: & hic pius uſus additus fuit Regulis mendicantium, ubi præcipitur, ut Clerici & laici his diebus communicent, cum Sacerdotes quotidie communicent in Sacrificio Miſſæ, quod inceſſanter peragunt.

Communio ſacramentalis ſecundum ſe conſiderata, ſeu quantum eſt ex parte ipſius Sacramenti, tum ob gloriam quæ redditur Chriſto Domino, cui nihil gratius, & iucundius eſt quam rememoratio ſuæ paſſionis uſu mediante iſtius Sacramenti, ſicuti & commendavit, & præcepit, tum ob eximiam utilitatem, quæ ex ipſo digne ſumpto percipitur, valde frequentanda eſſet: cum enim hoc Sacramentum inſtitutum ſit a Chriſto ut perenne memoriale ſui amoris, quem erga nos oſtendit, & in Sacrificio tam mirando ſui ipſius in ara crucis pro ſalute noſtra, & dando ſeipſum nobis in eiuſdem amoris pignus, ut eſſet nobis in ſpirituale alimentum, quo anima nutriretur, ac eo magis augeretur in gratia & in ſpe æternæ vitæ, quam proprio ſanguine nobis redemit; nihil eſt quo melius reddere poſſimus Chriſto Domino oblationem laudis, honoris, gratiarum actionis, quam ipſum in hoc Sacramento ſumendo, & nihil hoc ipſo ſalubrius, & utilius poſſumus nobis ipſis comparare, utpote quod ſit inſtitutum ut quoti-

dia-

Digitized by Google

dianus cibus, & medicina, quo alatur anima, & ab omni ſpirituali morbo curetur. Unde maxime convenit ut quam frequentiſſime, imo quotidie ſumatur. Sic Eſtius, P. Berti.

Hinc Patres, & Canones ſuadent communionis frequentiam, ut inter alios Patres S. Cyprianus lib. *de Orat. Domin.* S. Baſilius cit. ep. ad Cæſaream, S. Chryſoſtomus hom. 5. in ep. 1. ad Timoth. Hoc inſinuat Synodus Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. S. Gregorius VII. in ep. ad Comitiſſam Mathildem anno 1073. Theodulphus Aurelienenſis in Capitul. n. 44. & 797. expoſitis. Et hoc præcipue commendatur Virginibus quæ laſcivientis ætatis nondum præiudicia patiuntur; hominibus provectæ ætatis, qui peccare deſinunt, ut habetur in quodam Concil. Colueskoviæ anno 747. citato hic a P. Berti can. 23. Itidem S. Franciſcus Saleſius hos ad frequentiorem communionis uſum extimulat.

Non ſunt tamen reprehendendæ piæ perſonæ, quæ aliquando ob reverentiam erga tantum Sacramentum, atque ob humilitatem qua indignæ ſe reputant, abſtinent aliquando a ſacræ menſæ frequentatione; cum hæ ſint laudabiles, non ſecus ac Centurio, qui Chriſtum Dominum prævenit ne ipſius domum ingrederetur, quia pro tanto hoſpite indignum ſe credebat, ut ipſo Domino advenienti proteſtatus eſt: *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.* Imo propter diverſitatem diſpoſitionum ſumentium expedit ex eorum parte rarius vel frequentius ſumere: nam ex parte ſumentis, ut docet D. Th. 3. part. quæſt. 80. art. 10. requiritur, ut magna cum devotione & reverentia ad hoc Sacramentum homo accedat. Quare qui quotidie ſic ſe paratos inveniunt, recte & laudabiliter faciunt, ſi quotidie accedant, unde S. Ambr. lib. 5. *de Sacram.* cap. 4. ait: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Verum quia multis hominibus multa occurrunt impedimenta debitæ devotionis, fit ut his non expediat quotidie ad hoc Sacramentum accedere. Et videtur hanc diverſam hominum diſpoſitionem ſpectaſſe qui lib. *de Eucharisticis dogmatibus* cap. 53. ait: *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprobo.*

Verum quidquid ſit, certum eſt, quod quando habeantur debitæ diſpoſitiones, quibus reverenter ac devote accedi poſſit ad hoc Sacramentum, ſimpliciter melius, laudabilius, ac utilius ſit accedere, quam a communione deſiſtere; pernicioſum autem contemnere, ac faſtidire cibum manna infinite pretioſiorem. Dixi *quando habeantur debitæ diſpoſitiones*, nam alias abſtinendum eſt, ne medicina vertatur in venenum iuxta monitum Apoſtoli: *Qui indigne manducat, iudicium ſibi manducat.* Quare diligenter attendant Confeſſarii in permittenda quibuſdam communionis frequentia, qui eorum diſpoſitionem ad hunc divinum cibum reddunt valde ſuſpectam, ne indigne admittantur. Sic Leſſius, & P. Berti.

Frequens Euchariſtiæ communio non eſt utilis iis hominibus qui ſæpius in peccata lethalia labuntur, quia hi liberi non ſunt ab affectu peccati mortalis, ac ideo incapaces ſunt Euchariſticæ communionis, ad quam requiritur munditiés non ſolum a culpa, ſed etiam ab eius affectu: nec opus eſt ut ulterius comprobetur veritas, quæ iam per ſe patet. Item non eſt utilis frequens communio iis Chriſtianis, qui gentiliter ſeu civiliter vivunt, ideſt qui quamdam moralem honeſtatem colentes, ac Chriſtianæ Religionis officia exterius obeuntes, ſpiritum Chriſti intus non habent, hoc eſt nec humilitati, nec pœnitentiæ, nec paupertati dant operam. His enim frequens communio potius noxia eſt quam proficua, cum vitam ducant in habituali perpetuo peccato, vel ſaltem in continuo proximo peccandi periculo: Unde Innocentius XI. damnavit propoſitionem, quæ numero eſt 56. *Frequens confeſſio & communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.* Item uſus frequentis communionis iis non eſt concedendus, in quibus nulla alia deprehenditur diſpoſitio, niſi communionis deſiderium, quia cum uſus Euchariſtiæ ſe habeat (ſervata proportione) ſicut uſus alimenti corporei; *caro mea vere eſt cibus*, eo ferme pacto quo uſus frequens cibi corporei non eſt concedendus iis, qui non habent niſi cibi deſiderium, cum ſæpe oriatur ex humore noxio, qui licet ſtomachum vellicet, digeſtionem impedit; ex quo fit, ut qui cibum tunc ſæpius ſumit, nihil ex eo recipiat vigoris & firmitatis: Ita ſacra Euchariſtia non eſt frequenter iis permittenda, tametſi ex motivo charitatis deſiderare eam videantur, qui, dum graviter lapſi ſunt, pœnitentiam non curarunt; mulierculis, quæ vulgo *devotæ* vocantur, quæ tametſi famem illius demonſtrent, frequenter indulgent inertiæ, vanitati, detractationi, iræ, impatientiæ. Item non concedendus eſt uſus frequens huius Sacramenti iis, qui ex repetitis communionibus nullum fructum perceperunt, quia ex defectu fru-

ctus

ctus aliarum communionum conſtat, quod non habeant; nec habuerint debitas diſpoſitiones ad hoc ſacrum alimentum recipiendum, ut ex eo fructus percipiatur: & huiuſmodi ſunt ii, qui ſæpe incidunt in eaſdem imperfectiones, puta in eadem venialia, abſque eo quod ulla in eis emendatio deprehendatur, quod indicat nunquam vere de his doluiſſe: & cum venialium frequens relapſus indicet nunquam pœnitentem horum ex corde ſe pœnituiſſe, hinc reddunt eum non aptum ad communionem frequentandam. Hoc tamen intellige de venialibus, quæ fiunt ex malitia, ſeu cum plena advertentia rationis, ac proinde cum habituali illorum affectu, non vero de venialibus, quæ admittuntur ex ignorantia vel infirmitate, quippequæ non ex affectu, ſeu amore peccati oriuntur, ſed ex levi orationis, mortificationis, vigilantiæ negligentia.

Nota, quod ad hoc ut Miniſter concedat uſum frequentem communionis, debet quidem habere, ideſt ſcire rationem ſtatus, ac vitæ generis; ſed id ſatis non eſt: Nam quoad primum, certum eſt quod ii qui rebus mere ſpiritualibus vacant, uti ſunt, qui ſunt in ſtatu Clericali vel Regulari, plerumque magis diſpoſiti ſunt ad ſacram Euchariſtiam ſumendam, quam ii qui tota die inter humanas curas occupati detinentur, quod tamen univerſaliter loquendo, adhuc ſatis non eſt, quia in his ſtatibus quoque, in quibus media copioſiora ſunt ad pietatem, non deſunt aliqui, in quos maior dominatur cupiditas, quam in eos qui ſæcularibus ac mundanis negotiis ſunt implicati, ac proinde minus quam iſti illi diſpoſiti ſunt, & idonei, ut de ſacra menſa participent. Et revera Apoſtoli, eorumque ſucceſſores quotidianam communionem prioribus illis temporibus iis etiam conceſſere, qui rerum domeſticarum curis erant addicti, ac victum manuum laboribus lucrabantur, quam quotidianam communionem periculoſum eſſet corrupta hac ætatē concedere pluribus, qui in Monaſteriis Regularium, aut Clericorum Seminariis morantur.

Frequens communio certe concedenda eſt iis, qui liberi ſunt ab affectu peccatorum venialium. Quia ita ſenſerunt Patres: *omnibus diebus dominicis communicare ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit*; ita loquitur S. Franciſcus Saleſius Ep. 17. & ſcribens in alia, quæ eſt 38. ad quamdam maxime piam mulierem ait: *Non ſibi probari quod eius filia quinto quoque die Euchariſtiam ſumat niſi magno ardeat deſiderio, ac leviora teneræ ætatis vitia diligenter exterminare ſtudeat*. Via autem qua facilius dignoſcere poteſt Confeſſarius, num ſuus pœnitens liber ſit ab affectu venialium peccatorum, ut ei frequentiam communionis indulgeat, erit hoc explorare ex ſenſuum mortificatione, ex fuga occaſionum, ex ſtudio conſervandæ mutuæ charitatis, & ſollicitudine cito reſtituendæ, ſi etiam leviter eam læſerit. Sic Iuveninus.

Regulæ tandem generales, quibus Confeſſarius uti poterit pro concedenda, aut deneganda communionis frequentia, tres præcipue traduntur a S. Bonavent. in 4. ſentent. diſt. 12. part. 11. quæſt. 1. *Dicendum*, inquit S. Doct. *quod ſi videat ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ primitivæ, laudandum eſt quotidie communicare; ſi autem in ſtatu Eccleſiæ finalis, utpote frigidum & tardum, laudandum eſt quod raro. Si autem in medio modo, medio modo ſe debet habere; aliquando debet ceſſare, ut addiſcat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore*.

§. XXXIII.

De Communione ſub utraque ſpecie.

Quamvis doctrina huius diſputationis ſpectet partim ad puram Dogmaticam, partim ad ſimplicem diſciplinam; nihilominus cenſui hic non relinquere Lectorem omnino ieiunum in re, quæ licet non habeat certam cohærentiam moralibus regulis pro ſacro Pœnitentiæ tribunali, eſt tamen magni momenti; idcirco non ſupervacanea ſcientia ſacro animarum Paſtori. Verum cum hic locus non ſit rem huiuſmodi funditus diſcutiendi, imo aliqua delibatio ſufficiat, hinc breviter eam exponemus, eum remittendo qui fuſius ſcire cupiat, ad Dogmaticos, quos iam hic adducam, ubi rem perfectius deprehendere poterit, ſicuti peroptat.

De primæva Eccleſiæ diſciplina quoad communionem ſub utraque ſpecie.

Certum eſt, ut ex rerum eccleſiaſticarum hiſtoriis, & Patrum fere omnium ſcriptis clare colligitur, prioribus Eccleſiæ temporibus quando in Eccleſiæ cœtu miniſtrabatur ſacra Euchariſtia, datam fuiſſe fidelibus omnibus ſub utraque ſpecie; unde Patres teſtantur, fideles bibere ſanguinem Chriſti, ut Tertullianus ſæpiſſime, Origenes, & præcipue D. Auguſt. qui frequenter hoc habet ut in pſalm. 94. & 96. ſerm. 19. *de verbis Domini*, homil. 27. inter 50. & alibi; & non minus frequenter hæc habet S. quoque Chryſoſtomus in ſuis Homiliis ad populum; & Ma-

& Magnus Gregorius homil. 22. in Evangelia ita ad populum locutus eſt : *Quid ſit ſanguis Agni, non iam audiendo, ſed bibendo didiciſtis* ; & idem etiam alibi. Et hoc factum fuit ad Chriſti exemplum, qui in ultima Cœna, dum Sacramentum hoc inſtituit, utramque ſpeciem, ut habetur in Evangelica hiſtoria, diſcipulis præbuit; & patenter etiam hoc deprehenditur ex D. Paulo in ſua prima ad Eccleſiam Corinthi cap. 11. ubi habetur, fideles Corinthi ſub utriuſque ſpeciei communione hoc divinum celebraſſe myſterium.

Ex ipſis tamen veteris Eccleſiæ Hiſtoriæ, & Patrum documentis ſimiliter compertum eſt, non fuiſſe primævæ Eccleſiæ ſententiam, ut una ſpecies ſine altera, nempe corpus Chriſti in ſola ſpecie panis, ſine altera ſpecie ideſt calicis ex ipſius Chriſti præcepto ſumi non poſſet, quia ex ipſa Eccleſiaſtica hiſtoria, & Patrum atteſtatione aperte colligitur, quod eo tempore, ob frequentes, & pene continuas perſecutiones contra Chriſti Eccleſiam effervelcentes rarius fieri poterant Fidelium conventus, nec tunc tamen deſtituti remanebant Euchariſtiæ communione, quia eis in manus præbebatur ſacra Euchariſtia domum deferenda, non aliter quidem quam ſub ſola panis ſpecie, ſiquidem valde periculoſum erat tradere laicis ſpeciem ſimul vini cum ſpecie panis domum deportandam, ut illam devoto eorum uſui cum altera ſervarent. Hoc inter alios teſtatur Tertullianus lib. *ad Uxorem*, S. Cyprianus ſerm. *de lapſis*, S. Aug. lib. 2. contra litteras Petiliani, Ven. Beda lib. 2. Hiſtoriarum Anglicar. cap. 5. & lib. 4. cap. 21. ubi memorat, illam Eccleſiam conſueviſſe celebratis Miſſarum ſolemniis miniſtrare populo Euchariſtiam ſub ſpecie ſolummodo panis. Eſtius. Item habetur ex Nicephoro lib. 18. cap. 6. morem fuiſſe apud græcos præcipue Conſtantinopoli, tribuere reliquias Corporis Chriſti, quæ ex fidelium communione ſupererant, pueris innocentibus ieiunis, edendas ſeu conſummandas. Et huic addi etiam poteſt, quod dum antiquitus conferebatur Diacono poteſtas diſpenſandi populo Corpus Chriſti, plerumque nulla tunc fit mentio de ſanguinis diſpenſatione, ut habet Carth. Concil. cap. 30. & S. Hieronymus in ep. *de cælo Paſchali*; & hoc etiam nimis clare comprobat aſſervatio, quæ, ut antea diximus, fiebat ſacræ Euchariſtiæ infirmis deferendæ, quæ haud dubie aſſervatio, & deportatio erat ſub una tantum ſpecie.

Unde licet mos fuerit prioribus Eccleſiæ ſæculis de danda S. Euchariſtia ſub utraque ſpecie, qui adhuc perſeverat in Eccleſia græca, & communiter in latina uſque ad ſæculum 12. perduravit; non tamen id factum eſt, ut iam ex adductis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Patrum monumentis apertiſſime conſtat, quia cenſeret Eccleſia uſum utriuſque ſpeciei neceſſarium eſſe ex divino præcepto etiam laicis, cum promiſcue, ut iam retulimus ex eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & Patrum documentis conſueverit Eccleſia etiam in ſuis primordiis, ideſt modo ſub utraque, & aliquando ſub una tantum, ideſt ſub panis ſpecie miniſtrare; imo cum cito, præcipue tamen cum pacem obtinuit Eccleſia, cœperit in ipſa multitudine creſcente fidelium decreſcere devotio, & in magna communicantium frequentia, cum multi parum cauti eſſent, & providi, & plerique parum etiam religioſi, unde pluſquam ſolito occurrerent pericula irreverentiæ, & effuſionis ſanguinis Domini, ſæculo 12. ſenſim cœpit Eccleſia potius lege tacita quam lata, & ex recepta apud omnes conſuetudine, in una ſolum ſpecie, panis ſcilicet communicare, & in hoc fideles omnes ſine obmurmuratione contenti remanſere, cum iam conſtanter crederent, & profiterentur etiam in illa ſola ſpecie totum Chriſtum recipere. Et huic conſuetudini dedit etiam aliquam occaſionem error, qui circa hæc tempora exortus eſt Berengarii, qui in hoc Sacramento ſigna tantum agnoſcebat Domini corporis, & ſanguinis, & neutiquam verum ipſius corpus, & ſanguinem contineri. Unde uſu ſolius ſpeciei panis demonſtrarunt, ac profeſſi ſunt Chriſtiani illius ætatis eorum fidem, & totius Eccleſiæ circa veram integramque præſentiam vivi Corporis Chriſti cum Sanguine, anima, ac divinitate ſub utraque ſpecie. Addi poteſt aliam quoque fuiſſe rationem huiuſce conſuetudinis inducendæ, nempe converſionem ad fidem catholicam Gentium quæ regiones incolunt Aquilonares, apud quas nec naſcitur vinum, nec ita facile illuc transferrur, & nonniſi magno pretio haberi poteſt, ut teſtatur Beda de Anglis & Septemtrionalibus, qui ob talem vini parcitatem ſolius ſpeciei panis erant contenti : unde ad tollendam diſſonantiam & deformitatem quæ contingebat etiam in abſtemiis, ut uni duplici ſpecie, alii una tantum communicarentur, uſum induxit ac firmavit : ſed hoc erat potius conſuetudinis vis, quam legis urgentia. Tandem ad refellendos profligandoſque Boemorum errores, qui decepti ſunt a Petro

Diſcipli. na com. munionis ſub una tantum ſpe. cie.

tro Dreſdenſi & Iacobello Miſnienſi, ut teſtatur Eneas Sylvius Hiſt. Boem. cap. 15. & ſub initium ſæculi 15. ſub Ioanne Huſſ magnas ſuſcitarunt in Eccleſia turbas pro uſu calicis, quem neceſſarium iam credebant ad integram communionem corporis & ſanguinis Chriſti recipiendam in hoc Sacramento; Concilium Coſtantienſe ann. 1414. ſeſſ. 13. & Baſilien. ann. 1435. ſtatuerunt, ut laici in ſola ſpecie panis communicent, ac ut erroneum pronunciarunt dicere, hunc communicandi modum illicitum eſſe, cum ſub utraque ſpecie Chriſtus totus contineatur. Amore tamen unitatis, & pacis indulſit Boemis communicare ſub utraque ſpecie iuxta morem Patriæ.

Lutherus in hac controverſia varie ſenſit, ut habemus ex Bellarm. lib. 4. *de Euch.* cap. 20. ſed tandem lib. *de captivit. Babylon.* cap. *de Miſſa* definit impium & tyrannicum privare laicos participatione utriuſque ſpeciei. Luthero conſenſit Calvinus lib. 4. *Inſtitut.* cap. 17. §. 4. Quare ad horum errores exterminandos idem quod Conſtantienſe & Baſilienſe, definivit, ac confirmavit Concil. Trid. ſeſſ. 21. can. 1.

Tametſi vero unanimes conveniant catholici, utramque ſpeciem ad ſubſtantiam Sacramenti non pertinere, ac æqualem gratiæ fructum ad ſalutem neceſſariam ex una æqualiter ac ex ambabus ſpeciebus percipi, non deſunt tamen difficultates inter Theologos circa gratiam præterneceſſariam ad ſalutem, quam aliqui maiorem percipi volunt ex communione ſub utraque ſpecie. Ita cenſuerunt ut conſtat ex Pallavicino lib. 12. cap. 2. Melchior Canus ex Ordine Prædicatorum, Vaſquez; aliique, & acriter ſuper hoc diſputatum eſt in Concil. Trid. ſed cum controverſia eſſet mere ſcholaſtica, nec has mens eſſet Concilii attingere, nihil circa hanc quoque definire voluit.

Inſtarunt multi in Concilio nomine Imperatoris, Regis Galliarum, aliorumque Principum, ut uſus calicis laicis reſtitueretur, & favebant hiſce inſtantiis Theologorum opiniones, non quia hoc neceſſarium putarent ad Sacramenti ſubſtantiam, ſed ad ſedandos populorum animos, ac eorum pietatem devotionemque fovendam, necnon ut omnis calumniæ occaſio de medio Novatoribus eriperetur. Verum Patres ſuper hoc cenſuerunt nihil novi ſtatuere, ſed remittere arbitrio Summi Pontificis, qui iuxta conditionem temporum, locorum, ac gentium, prout opus foret, concederet, aut denegaret. Sit igitur breviter.

Communio ſub utraque ſpecie nec laicis nec Sacerdotibus extra eorum Miniſterium, ſeu extra actum Sacrificii conficiendi, eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, neque ex divino præcepto; ac ideo licet primitiva Eccleſia conſueverit dare utramque ſpeciem etiam laicis, hæc tamen diſciplina, quæ perſeveravit uſque ad ſæculum 12. (neque iiſdem temporibus erat invariabilis, cum ſæpe in una tantum ſpecie fieret communio, ac proinde ſine ullo ſpirituali fidelium diſpendio) poſt 12. ſæculum, ita rationabilibus cauſſis exigentibus, redacta fuit ad communionem extra Sacrificium ſub una tantum ſpecie, ideſt in ſola ſpecie panis. Et hoc conſtat primo ex Scriptura, nempe ex doctrina ipſa Chriſti Domini, qui Ioannis 6. loquens de fructu Euchariſtiæ, nempe vita æterna, eum ſumptioni unius ſpeciei attribuit: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi . . . qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Tota igitur Sacramenti ſubſtantia etiam in una ſola ſpecie ſubſiſtit, cum ex una ſola ſpecie iuxta Chriſti teſtimonium totus huius Sacramenti fructus percipiatur. Hoc idem argumentum propoſuit, & urgebat Concilium Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. *Qui dixit*, inquit, *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque, qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum &c.* Et hoc non obſcure indicat etiam D. Paulus 1. Corinth. 11. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Ecce quod ex particula *vel*, quæ eſt disiunctiva, denotat S. Apoſtolus dari poſſe caſum aliquem, quo quis ſumpta ſpecie panis ab alia poſſit abſtinere, ideſt a ſpecie vini, & ideo validum eſſe, ac licitum Chriſtianis communicare etiam in una ſola ſpecie vel panis, vel vini, quia in quacumque communicet, ſi indigne hoc faciat, reus fit corporis & ſanguinis Domini. Unde clare patet & ex verbis Apoſtoli quod ſub utraque ſpecie & corpus & ſanguis, ideſt totus Chriſtus contineatur. Igitur non requiritur neceſſitate Sacramenti ſumptio utriuſque ſpeciei, ſed in unica ſtat integrum Sacramentum, cum non ſolum totus Sacramenti effectus ex ea percipiatur, ſed etiam in alterutrius ſpeciei ſumptione indigne facta ſuſcipiens reus fiat totius Sacramenti: *Reus erit corporis & ſanguinis Domini*. Nec ullatenus valet adverſariorum reſponſio, Chriſtum Dominum hoc dixiſſe

Communio ſub utraque ſpecie non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, nec præcepti.

pen

per ſynedochem, partem pro toto accipiendo, & Apoſtolum ibi accepiſſe particulam *vel* conjunctive, non vero disiunctive; cum traditio univerſalis Eccleſiæ, cuius eſt Scripturam interpretari, ubi aliquid habet obſcuritatis, atque de vero eiuſdem ſenſu iudicare, uſui faveat, ac proinde manifeſte repugnet adverſariorum reſponſioni. Unde conſtat ex ipſa veteri conſtanti traditione, non requiri ex neceſſitate Sacramenti, neque præcepti ſumptionem utriuſque ſpeciei, quia dum etiam talis uſus vigebat, non ſemper eum ſervavit Eccleſia, ſed in aliquibus circumſtantiis immutavit, ſub una tantum ſpecie, & hæc erat panis, Euchariſtiam miniſtrando. Nam conſtat conſueviſſe olim, ſicuti antea diximus, dare ſacram Euchariſtiam fidelibus ſecum deferendam domum, vel in deſerta, ut Monachis, & in itineribus, ut promptam haberent, quatenus eorum devotio exigebat, ad ſpiritualem refectionem. Quod vero in huiuſcemodi caſibus eam ſub ſola panis ſpecie ſumerent colligitur manifeſte tum ex circumſtantiis quæ vix admittebant ut fideles vinum ſecum deferrent, tum ex ſilentio Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ex qua colligitur quidem fideles panem Euchariſticum nudis manibus alicubi accepiſſe, alibi autem linteo, quod *Dominicale*, *&* *oriarum* vocabatur: de vaſe quod eſſet aureum argentum, cupreum, vitreum, ac teſtaceum ad vinum deferendum nulla prorſus fit mentio, quando de eo quoque aliquid ſpecialiter præſcribendum fuiſſet. Quamobrem evidenter ſequitur, in hiſce caſibus ad privatas communiones nunquam uſum ſpeciei vini fuiſſe conceſſum, ac proinde illa privata communio fiebat in ſola ſpecie panis. Et hoc evincitur tum ex ipſo Tertulliani teſtimonio lib. 2. *ad Uxorem* cap. 5. *Non ſciat maritus*, inquit, *quid ſecrete ante omnem cibum guſtes*, *&* *ſi ſciverit*, *panem non illum credit eſſe qui dicitur:* tum Solitariorum exemplo qui ad annum ſacrum Viaticum accipiebant. Porro cum ſpecies ſacramentales ſubiectæ ſint iiſdem conditionibus, ac ſi propriam haberent ſubſtantiam, Sacramentum calicis tamdiu certe conſervari non poterat pro longo uſu (ſicuti fiebat in pane) quin aceſceret, præſertim in calidiſſimis regionibus, ut ſunt Ægypti deſerta, ubi Solitarii morabantur. Inſuper infirmis ſub una tantum ſpecie, id eſt panis ordinarie miniſtrabatur, & ad hunc finem in Templis ſervabatur, ut patet ex hiſtoria cuiuſdam Serapionis, ad quem extremis laborantem cum pergere non poſſet Sacerdos, miſit ei per puerum exiguam Euchariſtiæ partem, ac iuſſit ut intinctam in aqua, ſeu madefactam moribundo præberet. Quidquid cæterum ſit, aliquando etiam ſub ſpecie vini data fuit infirmis ſacra communio, referente S. P. Hieronymo in ep. *ad Ruſticum*, in qua laudat S. Exuperium Epiſcopum Toloſanum redactum ad tantam paupertatem pro ſublevandis egenis, ut panem Euchariſticum ad infirmos deferret in caniſtro viminis contexto, & portionem calicis in vaſe vitreo. In publicis autem fidelium collectis identidem ſub ſola ſpecie panis miniſtrabatur ſacra communio, teſte cit. S. Patre in epiſt. *ad Euſtochium* 22. in qua meminit quarumdam Virginum, quæ Romæ ita erant abſtemiæ ut in ipſis myſteriis ſpeciem vini non ſumerent, ac ideo a maledicis *Manichææ* vocabantur, cum Manichæi ex vana ſuperſtitione quod vinum fel eſſet draconum etiam in divinis myſteriis ab ipſo ſe abſtinebant. Habetur etiam in veteri Romano Ordine, communionem publicam a 6. ſæculo apud latinos peragi ſine quavis neceſſitate, ſed ſolummodo ad quamdam myſticam ſignificationem; ex quo ad evidentiam patet, Eccleſiam nunquam agnoviſſe ullum divinum præceptum communicandi ſub utraque ſpecie. In Eccleſia græca toto quadrageſimali tempore celebratur ex præſanctificatis præter dies exceptos in Synodo Quiniſexta ſeu Trullana an. 692. can. 52. Ita enim ibi habetur: *Omnibus ſanctæ quadrageſimæ ieiunii diebus præterquam Sabbato & Dominica*, *&* *Sancto Annunciationis die fiat ſanctum præſanctificatorum miniſterium*. Et concilium non novam legem conſtituit, ſed veterem confirmavit, quam volunt initium habuiſſe a Concil. Laodiceno; ut habetur in eius can. 49. tametſi multi canonem huius Concilii intelligant de pane benedicto, quem Concilium prohibet diſtribui in Quadrageſima, ne ieiunium ſolvatur.

Miſſa præſanctificationum in Latina Eccleſia Fer. 6. Maioris Hebdomadæ celebratur.

In latina quoque talis Miſſa ex præſanctificatis celebratur feria 6. in Paraſceve, ut Miſcrol. cap. 19. Dicitur autem Miſſa *de præſanctificatis*, quia celebratur in ſolis ſpeciebus panis conſecratis in præcedentibus Sacrificiis, cum in tali Miſſa nulla fiat alicuius ſpeciei conſecratio, & hæc Miſſa de præſanctificatis vulgo alicubi dicitur *Miſſa ſicca*, utpote quæ celebrata ſine ſpecie conſecrata calicis. Ex his igitur omnibus conſtans Eccleſiæ univerſalis traditio apertiſſime docet, communionem ſub utraque ſpecie neceſſariam non eſſe non conficientibus Sacri-

ficium

Digitized by Google

ficium ulla neceſſitate, nec Sacramenti, nec præcepti, ac ideo ad Eccleſiam ſpectat iudicare, an concedi, aut denegari debeat, ſicuti declaratum fuit a Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. Et equidem in Concilio Conſtantienſi legitur diſpenſaſſe Diaconis aliiſque Miniſtris, ac aliquibus perſonis etiam dignitate, vel ſanctitate conſpicuis in ſolemnitate Paſchali. Nec iniuriam alicui fecit, nec facit denegando non conficientibus uſum ſpeciei calicis, cum ex hoc nullum patiantur detrimentum, ſeu præiudicium pro æterna eorum ſalute, quia etiam in ſola ſpecie panis, totum percipitur Sacramentum, & eius fructus, ut iam dictum eſt, & definitum fuit a Concil. Trid. contra Lutherum, & Calvinum, ſeſſ. 21. can. 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem SS. Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit*, & can. 3. ita habet: *Si quis negaverit totum, & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, & authorem ſub una panis ſpecie ſumi, quia, ut quidam falſo aſſerunt, non ſecundum ipſius Chriſti conſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur, anathema ſit*.

Cum autem iuſtis de cauſſis, & præcipue ut in hiſtorica rei huiuſce narratione iam vidimus, ut conſuleret venerationi huius Myſterii, ne ſit irreverentiis expoſitum, approbaverit Eccleſia conſuetudinem communicandi ſub una tantum ſpecie, & eam pro lege habendam ſtatuerit, & nihil ex tali exceptione deperdant fideles, dum integrum etiam in una ſola ſpecie Sacramentum, ipſiuſque effectum accipiant; ſint hac contenti ſine diſplicentia, ſed ſoliciti ſint, ut, quod eſt graviſſimi momenti, ſe præparent ad tam venerabilem cibum debitis diſpoſitionibus, a quibus præcipue pendet quod fructum eiuſdem percipiant, imo caveant, ne quod nobis datum eſt ut cibus & medicina ad vitam ſpiritualem alendam, ſervandam, & augendam, vertatur in venenum æternæ damnationis & mortis, iuxta monitum Apoſtoli: *Qui indigne manducat, iudicium ſibi manducat*.

§. XXXIV.

De diſpoſitionibus requiſitis ad ſacram communionem.

Quia ſacra communio digne ſumentibus fructum affert valde magnum, & e contra graviſſimum reatum & exitium indigne eam percipientibus, ut vita ſit bonis, maliſque mors, ſicuti in primæva eius inſtitutione contigit, quæ bonis Chriſti diſcipulis panis vivificus fuit æternæ ſalutis, perpetuæ damnationis venenum Iudæ ſacrilego proditori, *non quia malum quod acceperit*, ait S. Aug. tract. 26. in Ioan. *ſed quia bonum male malus accepit*: hinc ut cum bonis diſcipulis vitæ fructus percipiatur, non ſecus æternum exitium cum Iuda in ſacro hoc pane ſumendo, attendere debent fideles, ut cum illa diſpoſitione accedant, quæ exquiritur a tanto & tam excellenti myſterio, ut digne & fructuoſe accipiatur; ac proinde quandocumque cogitet fidelis ad Sacram menſam accedere, recordetur & quod per ſe ipſum ait Chriſtus Dominus, ut habetur Ioan. 6. *qui manducat hunc panem vivet in æternum*, & quod per Apoſtolum Paulum admonuit in eius ep. 1. ad Corinth. cap. 10. *Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*, idest hunc ab aliis cibis non diſcernens, ſed ad ipſum tanquam ad prophanum cibum accedens; quod equidem ab iis fieri cenſetur, qui ſine convenienti diſpoſitione ad tantum Sacramentum digne ſumendum ſe præparant. Eſtius.

Diſpoſitiones autem, quibus ad Sacramentum divini corporis parati accedere debent fideles, aliæ ſunt animi, ſeu internæ, aliæ corporis, & externæ. De internis autem breviter generatim nos admonet, & inſtruit Apoſtolus, dum ait prima Corinth. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*. Nec credat aliquis, ſicut Novatores allucinantur, ibi Apoſtolum loqui de ſola præparatione Fidei, ut ex ipſo Apoſt. manifeſte patet: Nam D. Paulus non reprehendit Corinthios, quia non crederent, ſed quia irreverenter accederent cum neglectu aliorum, & contemptu: unde illa probatio, ſeu diſpoſitio intelligenda eſt quam Eccleſia ſemper intellexit, & ſuos fideles docuit, ut etiam Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. nimirum ſeipſos examinent, ſi amici ſint Chriſti, & veſtem habeant nuptialem, ideſt cum fide, charitate & ſpe; num quærant gloriam Chriſti, an vero accedant ad ſacram angelorum menſam ex conſuetudine, ex vano timore, ex terrena aliqua cupiditate; num tandem remordeat eos conſcientia de aliquo mortali peccato, vel eius affectu, aut quia ornamento careant actuum aliarum virtutum, quod vere ſignificatur per veſtem myſticam, qua ad nuptias Agni, ideſt ad Euchariſticum convivium accedendum eſt. Et cum hæc veritas iam per ſe ſuperabunde pa-

De diſpoſitionibus ad ſacram Communionem.

Digitized by Google

pateat, hinc utilius cenſeo ut ſtudium accuratius in ipſis diſpoſitionibus explicandis exerceatur.

De inter. nis diſpo. ſitioni. bus.

Inter diſpoſitiones internas, ſeu ex parte animæ, priorem locum obtinet ſanctitas, ſeu mundities conſcientiæ ab omni labe peccati, ideſt requiritur quod ita animus affectus ſit, ut non ſit conſcius lethalis culpæ, ut vita gratiæ ſanctificantis fruatur; & hæc diſpoſitio, ſeu animi præparatio, requiritur ſub mortali, ut notat cit. Apoſt. *Quicumque enim manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini*: quia peccator gravem iniuriam inſert Chriſto, & irreverentiam eum in ſtatu culpæ recipiendo, quod infinite ei diſplicet: unde quantum in ſe eſt, falſam reddit ſignificationem huius Sacramenti, quod vacuum reddit ſuo effectu, nempe animæ nutritione, augmento, robore, & conſervatione vitæ ſpritualis, cum ad hoc inſtitutum ſit per modum cibi, & potus, ac proinde vivum ſupponit ſumentem in gratia ſanctificante, & charitate, cum cibum mortuis nihil profit: unde grave ſacrilegium committitur ab eo, qui ita ſuſcipiat, & eo gravius, quo perſona vel res ſacra quæ tractatur, ſanctior eſt. Igitur qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, per ſe loquendo tenetur iure divino, ſi habeat copiam Confeſſarii, vel in defectu ſi neceſſitas non urgeat præmittere communioni ſacramentalem confeſſionem, & hoc conſtat præcipue ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. can. 11. ubi ita habetur: *Declarat ſancta Synodus illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſarii, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem*. Dixi *per ſe loquendo*, quia urgente neceſſitate communicandi dum deficit copia Confeſſarii, ſufficit, ac requiritur contritio perfecta, ut habetur ex eod. cap. 7. Concilii Trid. & ex praxi communi Fidelium: Nam cum ſtatus gratiæ ſanctificantis haberi poſſit etiam ſine ſacramentali confeſſione, ideſt per perfectam contritionem, præceptum Tridentini non eſt ita ſtricte interpretandum, ut nulla prorſus neceſſitas diſpenſare queat. Urgens vero neceſſitas ex communi cenſetur 1. quando deſit hoſtia conſecrata danda moribundo in viatico. 2. Si Sacrificium, aut communio ommitti nequeat ſine gravi ſcandalo, ut de defectibus in Miſſali Rom. 3. Cum Sacerdos poſt conſecrationem recordatur ſe reum eſſe lethaliter, ut ex cit. Miſſali Rom. 4. Si occurrat Parocho celebrare ob diem feſtum, nec alium habeat quem ſibi ſubſtituat.

Confeſſio præmit. tenda, quando conſcien. tia re. mordeat de mor. tali.

Qui tamen in huiuſcemodi urgentiis celebravit cum conſcientia lethalis reatus, tenetur poſtea iuxta præceptum Concilii Trid. quamprimum confiteri, ut in cit. cap. 7. *Si neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur*. Hoc tamen *quamprimum* non accipi debet ſicut male ac temere interpretati ſunt nonnulli Calviſtæ, nempe quando ſiat ut confiteatur, cum hoc damnatum ſit ab Alexandro VII. in propoſit. quæ num. eſt trigeſima nona: *Illa particula, quamprimum, intelligitur, quando Sacerdos ſuo tempore confitebitur*. Imo aliam etiam priorem proſcripſit quæ num. eſt 38. in qua præceptum Concilii factum Sacerdoti in neceſſitate cum conſcientia lethalis celebrandi, quod quamprimum confiteretur, explicatur ut conſilium; ſic enim in illa habetur: *Mandatum Concilii Trid. factum Sacerdoti ſacrificanti cum peccato mortali confitendi quamprimum eſt conſilium, non præceptum*. Unde ſtatim ac ſine magno ſuo incommodo & periculo Sacerdos, qui cum tali conſcientia ſacrificavit, habere poteſt copiam Confeſſarii, confiteri tenetur, etiam ipſo die celebrationis. Nam dilatio quamvis quoad tempus modica, gravis tamen eſt quoad finem præcepti, ac ideo mortalis, & præcipue ob periculum denuo celebrandi ſine prævia confeſſione.

Quod ſi fiat, ut qui iam confeſſionem præmiſerat recordetur ſe inculpate crimen aliquod oblitum fuiſſe, licet indirecte etiam de illo abſolutus ſit, nihilominus ex communi Theologorum, ſi poſſit ſine ſcandalo & infamiæ periculo, ut eſſet ſi iam ſacræ menſæ adſtaret, tenetur ante communionem, ſeu celebrationem ſi eſt Sacerdos, ad confitendum, quia eſt divinum præceptum confitendi omnia peccata, quæ quis recordatur, antequam ad communionem accedat, ut ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. can. 11. & talis eſt praxis communis fidelium; & probatio requiſita, & monita ab Apoſtolo facienda eſt iudicio Sacerdotis; & qui ex neceſſitate coactus fuit celebrare ſine prævia confeſſione, quamprimum confiteri debet.

Accedere ad ſacram communionem cum conſcientia peccati mortalis 1. certe eſt mortale, ut docet Apoſtolus: *Qui manducat indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini*. 2. Licet dentur alia hoc ipſo graviora, ut infidelitas, blaſphemia, &c. tamen longe gravius eſt delinquere recipiendo

do ſacram Euchariſtiam cum lethali macula, quam cum tali diſpoſitione alia Sacramenta recipere, cum pro dignitate rei ſacræ, quæ violatur, ſacrilegium augeatur. Habertus.

De ſecunda ſpirituali diſpoſitione ad ſacram communionem.

Secunda diſpoſitio eſt remotio & immunitas ab omni affectu ad peccata, etiam venialia, quia talis affectus eſt obex gratiæ ſacramentalis, & contrarius reverentiæ debitæ tanto Sacramento; *ſed dicis*, ita ſibi obiicit S. Auguſt. ſeu potius S. Cæſarius ſerm. 284. nunc in appendice 292 num. 6. *peccatum quidem eſt, ſed tamen parvum eſt. Et nos dicimus quod hoc tale peccatum eſt; ſed ſi frequentius exerceatur, nimis immundam animam facit. Et cum nullus homo velit cum tunica ſordibus plena ad Eccleſiam convenire, neſcio qua conſcientia cum anima, quæ per luxuriam, (ſcilicet venialem inordinationem in uſu matrimonii, de quo eſt ſermo), ſit inquinata, præſumit ad altare accedere, non timens illud ... qui manducat indigne. Si erubeſcimus ... Euchariſtiam manibus ſordidis tangere, plus debemus timere in anima polluta illam accipere.* Obex quidem eſt gratiæ ſacramentali affectus ad venialia, quia cum effectus Euchariſtiæ ſit augmentum gratiæ animam nutrientis, affectus ad venialia opponitur huic gratiæ incremento: Nam licet peccatum veniale charitatem non extinguat, eam tamen refrigerat, ac minuit, unde tædium, ac torpor quidam animæ oritur qui plenum impedit Euchariſtiæ effectum ad quam ingenti animi fervore ac deſiderio accedere homo debet. *Non ſaturantur* (ait S. Gregor. Magnus in cap. 2. lib. 1. Regum lib. 2. cap. 1.) *niſi famelici, qui a vitiis perfecte ieiunantes divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis: Et quia ſine peccato electi etiam viri eſſe non poſſunt, quid reſtat, niſi ut a peccatis, quibus humana fragilitas eos maculare non deſinit, evacuari quotidie conentur*; imo cum S. Euchariſtia deleat venialia ad hunc effectum, requiritur remotio affectus ad illa, & aliqua ſaltem eorum diſplicentia.

Tertia diſpoſitio.

Tertia diſpoſitio eſt ſingularis reverentia erga Chriſtum Dominum in ſacra Euchariſtiæ Sacramento præſentem. Quia in hoc Sacramento præſens eſt divina maieſtas, debet recipi cum honore, ait S. Bonaventura tract. *de præparat. ad Miſſam*, & eo magis hoc exigit divina maieſtas, quia cum tanta dignatione & amore ſe nobis communicat in hoc Sacramento. Hæc autem reverentia ex duobus neceſſariis exurgit, nimirum ex attentione, & actuali devotione.

Attentionem ad excellentiam & dignitatem rei contentæ in hoc Sacramento, & ad magnitudinem doni exprimunt illa Apoſtoli alias allata verba 1. Corinth. 11. *Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini* ſcilicet interpretantur Patres, non habens attentionem requiſitam ad excellentiam & dignitatem rei in Sacramento contentæ, & ad magnitudinem doni, quod in eodem Sacramento nobis pro ſpirituali cibo exhibetur, qui eſt ipſe Chriſtus Dominus, qui ſub illis ſpeciebus totus continetur, ut eius manducatione animam noſtram alat, & nutriat, in vita gratiæ augeat, & conſervet. *Oportet accedentem ad corpus & ſanguinem Domini* (ait S. Baſil. lib. 1. *de Baptiſmo* cap. 9.) *& ad memoriam eius, qui pro nobis eſt mortuus, & reſurrexit, non ſolum purum eſſe ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, ne iudicium ſibi edat & bibat; ſed evidenter exprimere & oſtendere memoriam eius, qui pro nobis mortuus eſt & revixit in eo quod mortificatus eſt peccato, mundo, ac ſibi ipſi, & Deo vivit in Chriſto Ieſu Domino noſtro*: Et regula 21. cap. 1. ait: *Qui ad communionem corporis, & ſanguinis Chriſti, neque rationem illam conſiderat cuius cauſſa inſtituta eſt, utilitatis ex ea fructum nullum reportat.* Et ita nos docent etiam alii Patres.

Devotione ſuſcipienda S. Euchariſtia.

Devotionem cum attentione coniungit S. Bonaventura *in brevil.* part. 6. cap. 9. *Quoniam capacitas noſtra ad Chriſtum efficaciter ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in ſpiritu ... & mens Chriſtum non attingit niſi per cognitionem, & amorem ... ideo quod aliquis digne accedat, oportet ut ſpiritualiter comedat, & ut ſic Chriſtum per recordationem fidei maſticet, & per devotionem amoris ſuſcipiat. Propter quod manifeſte colligitur, quod qui tepide, indevote, & inconſiderate accedit, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Regula hæc traditur etiam a D. Th. quæſt. 80. art. 10. *Requiritur*, inquit; *ut cum magna devotione, & reverentia accedat.* Devotio autem, ut clarius etiam explicetur, ſecundum SS. Patres, & Theologos, & præcipue D. Thomam 2. 2. quæſt. 82. art. 3. & 4 *eſt motus mentis in Deum per pium humilemque affectum fide, ſpe, & charitate ſubnixum.* Idcirco *devotus* dicitur *qui elevat mentem in Deum.* Unde devote communicare is dicitur, qui conatur omnem diſtractionem, & evagationem mentis expellere, ut co-

ut tota ſit in tanti myſterii conſideratione, & divino debito obſequio, ac ipſo per fidem, ſpem, ac charitatis amorem coniuncta. Requiritur autem diſpoſitio huius actualis devotionis, ut cum omni ſuo fructu Sacramentum hoc ſuſcipiatur. Nam licet iuxta ſententiam D. Thomæ, aliorumque communiter, ad recipiendum augmentum gratiæ ſanctificantis ſufficiat ſtatus gratiæ, cui ſolum peccatum mortale eſt obex quippe quæ cum veniali conſiſtere poteſt; & Sacramenta ex opere operato gratiam conſerant non ponenti obicem, neceſſario tamen requiritur actualis devotio in ſuſcipienda ſacra Eucharistia ad recipiendam ſpiritualem dulcedinem, fervorem, maiuſque gratiæ ſanctificantis augmentum, ac multas, & ſpeciales actuales gratias. Sacramenta enim ad modum cauſſæ neceſſariæ operantur, plus ac minus iuxta perfectiorem, aut imperfectiorem ſubiecti diſpoſitionem, ut conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. Quare ſolus defectus actualis devotionis ſecluſo contemptu & ſcandalo eſt grave veniale. Item venialiter peccare videtur qui cum ſentiat ſe gravatum conſcientia plurium venialium, quæ ex conſuetudine committere ſolet, ſine illorum dolore ad ſacram Euchariſtiam accedat, quia ponit obicem aliquibus effectibus huius Sacramenti; ut eorum remiſſioni, (cum Theologi attribuant huic Sacramento virtutem remittendi venialia) & fervori charitatis; imo ita accedere eſt etiam aliqua irreverentia. P. Antoine.

Hinc patet, quod ſi contritus depoſuit peccata mortalia in confeſſione, quorum ſacramentalem obtinuit abſolutionem, ſi peccata fuerint recenter commiſſa, cum hæc patiant quamdam mentis hebetudinem, & aliorum maiorem, ſi ſint venerea, fiduciam tollant, mentem turbent, ac quodammodo ligent affectum, quo minus aſſurgat ad divina; ſecluſa neceſſitate non debeat tam cito accedere ad ſacram Euchariſtiam, ſed per aliquod tempus ſe diſponere non ſolum per ſacramentalem ſatisfactionem, ſed per alia etiam exercitia, quæ ſponte elegerit tum pœnitentiæ, tum aliorum pietatis operum, ſine quibus non ita facile excitare poterit in animo illam reverentiam ac devotionem, quam dixi requiri ut decenter ac fructuoſe accedant fideles ad Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini, ac ideo illam habeat approbationem, quam recordatur Apoſtolus ne indigne ſumens reus fiat Corporis, & Sanguinis Domini, & ſuum iudicium manducet. Hæc erat priorum temporum diſciplina, quæ perduravit per 12. ſæcula, ut non admitterentur ad Euchariſtiæ participationem qui dolorem habuerant errorum ſuorum quidem, & vitæ male anteactæ penitus renunciaverant; ſed nondum per pœnitentiæ mortificationem erant purificati, quia ut ait S. Chryſoſt. hom. 17. in epiſt. ad Hebræos expendens verba quæ a Diaconis ante diſtributionem ſacræ communionis alta voce ad communicandos præmittebantur *Sancta ſanctis; ſanctum non facit liberatio a peccatis, ſed etiam preſentia ſpiritus, & bonorum operum copia*. Quare D. Th. in 4. diſt. 9 art. 4. quæſt. 1. hanc tradit regulam: *Non eſſe, conſulendum quod ſtatim poſt peccatum mortale etiam contritus, & confeſſus ad Euchariſtiam accederet, ſed deberet, niſi magna neceſſitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abſtinere*.

Tametſi vero actus coniugalis ſit in ſe legitimus, quia tamen præter immunditiam quamdam corporalem, quæ eum ſemper comitatur, mentem deprimit, & eius evagationem, ac diſtractionem inducit, & præcipue quando non ex debito, ſed captandæ voluptatis cupidine, ac ideo cum venialis periculo exerceatur, (ut declaravit Innocentius XI. ann. 1679. dum damnavit contrariam opinionem in propoſitione quæ inter damnatas eſt num. 9. in qua ita habetur: *Opus coniugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa & defectu veniali*) a ſacra communione retrahere debet, niſi aliqua neceſſitas aliter exigat; & ita colligitur ex Script. 1. Corinth. 7. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu . . . . ut vacetis orationi*. In quem locum ait D. Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum, *quid eſt majus, orare, aut corpus Chriſti ſumere? . . . . Si ergo propter coitum quod minus eſt, impeditur, multo magis quod maius eſt*. Et licet S. Chryſoſt. aliique communiter intelligant Apoſtoli locum, non de ſimplici oratione, ſed de oratione Sacrificii, in quo ſacra Euchariſtia fidelibus miniſtrabatur, omnes tamen concordant, Apoſtolum monere ibi coniuges, ut ſe ſeparent ob reverentiam utriuſque, tum Sacrificii, tum communionis. Et hoc etiam confirmat traditio, ut conſtat ex Concil. Eliberitano quod in can. 3. ſic habet: *Omnis homo ante ſacram communionem a propria uxore abſtinere debet tribus, quatuor, aut octo diebus*. Inter ea vero quæ circa hoc tradita ſunt, plana ac facilis pro Confeſſariis, ut ſciant ſecurius quomodo ſe

gere-

gerere debeant in hac re eſt regula quam expoſuit S. Franciſcus Saleſius in ſuo eximio Opere, cui titulus *Philothea* part. 2. ubi in cap. 20. docet a proxime communicaturis coniugale debitum non eſſe petendum. Nullum tamen affert impedimentum, ſi ei qui petit reddatur, & eſt omnino cohærens ſententia S. Aug. in Pſalm. 149. ubi ita S. Pater: *Pro ſanctificatione perfecta Deus tibi computabit ſi non quod tibi debetur exigis, ſed reddis quod debetur uxori.*

Viguit aliquando uſus, ut mulieres dum menſtrua pariuntur, non participarent impolluta myſteria. Non ignoramus tamen Chriſtum Dominum non ſe offendiſſe, quod quæ talem fluxum patiebatur tangeret ei poſt tergum fimbriam veſtimenti. Et S. Gregorius Magnus in prælaudata ad Auguſtinum hunc morem damnavit tanquam ſuperſtitioſum: *Fœminis namque*; ait S. Pontifex, *& menſtruus ſui ſanguinis fluxu ægritudo eſt; igitur bene præſumpſit quæ veſtimentum Domini in languore poſita tetigit. Quod perſonæ infirmanti conceditur, cur non concedetur cunctis mulieribus, quæ naturæ ſuo vitio infirmantur*; & hoc confirmarunt ipſius ſucceſsores contra Synenſes Clemens XI. Benedictus XIII. Benedictus XIV.

Multo magis, & a fortiori etſi contritus & abſolutus, niſi urgeat gravis neceſſitas, & aliud videatur Confeſſario, per aliquod tempus ut pænitentia hoc interim, & aliis pietatis operibus ſe purget, abſtinere debet a ſacra Euchariſtia qui commiſerit voluntariam pollutionem, aut aliud grave crimen, ut habetur ex Miſſali Rom. quia hic talis non ſtatim habere poteſt debitam actualem devotionem propter diſtractionem, turpium cogitationum, & recordationem turpis delectationis, & ob infirmitatem a peccato relictam.

Quoad pollutionem vero nocturnam quæ, prorſus involuntarie ſic accidit in ſomno, ut nullatenus mentem afficiat vixque vigilans meminerit, quod ſibi acciderit, ſomniando ut nulla ex ipſa ſentiatur animi perturbatio, & diſtractio; licet in hoc caſu videatur omnino contemnenda, primis tamen Eccleſiæ ſæcu is communionem impediebat propter immunditiam, & fæditatem, quæ ſemper a corpore contrahitur, ut habetur tum ex S. Baſilio ad interrogationem 309. in Regulis brevioribus, tum ex S. Aug. ſerm. de *Tempore* 244. Verum cenſuerunt Patres excipiendam eſſe quæ deprehendatur accidiſſe ex dæmonis verſutia, ut hac occaſione retraheret eam paſſum a communione, ut ex Caſſiano collat. 22. cap. 4. Idipſum intelligitur etiam ſi naturaliter cauſatur in eo qui nimium patitur timorem, ne huiuſcemodi turpia occurrant in ſomno, dum inſtat dies feſtus in quo communicare ſtatuerat. Unde qui ita patiuntur haſce nocturnas infirmitates, ſeu illuſiones ſomniando modis ſupradictis, conſulere debent Confeſſarium, ut confidenter ad Euchariſtiam accedant.

Nihilominus tamen cum plerumque ex illa ſomniorum illuſione turbetur anima, langueſcat affectus, ideo debita devotio tollitur erga divinum Sacramentum, quæ eſt tertia diſpoſitio qua ad ipſum accedendum eſt ne indigne ſuſcipiatur. *Ex quadam congruentia*, (ait S. Th. quæſt. 80. art. 7.) *impedit evagatio mentis quæ ſequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit.... hoc autem impedimentum poſtponi debet propter aliquam neceſſitatem.* Cæterum mihi videtur nihil facilius ac clarius in hoc propoſito optare poſſe Confeſſarios, ut prudenter ac ſecure in huiuſcemodi caſibus deliberare valeant in concedenda vel denegan da interim ſuis pænitentibus ſacram Synaxim, quam id quod depromptum eſt ex ep. S. Gregorii ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, quæ eſt 31. lib. 12, in qua docet Pontifex, illuſionem non eſſe timendam, cum ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate evenerit. Secus vero dicendum ſi oriatur ex crapula, ex turpi cogitatione, ex mulierum conſortio, atque alia hujuſmodi cauſſa libera & voluntaria. In hiſce enim caſibus, ſi abſque ulla nota fieri poteſt eſt abſtinendum. Ita docent Theologi omnes cum S. Thoma. Idemque dicendum de crapula, & heſterno cibo venialiter immoderato; nam inde pariter pergravatur animus, & non ita facile aſſurgit ad ſupernaturalia, ut ex S. Th. quæſt. 80. art. 8. ad 5. Et hactenus dicta reſpiciunt diſpoſitiones animi requiſitas ad digne & fructuoſe recipiendam ſacram Euchariſtiam. Reſtat igitur, ut percurramus diſpoſitiones, quæ etiam ex parte corporis requiruntur.

§. XXXV.

De diſpoſitionibus corporis pro ſumenda ſacra Euchariſtia.

Diſpoſitiones quæ corpus reſpiciunt, quibus fideles accedere debent ad decenter ſacram Euchariſtiam ſumendam duæ exiguntur, ieiunium ſcilicet naturale, & habitus, ac corporis compoſitio cum de munditia carnis iam diximus, ubi de animi diſpoſitione, cui illa cohæret.

P 2 Chri-

De prima diſpoſitione corporali, ſeu de ieiunio.

Chriſtus poſt Cœnam Euchariſtiam inſtituit, eamque diſtribuit Apoſtolis non ieiunis, unde colligitur ieiunium pro ſacra Euchariſtia ſumenda non eſſe de iure divino, ideſt non divini præcepti, ſed Apoſtolicæ valde laudabilis traditionis, & eccleſiaſtici præcepti cum exigat excellentia tanti Sacramenti, ut maiori qua fieri poteſt reverentia percipiatur. Huiuſce traditionis teſtes habemus Tertullianum in lib. *de corona militis*, *ubi ait ſumi Euchariſtiæ Sacramentum antelucanis cœtibus*: & lib. 2. ad *Uxorem* cap. 5. *Ante omnem cibum*. S. Cyprianum ep. 63. ad Cæcilium, S. Baſilium lib. 1. *de ieiunio*, aliique pariter de hac traditione teſtantes. Nec huiuſcemodi traditionem repugnare exemplo Chriſti Domini demonſtrat inter alios S. Aug. ep. 118. num. 54. ad Ianuarium. *Neque enim quia poſt cibum dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum percipiendum convenire debent, aut ſicut faciebant quoi Apoſtolus arguit, & emendat menſis ſuis ita immiſcere*. Hoc enim fecit Dominus, quia ut explicat D. Cyprianus ep. cit. *ad Cæcilium* Chriſtum offerre oportebat circa veſperam diei, ut hora ipſa Sacrificii (veteris Teſtamenti) oſtenderet occaſum. Quidam tamen Æegyptii diſſidentes ab univerſali conſuetudine ieiunii ante ſacram Synaxim, ut habetur ex Sozomeno lib. 7. *Hiſt. Eccleſ.* cap. 19. *Solebant die Sabbati ſub Veſperam convenire ad ſacra percipienda iam pranſi*. Alii vero licet aliis diebus ieiuni communicarent, feria tamen 5. maioris hebdomadæ in memoriam ultimæ Cœnæ Domini id faciebant cœnati; & hic mos tempore D. Aug. perſeverabat in aliquibus Eccleſiis Africæ, ut habetur ex cit. ep. *ad Ianuarium*, & hoc refert etiam Card. Bona lib. 2. *Rerum Ritburgicarum* num. 13. Et hæc conſuetudo invaluit etiam in aliquibus Eccleſiis Galliæ, ut colligitur ex can. 9. Synodi 2. Matiſconenſis. Quamvis tamen Eccleſia toleraverit olim in illis aliquibus Eccleſiis, ubi mos erat feria 5. maioris hebdomadæ anniverſaria Cæna Domini ſumere ſacram Euchariſtiam poſt cibum, & potum, ideſt a non ieiunis; reprobarunt tamen hunc morem Concil. Trullanum Can. 39, & Carthag. 3. Can. 5. Toletanum 7. Statuerunt enim, ut iuxta morem ab Apoſtolis receptum, ieiunium pro ſacra Euchariſtia ſumenda ſervaretur, & hanc legem confirmavit Concil. Conſtantienſe contra Ioannem Huſſ, qui contrarium ſentiebat, ſeſſ. 13. ac decrevit, ut ſecundum antiquam Eccleſiæ conſuetudinem Euchariſtia nonniſi a ieiuniis ſumeretur, ſolo infirmitatis, aut alterius neceſſitatis ab Eccleſia approbatæ caſu excepto.

Hoc autem ieiunium, de quo hic agitur, debet eſſe illud, quod ad differentiam ieiunii eccleſiaſtici (quod parva materia non frangitur) dicitur *naturale*, quod violatur a quacumque etiam exigua materia, quæ per modum cibi, vel potus, vel etiam medicinæ ſumatur, eo quod hoc ieiunium conſiſtat in omnimoda abſtinentia cibi, potus, ac medicinæ ſumptæ etiam ſalutis cauſſa, quia talis eſt vetuſtiſſima Eccleſiæ praxis iuxta can. 2. Concil. Toletani, ubi præcipitur *ne celebretur Miſſa, aut percipiatur communio poſt cibum potumque quemlibet etiam minimum*. Et hoc idem habetur cap. *Nihil contra* cauſſa 7. quæſt. 1. num. 16. A media igitur nocte deſignata per primum horologii pulſum ratio huius ieiunii exigit, ut nihil in ſtomachum traiiciatur per modum cibi, potus, aut pharmaci in quavis modica quantitate, ſive nutriat, ſive non nutriat, ut medicina, quæ cum cæteroquin non ſolverent ieiunium eccleſiaſticum, frangunt naturale. Si vero per modum ſalivæ, aut reſpirationis in ſtomachum decidunt, ut ſanguis, pituita ex cerebro, reliquiæ vini, & aquæ, quibus abluitur, vel cibi in ore ex comeſtione facta ante mediam noctem remanentes, floccus nivis, vel culex, ſaliva poſt deguſtatum ſaporem alicuius condimenti, ſi ſtatim expuatur, item pulvis, aut fumigium tabaci, non nocent ieiunio naturali licet tamen adeo indecorum ſit, uſus tabaci, præcipue fumigium, & maſticatio, ut Synodus Limana interdixerit Sacerdotibus ſub mortali, ne ante ſacrum mandent, vel fumigium glutient; & Synodus 3. Mexicana idem præceperit omnibus etiam ad communionem acceſſuris. Violaret quidem hoc ieiunium ſaccharus, ſuccus ligoritiæ, & alia huiuſmodi, ſi poſt mediam noctem in ſtomachum decidant, ac ideo communionem impediunt, quia non per modum ſalivæ, & reſpirationis ſumuntur. Quod ieiunium hoc ſervandum ſit cum tanto rigore, ut iuxta ſenſum, & conſuetudinem Eccleſiæ, optimam legum interpretem, non admittatur quælibet levitas materiæ, quæ per modum cibi, potus, & medicinæ ſumatur, ita exigit tum honor, ac reverentia huic venerabili Sacramento debita, ut cæleſtis ille cibus cuicumque alteri cibo potuique terreno præponatur, & ut fideles diſcernere aſſueſcant inter hunc divinum cibum, alioſque communes; tum ſpiritualis ſignificatio, quod Chriſtus debeat eſſe primarius fidelium cibus, & in eorum

cor-

De caſibus in quibus ceſſat obligatio ieiunii pro ſacra Euchariſtia ſumenda.

cordibus primo fundari. Habertus, P. Antoine.

Quia vero hoc præceptum eſt eccleſiaſticum, ſeu mere poſitivum, deſinit obligare in aliquibus caſibus quos, ut patet ex praxi, & uſu univerſali, ſive expreſſe, ſive tacite excipit Eccleſia, quia tunc vel neceſſitas hominis, vel reverentia Sacramenti aliter exigit, & ſunt ii quos communiter exponunt Theologi, videlicet 1. cùm occurrat ſumendum eſſe viaticum in mortis periculo, quando urget divinum præceptum communicandi, cui cedere debet eccleſiaſticum, dum infirmus ſine gravi incommodo non poteſt communicare ieiunus. Nec differendum eſt poſt mediam noctem, ut tunc ſtatim communicetur æger, quia hoc non patitur uſus Eccleſiæ ob nimiam difficultatem, & ob Sacramenti reverentiam, quod eo tempore ſemper deferri nequit debito decore, & comitatu, ac ſecuritate, & multoties morbus ingraveſcens mortem ante mediam noctem minitatur. Non licet tamen Sacerdoti in defectu particularum conſecratarum non ſervato ieiunio celebrare, ut infirmum extremis laborantem communicet, ſicuti nec deficiente azymo in fermentato, vel ſine veſtibus ſacris, aut omiſſo Sacrificii ritu; quia Eccleſiæ conſuetudo ita interpretata eſt divinum ſumendi viatici mandatum, ideſt dandum non eſſe niſi quando dari queat iuxta ritum & ordinem ab Eccleſia præſcriptum pro Euchariſtia conficienda, ac miniſtranda modo, & circumſtantiis convenientibus, & cum ſacra Euchariſtia non ſit ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria, magis conſulendum eſt reverentiæ ei debitæ, & uniformitati ſervandæ in Sacrificii ritu, quam privatæ utilitati alicuius fidelis. Providet autem Eccleſia communi neceſſitati per aſſervationem ſacræ Euchariſtiæ in Eccleſiarum ſacrario; Paſtoribus diſtricte præcipit tam eiuſdem Euchariſtiæ aſſervationem, quam ſollicitam eiuſdem infirmis adminiſtrationem: Caſus enim rarus exigere non debet ut cedat lex generalis, & uniformitas in ritu ſit prætermittenda. Porro ſi ſic liceret conſecrare, ideſt a non ieiuno, & non attentis ſacris ritibus ad ſubveniendum infirmo, ſacra noſtra myſteria gravibus exponerentur iniuriis, qualis ſupponi poſſet, ſi Sacerdos ludo, vel potatione temulentus altare feſtinanter aſcenderet. 2. hoc præceptum non obligat quando perficiendum ſit Sacrificium, puta cum Sacerdos ob aliquod accidens ei ſuperveniens poſt conſecrationem Sacrificium complere nequeat, tunc deficiente alio Sacerdote ieiuno per Sacerdotem non ieiunum complendum eſt. Itidem ſi poſt ſumptionem calicis deprehendit in calice non fuiſſe niſi aquam, in tali caſu ad perfectionem Sacrificii debet vinum conſecrare, & conſecratum ſumere; vel cum poſt conſecrationem recordatur ſe non eſſe ieiunum, quia præceptum divinum de faciendo Sacrificio integro, & perfecto prævalere debet legi eccleſiaſticæ de Euchariſtia a ieiuno ſumenda. Si autem Sacerdos recordetur ſe non eſſe ieiunum, & eius Miſſa ſit Miſſa ſolemnis, a qua recedere non poſſit ſine gravi ſcandalo eam continuare debet; ſed ſi Miſſa ſit privata, dummodo in hoc quoque ob concurſum populi non ſequatur grave ſcandalum, recedere tenetur. 3. Quando poſt ablutionem relictæ ſunt aliquæ reliquiæ in hac Miſſa conſecratæ (quod intelligendum eſt etiam de formulis integris, ubi ſervari non poſſunt in pixide, & ſacrario) ſumendæ ſunt, quia ad idem pertinent Sacrificium, & ſumuntur per modum unius refectionis. Unde aliter dicendum de particulis in alia Miſſa conſecratis, quæ ſunt in pixide, ut illa expurgetur. 4. Si periculum ſit quod ſacra Euchariſtia incidat in manus infidelium, ſeu hæreticorum, & quod ab ipſis profanetur; lex enim divina iubet, ut impediantur ſacrilegia, quæ impediri poſſunt; & quod in Euchariſtiæ honorem, & reverentiam ſancitum eſt, non debet eſſe occaſio ut non impediatur eius irreverentia, profanatio, & contemptus.

Nota quod poſt cibum ante mediam noctem ſumptum non requiritur ſomnus, aut cibi digeſtio ad communicandum, cum hoc nulla conſuetudo, vel lex præſcribat, ſed ſolummodo quod poſt mediam noctem nihil ſumptum ſit per modum cibi, potus, vel medicinæ, vel quid aliud, ut dicebam, ſive res ſumpta ſit nutritiva, vel non nutritiva, cum velint aliqui lapillum quoque, globulum plumbi, vel ligni fruſtum, licet a ſtomacho alterari, vel digeri nequeant, impedire communionem: alii tamen de hiſce rebus probabilius contrarium ſentiunt, eo quod nullatenus rationem habeant cibi, potus, vel medicinæ.

De habitu ac externa compoſitione quibus accedendum ad ſacram communionem.

Quoad habitum vero, & externam corporis modeſtam decentemque compoſitionem, talis certe requiritur in fidelibus, ut omnem reverentiam, honeſtatemque præſeferat, ac internam animæ reverentiam, & devotionem exhibeat. Debetur enim huic Sacramento non ſolum internus, ſed externus venerationis ſummæ, & adorationis cultus, cum Chriſtus ſub ſenſibilibus ſpeciebus modo quodam ſenſibili in eo extet, & tractetur; unde illicitum eſt communicare etiam quando periculum ſit vomitus ob dictam reverentiam, quæ huic

huic Sacramento debetur. Licet vero ſordes corporis, ut docet Lugo, ſecundum ſe communionem non vetent, ſeu impediant ſaltem in occulto, eo quod hoc Sacramentum non ſit cibus corporis, ſed animæ, quam quidem exquirit mundam ab omni culpabili ſorde & inquinamento; nihilominus ſumma reverentia, quæ debita eſt huic tam excellenti myſterio, expoſcit, quod ſi corporis ſordes facile tolli poſſint, auferantur, & etiam ſi brevi ceſſabunt, & poſſit differri Communio ſine incommodo, ſeu ſpirituali gravi diſpendio; aliquando ſemel, & iterum differatur. Quod ſi longius ſint perduraturæ, vel ſint prorſus occultæ, minime fructu huius cœleſtis alimoniæ quemquam privare debent. Habemus a veteribus Scriptoribus, & inter recentiores a Patre Mabillonio præfat. 1. in ſæcul. 4. Benedictino, quod antecedenti nocte ad ſacram Communionem primi Chriſtiani mundabant ſe in balneis; & S. Wilfridium purgaſſe ſuas ſordes aqua luſtrali. De habitu vero ſi fieri poſſit, non ſit ſordidus, cum ex hiſtoria Lauſiaca Palladii ad collat. 23. Caſſiani pag. 850. habeamus quod antiqui Monachi Tabenenſes, dum accedebant ad ſacram Euchariſtiam, deponebant pellem ovinam, quam pro pallio deferebant. Sed ſi non decens eſt accedere cum ſordido, & nimis vili habitu ad ſacram communionem, quod iam ut plurimum poteſt contigere ob nimiam paupertatem, multo tamen magis indecens eſt accedere ad Sacramentum tam venerabile & ſanctum cum ſtudioſo & affectato veſtium corporiſque ornamento, quod deteſtabile præfefert faſtum, & vanitatem prorſus repugnantem actioni, quæ ſingularem exigit humilitatem ac modeſtiam & corporis, & veſtium. Et in hoc propoſito nihil aliud hic adducam niſi inſtructionem quam S. Carolus Mediolan. inſignis zelantiſſimuſque Præſul, ut habetur in Actibus eiuſdem Eccleſiæ, tradidit ſuæ Diœceſis animarum Paſtoribus, ut ſcirent, qua decentia ſeu externa compoſitione curare debeant, ut eorum populi, & præcipue mulieres ad ſacram Synaxim accedant. Quod ad corporis habitum pertinet, Parochus fideles ſuæ curæ commiſſos moneat, ſatagatque, ut ſumma reverentia omnique humilitate ad ſacram communionem accedant, & ſumant oculis non vagis, ſed in Chriſti corpus pie coniectis, barbæ pilis circa os bene præciſis, ore ſupra pannum linneum ſuppoſitum modeſte porrecto, capite non demiſſo, lingua paululum labrum inferius intus attingente, non tamen extra os prominente, in qua particulam ſuſcipiant, neque linguam ipſam retrahant priuſquam Presbyter manum removerit, tum vero caput humiliter demittant. Ita etiam, ut a ſuſpiriis abſtineant, quibus particulæ excuti poſſint, manibus pectori admotis inſtar crucis ex veteri fidelium diſciplina, aut ſupplicibus iiſdem nudis pallio quantum fieri poterit adhibito; non birretis pileiſve pluma inaniter ornatis, armis depoſitis, toto denique corporis habitu decenti & humili, modeſto & non ſordido. Mulieres non ſumptuoſis, non caudatis veſtibus, non crinibus inaniter intortis non fuco, & pigmentis vultu illito, non pectore nudo, aut velo tenui obtectu, ſed ita veſtitæ, ut ne præter faciem quidquam nudum cernatur, velo denſo bene ſuperfaciem demiſſo, omnes autem genibus flexis, non pectore, brachiſve ſcabello innixis. Nihil præterea dabunt, omni modeſtia ſurgant, & a menſa diſcedant. Ita S. Carolus in Inſtructionibus.

§. XXXVI.

De iis quæ præſtanda ſunt in ipſa communione, & poſt communionem.

Circa hoc docet quid faciendum ſit ipſe laudatus S. Carolus in ſupradictis inſtructionibus ad Parochos. Admonet enim S. Præſul ut in communione ipſa, & ſtatim poſt curent fideles quo magis fieri poſſit, dum percepturi ſunt ſacram communionem, excitare in propriis animis ferventem affectum ſanctumque, qui in ſacra communione requiritur, & ad hunc excitandum paſſionem Chriſti Domini religioſe meditentur; Vulnera enim Chriſti ſunt fons vivus, ac fervens, ex quo facilius divini amoris ardor hauriri poteſt. Item recordentur ac conſiderent eximium ac ſingulare beneficium, quod Deus eis elargitur in pretioſiſſimo ſacræ communionis dono, dum per eam Chriſtum realiter ſuſcipiunt, totam ſcilicet eius Humanitatem cum Divinitate. Conſiderent inſignem Dei dignationem, & charitatem in elargiendo tanto munere, quo nihil melius nec ſcit, nec habet, nec poteſt dare, dum totum ſeipſum donat, ſuamque divinitatem; & tanto maior eſt eius dignatio ac amor, quod communicantibus ſeipſum præbet in cibum, ut iam vidimus ad eorum animos alendos, nutriendos, augendos conſervandoſque in ſpirituali vita gratiæ, ac intime ſibi ipſos iungendos, & ſeipſum illis. Inſuper excitabunt fiduciam propriam & ſpem, cum in Chriſto Domino quem in ſacra particula ſuſcipiunt, contineatur quidquid boni deſi-

deſiderare, ac ſperare poſſint; & tanto maius ſuæ fiduciæ fundamentum habent, quanto grandis eſt ipſius omnipotentia, benignitas & ſapientia, quæ infinitæ ſunt, qui & poteſt omnia nobis donare, quæ conferre poſſint ad æternam noſtram ſalutem, & vult; imo amat etiam hæc nobis donare, & videt quid nobis expediat, ut ad hunc finem perveniamus. Gratum pariter eſt Chriſto Domino, ut in tali actione fidem noſtram exerceamus circa eius myſteria, & præcipue circa realem eius præſentiam in hoc Sacramento: idcirco eliciendi ſunt etiam actus fidei, mente humiliter omnia myſteria divini huius Sacramenti firmiter confitendo. Item toto corde, & intima pietate animi agendæ ſunt Deo gratiæ de tanto eius beneficio, infinitaque charitate, qua erga populum Chriſtianum uſus eſt.

Addit inſuper S. Præſul, ut Paſtores moneant fideles communicantes, ne tam cito poſt communionem ab Eccleſia diſcedant, ſed quieto & in remoto loco permaneant quantum fieri poteſt in oratione, gratiarum actione, Chriſtum Dominum deprecantes, ut in eorum cordibus perſeveret cum ſua gratia, qua dimicare valeant contra hoſtiles inſidias, & culpas fugiendo, perpetuo ſanctificationem ſervent, ac teneant, quam in ſacra abſolutione & communione receperunt, ut unionem cum ipſo in cœleſti patria, quam ſignificat & promittit hoc Sacramentum, conſequantur. Admonet pariter, ne communicans ſive laicus, ſive Sacerdos, ſaltem per choræ quadrantem expuat, & ſi fiat ut non poſſit ſe continere, id ſaltem faciat in loco a pedibus conculcantium remoto, ſeu potius in ſudariolo mundo. Item ne tam cito cibum ſumat, ſed poſt dimidiam horam, vel ſaltem horæ quadrantem. Item ut ea die præcipue refrænet cogitationes, ſenſus omnes, & linguam, abſtineat a verbis otioſis & ſcurrilibus, a mundanis converſationibus, aliiſque mundi illecebris, licet non per ſe malis, a ludis, a cogitationibus ſæculi inutilibus, & vanis, ſicuti monet etiam D. Chryſoſt. homil. 27. in ep. 1. ad Corinth. ne mens a ſanctis cogitationibus, a ſpirituali quiete diſtrahatur, ab oratione, a frequentia divinorum officiorum Eccleſiæ, aliiſque chriſtianæ pietatis operibus, in quibus intentus eſſe debet, & occupatus, ut devote aſſiſtat, ac inſerviat Chriſto hoſpiti. Quare cavere debet pariter a ſæcularibus negotiis; & ſi ob conditionem ſui ſtatus omnino non poſſit, curet tamen a ſanctæ communionis ſumptæ meditatione, & ab intima ſui cuſtodia non alienari; Et ſimilia habet in ſuis Paſtoralibus inſtructionibus S. Carolus.

Diebus itidem ſanctæ communionis charitas, ac beneficentia in pauperes copioſius eſt exercenda, & cum Chriſtus corpore ſuo nos cibaverit, nos pariter noſtro pane, aliiſve cibis terrenis quos dat nobis Deus, ipſum in membris ſuis eſurientem paſcere debemus; S. enim Chryſoſtomus graviter increpavit Chriſtianos immiſericordes etiam poſt communionem, ut in ſua hom. 27. in epiſt. 1. ad Corinth.

CAPUT II.

De Euchariſtia prout eſt Sacrificium.

Cum Euchariſtiæ myſterium duplicem in ſe contineat rationem, Sacramenti ſcilicet, & Sacrificii, utpote quod inſtitutum ſit a Chriſto Domino non ſolum ut Sacramentum, ſed etiam ut Sacrificium novæ legis, prius Deo offerendum quam a fidelibus ſumendum; hiſce perſolutis quæ ad Sacram Euchariſtiam pertinent ut eſt Sacramentum, nunc operæ pretium eſt, ut ſtudia noſtra denuo circa ipſam verſentur in iis diſcutiendis quæ illam reſpiciunt quatenus eſt Sacrificium, quod explicatur nomine Miſſæ a verbo *mitto* deſumpto; quia ut vult Ang. Doct. r quæſt. 83. art. 4. ad 9. per angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, ſive populus per Sacerdotem, ſive quia Chriſtus eſt hoſtia a Deo nobis miſſa, unde & in fine Miſſæ Diaconus in feſtivis diebus populum dimittit dicens: *Ite, Miſſa eſt*, ſcilicet *hoſtia ad Deum per angelum miſſa eſt, nempe ſit Deo accepta*; ſive quia peracto Sacrificio populus dimittitur. Quare fit ut prior Miſſæ pars, quæ eſt ab Introitu ad Offertorium dicatur Miſſa Cathecumenorum, quia hac parte abſoluta olim cathecumeni, & pœnitentes mittebantur foras; reliqua vero pars Miſſæ appellabatur Miſſa fidelium, quia ad eam remanebant qui iam per baptiſmum, vel pœnitentiam mundati erant, qua completa ad Diaconi intonationem *Ite Miſſa eſt*, diſcedebant. Excipiebantur tamen dies Quadrageſimæ aliæque feriæ, præcipue quando celebrabatur ieiunium, nam tunc Sacrificium offerebat Eccleſia, & ſtatim poſt Sacrificium celebrabatur officium veſpertinum, ad quod Diaconus invitabat fideles ut remanerent dicendo loco *Ite Miſſa eſt*, *Benedicamus Domino*: Circa vero nomine *Miſſa*,

Digitized by Google

ac eius antiquitatem, licet hoc nomen præciſe non habeatur in Scripturis, ut obmurmurant Novatores, habemus tamen in iis id, quod in Miſſa continetur.

§. I.

De Sacrificio generatim.

Triplex acceptio nominis Sacrificii. Sacrificii nomen tripliciter accipi poteſt, & ſolet, nempe 1. latiſſime pro omni actione, quæ ordinata ſit, & cedat in Dei gloriam, ut erogatio eleemoſynæ, orationes, laudes datæ Deo per ſacram pſalmodiam, &c. ut pſalmo 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Et S. Aug. lib. 10. *de Civit. Dei* cap. 9. ait: *Verum ſacrificium eſt omne opus quod agimus, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni quo veraciter beati eſſe poſſumus*. 2. minus late ſumitur, & ſunt oblationes quæ fiunt ad uſum ſeu templi, ſeu ipſius miniſtrorum, & in hac ſignificatione nonnunquam Sacrificia dicuntur primitiæ, & decimæ in templo oblatæ. 3. Stricte tandem, & proprie ſumitur Sacrificium, quando hoc vocabulum uſurpatur ad denotandam oblationem ſoli Deo factam cum deſtructione, ſeu immutatione victimæ, & in hoc ſenſu hic agitur de Sacrificio.

Unde hallucinantur & Melancton, qui in Apol. Confeſſ. art. *de Miſſa* definit Sacrificium *cæremoniam vel opus quod nos Deo reddimus, ut eum honore efficiamus*; & Calvinus generaliter definiens, quidquid omnino Deo offertur, eſſe Sacrificium, cum hæc, ut dixi ſupra, non ſint Sacrificia, niſi latiſſime, vel minus late & ſemper improprie. Sacrificium ſtricte ſeu proprie ſumptum, quod Theologi omnes agnoſcunt, & fatentur, eſt præſtantiſſimum opus Religionis, quo in res omnes ſupremum Dei dominium, noſtramque teſtamur, ac recognoſcimus ipſi ſubiectionem & dependentiam, & definitur Definitio Sacrificii *oblatio rei ſenſibilis cum eius deſtructione, vel immutatione ſoli Deo facta per legitimum miniſtrum ad recognoſcendum ſupremum eius dominium in omnes creaturas, ritu myſtico conſecrata*.

Dicitur 1. *oblatio*, quæ vox locum habet generis, in quo Sacrificium convenit cum aliis oblationibus primitiarum, decimarum, ac bonorum operum, quæ ad Deum referuntur. Differt a Sacramentis, quæ ut talia ordinantur ad hominum ſanctificationem. Euchariſtia tamen, quæ eſt etiam Sacrificium ſub hac ratione offertur ad Deum colendum: in Sacramentis enim Deus gratiam ſuam nobis confert, & nos in Sacrificio ſupremum cultum Deo tribuimus. Dicitur 2. *rei ſenſibilis*, ſeu externæ, *ſicut hominum natura exigit*, ait Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. quia homines per Sacrificia in unius eiuſdemque religionis cultum coadunantur: Homines enim non communicant inter ſe, niſi ſignis ſenſibilibus manifeſtent quod intus in animo gerunt; unde Sacrificium proprie dictum prout eſt rei ſenſibilis, differt, ac diſtinguitur a Sacrificio cordis contriti & interiorum animi affectum, quibus Deo inhæret, ac ei ſeipſum offert, ſuaque omnia, quæ non ſunt proprie Sacrificium, tametſi perfectiori modo præſtent, fructum Sacrificii, quam externa oblatio. Dicitur 3. *cum eius deſtructione*, & in hoc diſtinguitur a ſimplici oblatione, in qua res oblata non eſt neceſſario deſtruenda. Additur *vel immutatione*, quia ad rationem Sacrificii ſatis etiam eſſe poteſt, ſi in victima fiat aliqua immutatio etiam myſtica tantum, cum ſemper neceſſaria non ſit phyſica ac realis rei conſumptio, ut conſtat ex ſacrificio Capri emiſſarii qui non mactabatur, ſed velut exul eiiciebatur in deſertum, Levitici 16. Aliqua certe licet myſtica rei immutatio, quando non ſit phyſica & vera eius deſtructio aut abſumptione ignis, aut diviſione partium, aut liquidorum effuſione, aut rerum oblatarum conſumatione, requiritur ad Sacrificium, ut in hac phyſica, vel myſtica rei conſumptione, vel immutatione ſignificetur, & reſplendeat ſupremum Dei dominium ſuper omnia, quod iuxta ordinem cultus latriæ, quem ex natura ſua habet Sacrificium eſt ad Deum honorandum, ita ut ſine tali immutatione non haberetur Sacrificium, ſed pura oblatio, in quibus nulla intervenit rei deſtructio, vel immutatio. Dicitur 4. *ſoli Deo facta*; quia cum oblatio Sacrificii proprie dicti ſit actus latriæ, ad nullum alium dirigi non poteſt, niſi ad ſolum Deum, cui talis cultus debetur; *quis enim ſacrificandum eſſe cenſuit* (ait D. Aug. lib. 29. *de Civit. Dei cap.* 19.) *quam Deo, aut ſcivit, aut putavit, aut finxit .... ſed nec ob aliud fallaces* (ſpiritus) *ſuperbiæ ſi hoc exigunt, niſi quia vero Deo deberi ſciunt*. Et lib. 20. contra Fauſtum Manichæum: *Quamvis in memoriis Martyrum conſtituamus altaria, quis in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule .... ſed quod offertur, offertur Deo, qui coronavit Martyres*. Dicitur 5. *per legitimum eius miniſtrum*, non per qualemcumque hominem, quia cum Sacrificium ſit actio pu- Sacrificium nonniſi per legitimum miniſtrum offerendum.

publica, & in Religione excellentiſſima, exigit perſonas ſpecialiter deſignatas. Et hoc inditum videtur ab ipſo naturali lumine, cum pagani ipſi ſuos habuerint Sacerdotes, & in lege naturæ ad patres familias ſpectabat, & eorum primogenitos ſecundum communiorem, qui erant in ſua familia veluti principes, ut Noe, Abraam, Iob, aliique qui ſacrificia obtulere. Imo Cain quoque & Abel obtulerunt ſacrificia, quia etſi fratres, cum eſſent principia diſtinctarum familiarum, uterque rei propriæ conſulebat; alias locum non habuiſſet invidia, qua Cain in fratrem exarſit. In lege vero ſcripta ſtatuit Deus, quod nemo niſi deſcendens de Aaronica ſtirpe auderet altare ad ſacrificandum aſcendere, ideo pœnam luere debuit Ozias rex, qui cum non eſſet Sacerdos ſe offerre attentaverit, lib. 2. Paralipom. cap. 26. & Saul ob culpam eamdem rejectus eſt a Deo, & regno orbatus. In lege vero Evangelica voluit, ut ii ſolum, qui ab Epiſcopis ſacra ordinatione ſingulari ritu eſſent initiati, manum mitterent in altaris ſacrificijs.

Sacerdotes in Sacrificio legis novæ ſunt miniſtri Chriſti Domini, qui in Sacrificio Miſſæ eſt principalis offerens, qui cum ſemper ſit vivens ad interpellandum pro nobis, manet Sacerdos in æternum ſempiternum habens Sacerdotium Hæbreor. 7. ad differentiam Aaronis, qui cum a morte prohiberetur permanere, habuit ſucceſſores. Verum Chriſtus Dominus ut perpetuus Sacerdos conſtituit ſuos miniſtros, quibus tanquam inſtrumentis in ſacerdotali utitur miniſterio, & hi Sacerdotes licet a Chriſto Domino inſtituti & conſecrati, ſunt etiam miniſtri chriſtiani populi, ut ait Apoſt. Hæbreor. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia.* Quia cum quilibet fidelis teneatur profiteri Deo externo Sacrificio ſuam ſervitutem; & conſtitutum ſit a Deo tum in lege Moſayca, tum in lege Evangelica, ut nonniſi initiati Sacerdotio per conſecrationem hoc peragere valeant; ideo hiſce neceſſe eſt ut utatur populus ad verum Sacrificium Deo offerendum. Quare ipſe Sacerdos ſtans ad altare, ait: *Orate fratres, ut meum ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat*; & converſus ad Deum ſubdit paulo poſt: *Memento Domine .... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*. Item infra: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ*; ex quibus omnibus clare patet, quod Sacerdotes agnoſcunt ſe eſſe Eccleſiæ miniſtros, ac per eorum miniſterium fideles reddere ſpecialia vota & munera ſuæ ſervitutis. Notat enim Innoc. III. lib. 3. cap. 6. *de Miſſæ Sacrificio*, Sacerdotes univerſaliter agere intentione & votis fidelium, quod ſuo miniſterio ſpecialiter agunt. Habertus.

Dicitur 6. *ad recognoſcendum ſupremum Dei Dominium in omnes creaturas*; hic enim eſt finis principalis, & directus Sacrificii, quod principaliter & directe ad Dei cultum ordinatur, ac ideo nonniſi indirecte, ſecundario, & de conſequenti ordinatur ad conſecutionem gratiæ, & ſanctificationem fidelium, quatenus ſcilicet dignitate hoſtiæ, quæ offertur, mitigatur Deus, & pacificatus nobis remittit, ut habetur ex Concil. Trid. ſeſſ. 22. Chriſti oblatione placatur Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit: nam, ſicuti videbimus, Sacrificium proprie ſumptum eſt non ſolum lautreticum, ideſt in Dei honorem, ſed etiam propitiatorium, impetratorium, & ſatisfactorium. Dicitur tandem *ritu myſtico conſecrata*, ideſt quæ aliquo ſacro ritu, & cæremonia myſterium aliquod continente ex profana fiat Sacra, & Deo dicata: id enim ſignificat vox ſacrificare, ideſt ſacrum facere; & in hoc Sacrificium differt a ſimplicibus fidelis populi oblationibus, primitiis, & decimis, quæ quamvis Deo offerantur, id tamen non fit per aliquem ritum myſticum, & cœremoniam.

Sacrificium vero proprie dictum vulgo diſtinguitur, ſeu dividitur vel ratione legis vel ratione materiæ ſeu rei oblatæ, vel ratione formæ ſeu ritus, vel ratione finis. Diviſio Sacrificii proprie dicti. Ratione legis, alia ſunt Sacrificia legis naturæ, qualia oblata fuere ab Abel, Enos, Noe, Abraam, & Melchiſedech; alia legis ſcriptæ, quæ iuxta Dei mandatum, ut habetur in Levitico, obtulerunt Aaron, filii eius, & deſcendentes; aliud Sacrificium legis novæ, de quo acturi ſumus in præſentiarum.

Ratione materiæ, ſeu rerum oblatarum aliud eſt Hoſtia, ſeu victima, aliud immolatio, aliud libamen. Hoſtia dicebatur, quando res oblata erat animata, ſcilicet aliquod animal, & vocabatur etiam victima, quia aliquando offerebatur poſt victoriam de hoſtibus reportatam; unde victima a victoria, hoſtia ab hoſtibus devictis: non omnia tamen, ſed certa ſolummodo animalia offerebantur ſcilicet oves, capræ, hœdi, boves, vituli, columbæ, paſſeres, turtures; nam haſce offerri vetitum non erat a lege. Immola-

molatio erat quando offerebantur inanimata, ideſt quæ anima vitaque carens, ſolida tamen, ut panis ſimilæ, hordei, farris, triticum, manipuli ſpicarum virentium, ſal, thus, & alii fructus, quæ torrebantur igne; frangebantur molla, & ſale conſpergebantur. Hæc Sacerdos levabat in altum, & varie immutabat, in qua immutatione ratio Sacrificii conſiſtebat: nam panis ſcindebatur in fruſta, & ſimila ſartagine, clibano, vel craticula cremebatur, ſal urebatur, thus, ſeu incenſum adolebatur, ſpicarum manipulus torrebatur, & triticum conterebatur. Libamen tandem, quando res oblata erat liquida, ſeu fluida, ut ſanguis, vinum, oleum, aqua. Eadem vero Sacrificia erant in uſu etiam apud Gentiles, & ita æmulabant ex dæmonis ſuggeſtione vera Religionis myſteria.

Ratione vero formæ, ſeu oblationis modi dividitur Sacrificium in holocauſtum, hoſtiam pro peccato, & hoſtiam pacificam. Holocauſtum erat Sacrificium perfectiſſimum, quia in hoc poſtquam Sanguis victimarum fuſus erat per circuitum altaris, illæ adolebantur ſuper altare uſque ad totalem eorum conſumationem, ut nihil prorſus ex iis in uſum humanum remaneret, in ſignum videlicet, & proteſtationem ſupremæ poteſtatis, ac dominii in res omnes, perfectæ ſubiectionis, & dependentiæ creaturæ a Deo. Hoſtia pro peccato illa erat, in qua victimæ partim cremabantur, partim ſervabantur in uſu Sacerdotum, qui in atrio templi ex hiſce veſcebantur, unde dicebantur comedere peccata populi, ideſt victimas, quæ pro peccatis erant oblatæ. Iſtud enim Sacrificium offerri ſolebat non tantum pro peccatis internis, ſed pro quibuſdam etiam externis, v. g. pro peccatis per ignorantiam commiſſis circa cæremonias, ut Levit. 4. & 5. Item pro peccatis furti, periurii, & calumniæ Levit. 6. & 7. Hoſtia tandem pacifica, ſanguine effuſo, partim igne conſumabatur, partim edebatur tum a Sacerdotibus, tum ab iis qui eam obtulerant; & hæc offerri ſolebat in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, vel ad nova impetranda, & tunc differri poterat eius conſumptio in poſtremum diem, non tamen ulterius. Unde ex his patet hoſtiarum, & victimarum Sacrificia fuiſſe cruenta; immolationem autem, & libamen incruenta.

Ratione tandem finis Sacrificium dividitur in lautreticum, euchariſticum, impetratorium, & propitiatorium. Lautreticum eſt, quod ſpecialiter ſpectat ad Dei obſequium, & cultum latriæ, ſeu perfectæ, ac omnimodæ ſervitutis, & dependentiæ ab ipſo ut rerum omnium ſupremo auctore ac domino, ad cuius proteſtationem Sacrificium ſpecialiter offertur, & huiuſce generis erat holocauſtum, in quo, ut vidimus, tota victima conſumabatur, & erat omnium præſtantiſſimum. Euchariſticum eſt, quod offertur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis; impetratorium, pro beneficiis accipiendis, & utrumque eſt illud, quod ut antea iam notavimus, dicebatur hoſtia pacifica. Propitiatorium tandem quod idem eſt ac hoſtia pro peccatis, de qua pariter ſupra, eſt illud quod Deo offertur, ut reddatur nobis propitius, ideſt pro obtinenda remiſſione peccatorum, ac avertendis pœnis, ac ſuppliciis, quæ pro ipſis peccatis debentur.

Hæc Sacrificiorum multitudo, & pluralitas oritur ex quatuor Dei perfectionibus, quæ nos Deo devinciunt, nempe 1. ſuprema eius Maieſtas, ſub cuius Dominio omnia ita ſubiiciuntur, ut ſine quavis iniuria poſſit auferre conceſſa, & optata denegare, quamvis nobis neceſſaria; nam quidquid nos ſumus, totum ipſius eſt, & hoc teſtamur per holocauſtum, in quo ſincero affectu exinanimur tamquam victima igne charitatis totaliter ardens: nam proteſtatur Deus per Iſaiam abhorrere noſtra holocauſta, ſi aliquid pro nobis retineamus, nec prorſus ad illum nos totos referamus: *Ego Dominus . . . . . odio habens rapinam in holocauſto*. 2. Immenſa Dei erga nos bonitas, quæ de nihilo nos eduxit, & in tot pericula nos ſervavit, ac ſervat: item quia ſic dilexit nos, *ut Filium ſuum unigenitum daret*, in quo habemus propitiationem, & quotidie nova beneficia conſequimur; hoc nos grato animo recolentes ſingulis diebus offerimus Sacrificium Euchariſticum, ſeu gratiarum actionis: idcirco in Miſſæ præfatione, quæ Canonem præcedit, Sacerdos populum ita invitat: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*. 3. Eſt iuſtitia infinita, quæ inceſſanter a noſtra læditur ingratitudine. Ex hoc igitur perpetuo dolore cor noſtrum afficitur; ex hoc manifeſtamus verax deſiderium, ut integram reddamus ſatisfactionem, quod Sacrificio propitiatorio explicamus, in quo fatemur nos immeritos vitæ, qua fruimur, ac immolari cum exteriori victima paratos. 4. Perfecta beatitudo qua Deus in perfectiſſima, & infinita plenitudine ſuarum perfectionum infinita potitur felicitate, cuius cum nos participes voluerit, eam nobis propoſuit pro ultimo fine; & huic divinæ perfectio-

Ex quo oritur multiplicitas Sacrificiorum.

Digitized by Google

fectioni reſpondet Sacrificium impetratorium, in quo anxie de tanta felicitate ſoliciti petimus quæcumque valeant nos ducere ad eam aſſequendam. Et licet hoc Sacrificium nobis utile ſit ad bona temporalia poſcenda, non tamen ex hoc noſtræ inſervit carnali cupiditati, ſicuti contingebat apud carnales Hebræos; ſed hoc Sacrificio temporalia petimus, quatenus a Chriſto Domino nobis promerita ſunt, & prout eius providentia velit ea ad noſtram beatitudinem perducere.

Sacrificium neceſſarium in Religione.

Hinc colligitur, neceſſarium eſſe in Religione Sacrificium, ut facile deducitur 1. ex parte Dei, cuius maieſtas & ſupremum dominium, quod habet ſuper nos exigit, ut ſupremo adorationis cultu tum interiori, qui præcipuus eſt, tum exteriori, qui ſignum eſt interioris, hoc recognoſcamus, & proteſtemur, ut ait S. Th. 2. 2. quæſt. 85. art. 1. Imo cum inceſſanter ſuis nos cumulet beneficiis, paratus ad nova ſemper elargienda, nec non peccata contra eum a nobis commiſſa expianda, ſi utrumque humiliter ab eo petamus hinc fit quod Sacrificium ex parte ipſius Dei neceſſarium ſit. Sacrificium neceſſarium eſt etiam ex parte ipſius hominis ob nativam ſuam conditionem, non ſolum quia cum conſtet corpore, & animo, ac in omnibus a Deo dependeat, totus & animo & corpore Deo ſervire debet, & ſuam ſubiectionem in omnibus ipſi teſtari; ſed etiam quia debet ſe gratum exhibere bonitati ipſius Dei ob ingentia, quæ ab eo recipit beneficia, & quia nova indiget identidem ab ipſa impetrare, nec non ſibi eam propitiam reddere, ut ſibi commiſſa peccata condonet, ac poſſit pro his ſatisfacere ſicut debet divinæ iuſtitiæ, quam talibus iniuriis graviter læſit; quæ omnia præſtare nequit, niſi ſeipſum ac res ſenſibiles offerendo. Et quia denique nonniſi ſignis quibuſdam externis ſenſibilibus in unitarem Religionis cum aliis aſſociari poteſt; *in nullum quippe nomen Religionis ſeu verum, ſeu falſum* (ita S. Aug. lib. 19. contra Fauſtum cap. 11.) *coadunari homines poſſunt, niſi aliquorum ſignaculorum aut Sacrmentorum viſibilium conſortio colligentur.*

Hanc Sacrificiorum neceſſitatem agnovit S. Thomas procedere ex ingenita, ſeu naturali hominum inclinatione: *Ex naturali ratione procedit, quod quibuſdam ſenſibilibus rebus utatur, offerens, eas Deo in ſignum debitæ ſubiectionis & honoris, ſecundum ſimilitudinem eorum, qui dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem Sacrificii; & ideo ratio Sacrificii pertinet ad ius naturale. Quare omni ætate, & ab omnibus gentibus, quibus fuit alicuius Numinis ac Religionis ſenſus, ab ipſa etiam natura inditus, oblata ſemper fuerunt Sacrificia. In qualibet ætate, & apud qualibet hominum Nationes* (ait Doctor Ang. loco cit. 2. 2. *quæſt.* 75. art. 1.) *ſemper fuit aliqua Sacrificiorum oblatio*: Ac *ideo* credit Eſtius, etiam in ſtatu innocentiæ futurum fuiſſe aliquem Sacrificii offerendi uſum inter homines, ut ſatis indicat Concil. Trid. ſeſs. 21. cap. 1. generaliter affirmans hominum naturam exigere externum ac viſibile Sacrificium. Manifeſtum eſt autem præcepta legis naturæ eadem permanſiſſe ante, & poſt peccatum. Eſtius.

Quatuor ſpecies Sacrificiorum ſupra recenſit & eminentiori modo, & virtualiter habet catholica Eccleſia, ſeu chriſtiana Religio in ſuo unico ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, quod ob illos quatuor expoſitos fines quotidie offert. Nam hoc eſt ſimul lautreticum ac holocauſtum ſeu honorarium, in quantum offertur Deo in agnitionem ſupremi eius Dominii; & Euchariſticum quatenus fit in gratiarum actionem pro beneficiis nobis a Deo collatis. Propitiatorium quatenus offertur, & valet ad obtinendam remiſſionem peccatorum, necnon pœnæ pro eis debitæ; & impetratorium, prout fit, & prodeſt ad beneficia Deo impetranda.

§. II.

De iis quæ ſpectantur in Sacrificio.

In Sacrificio duo ſpectanda ſunt, id quod ſignificat tantum, & id, quod in Sacrificio ſignificatur. Quod ſignificat tantum, eſt exterior oblatio rei ſenſibilis, *quæ* ex S. Aug. lib. 10. *de Civit. Dei* cap. 5. *dicitur Sacrificium .... viſibile indiviſibilis Sacrificii Sacramentum; ideſt ſacrum ſignum*; ac ideo Sacrificium non ſecus ac Sacramentum eſt in genere ſigni. Diverſa tamen ſunt illa ſigna, quia diverſa ſignificant. Quod in Sacramento ſignificatur eſt gratia ſanctificans; quod vero in Sacrificio ſignificatur, & quod vocari poteſt res Sacrificii, eſt cor contritum, charitas qua Deus ſuper omnia, ideſt plus omnibus diligitur, ut ait S. Aug. ep. 120. & in pſalm. 87. *Pietas*, inquit, *cultus Dei, nec colitur niſi amando, hoc enim colitur quod diligitur; quia Deus rebus omnibus maior, & melior invenitur, plus omnibus diligendus eſt ut colatur. Hic eſt Dei cultus*, ait lib. 10. *de Civit. Dei* cap. 4. *hæc vera Religio*,

ligio, hæc vera pietas, hæc tantum ſervitus Deo debita.

Ex his igitur ſequitur, Sacrificium externum ſine interiori ſignum eſſe falſum, quia ſignificat quod non eſt, nempe cor contritum & humiliatum Deo totaliter deditum, & ex amore ſerviens, cum tamen in ſuperbis, & peccatoribus longe ſit a Deo. Sacrificium, & Sacramentum licet in ratione ſigni utrumque ſignum ſit, in hoc tamen differunt, quod Sacramentum ſit ſignum, quo Deus gratiam ſe conferre ſignificat iis qui obicem non ponunt, ac proinde ſemper verum & infallibile; Deus enim verax eſt, nec falli poteſt, nec fallere. Sacrificium vero eſt ſignum quo homo exterius ſignificat, ac profitetur ſe totum mancipare illius ſervituti, in quo falſitas, & mendacium eſſe poteſt, cum omnis homo mendax ſit, & ita contingit in omnibus peccatoribus, qui propriis inſerviunt cupiditatibus, non autem Deo; & ſic eorum Sacrificia præſeferunt quamdam deriſionis ſpeciem; ideo ſequitur, merito Deum reieciſſe carnalia Iudæorum Sacrificia, tametſi ab ipſo inſtituta, & præcepta, ut ipſi ingrata & abominabilia: *Incenſum abominatio eſt mihi . . . . Sabbatum, & ſolemnitatès alias non feram*, ſic habetur Iſaiæ c. Dixi *Sacrificia carnalia Iudæorum*; nam Sacrificium Chriſtianorum etiam carnalium per ſe, & ratione principalis offerentis, nempe Chriſti Domini, ſemper eſt acceptabile, & ſemper eſt verum. Chriſtus enim ſub ſignis externis panis, & vini vere, & ex charitate eximia ſe totum offert: ſed peccatores illud exterius offerentes imitantur ludum, quo milites illudebant Dominum in paſſione, Matthæi 27. neſciunt revera quid faciunt, ac ideo minus ſunt rei, & e contra magis rei ſunt paſtores, quorum negligentia tanta in populis ignorantia graſſatur. Habertus.

In vera Religione debet eſſe Sacrificium proprie dictum.

Quamvis ratio naturalis dictet, ut iam vidimus, & natura ipſa inclinet hominem iuxta D. Th. ut ei qui eſt ſupra hominem ſubiectionem & honorem exhibeat ſecundum ſuum modum, unde infert S. Doct. ex ipſa naturali ratione, & inclinatione procedere, quod homo ſenſibilibus quibuſdam rebus utatur *offerens eas Deo in ſignum debitæ ſubiectionis, & honoris*; & hoc ad rationem Sacrificii pertinere, ac proinde rationem Sacrificii eſſe de iure ipſo naturæ: Nihilominus ex hæreticis quicumque negarunt realem Chriſti præſentiam in ſacra Euchariſtia, ut Petrobuſſiani, Albigenſes, Zuingliani, & Calviniſtæ, negarunt quoque Sacrificium in Eccleſia catholica. Eis autem, qui agnoſcunt, & ſatentur Corpus & ſanguinem Chriſti realiter contineri in Euchariſtia, ut Lutheri aſſeclæ, difficile viſum fuit non admittere verum Sacrificium: ſed cum velint, peccatorem iuſtificari per ſolam in Chriſtum fiduciam, ſuis impiis illationibus (quas deducunt, ex quo Chriſtus ſecundum Scripturam factus eſt oblatio & ſanctificatio pro peccatis totius mundi, atque una oblatione conſumavit ſanctificatos omnes) affirmant, iniuriam inferri Paſſioni Chriſti, ſi alia renovetur oblatio; ac ideo negant, aliud Sacrificium præter immolatum in Cruce vim aliquam habere propitiationis, & ita negant Sacrificium incruentum altaris, ſcilicet Miſſam; concludentes, hoc incruentum altaris Sacrificium ſolummodo inſervire ut facta paſſionis Chriſti Domini commemoratione, & fiduciæ excitata, adminiſtretur credentibus ſacræ Euchariſtiæ Sacramentum. Quare in ſubſtantia, & revera, ſi non explicite, implicite tamen negant ii quoque cum aliis hæreticis ante notatis, Miſſam eſſe verum Sacrificium. Quocirca Lutherus in formula Miſſæ omnes Lithurgiæ partes quæ pertinent ad oblationem expunxit, & Calvinus Genevenſes, Zuinglius Helveticos docuerunt, & admonuerunt, ut a nomine oblationis prorſus abſtinerent. Et hæc fuit ratio, unde Lutherus damnaret, ac reiiceret, tamquam monſtruoſos deteſtabileſque abuſus Miſſas privatas, in quibus populus non communicat, ideſt de Sacramento in iis confecto non participat. Igitur antequam expendatur catholicum dogma de ſancto Miſſæ Sacrificio, ut eo magis ipſius veritas eluceſcat, ac vividius aperiatur, quam vanæ ſint, ac futiles Novatorum cavillationes unde contra hoc venerabile Myſterium debacchantur, non incongruum cenſui præmittere, quod huiuſcemodi piurn opus, ſicuti a recto rationis dictamine, ab inclinatione naturæ inditum vidimus; ita etiam ab ipſa ſincera Religionis conditione exigitur. Sit igitur.

Religio quæ vera ac legitima ſit, habere debet verum ſupradictum Sacrificium, quia in Religione, quæ vera ſit, omnia implenda ſunt ac obſervanda, quæ a naturali lege præſcribuntur, ut eſt Sacrificii oblatio, quæ præcipuum locum tenet inter ea, quæ ad naturale ius ſunt pertinentia. Et quod Sacrificium procedat a dictamine rationis ſecundum ipſius naturæ inclinationem iam ſupra

pra demonſtravimus cum S. Thoma*. Inſuper quæcumque ſaltem bene ordinata Reſpublica habet præcipuum exterioris honoris ritum ita ſoli Principi exhibendi, ut nemini alteri ſine crimine læſæ maieſtatis præſtari queat. Unde cum Religio ſit ad hoc inſtituta, ut debitus Deo reddatur cultus, hinc opus eſt ut in quavis Religione reperiatur Sacrificium proprie dictum, quod unice eſt ac habetur,ut verus propriuſque exterioris latriæ cultus & honor. Quare gentes ipſæ verum Deum ignorantes eodem naturali impulſu quo inductæ fuere ut aliquam Religionem ſibi conſtituerent; ſtatuerunt etiam certa Sacrificia cum Miniſtris, ritibus, ac cæteris, quæ actionem hanc ſolemniorem redderent, iis offerendam quos pro Diis colebant, ut notat Eſtius. Verum quidem eſt, hominem per interiorem perfectæ charitatis actum, quo totum ſeipſum, cæteraque ad Deum refert, exhibere Deo ſupremum cultum, qui dicitur latriæ; ſed ſpectato hominis agendi modo, actus charitatis aliarumque virtutum non cenſetur perfectus, niſi per exteriorem actum explicetur. Nemo enim dicitur perfecte miſericors, humilis &c. niſi data occaſione exerceat internum animi affectum, miſerum puta ſublevando, iniurias ſibi illatas ſine querela vel vindictæ ſpiritu ſuſtinendo. Quiſnam ergo non dicam opinari, ſed ne quidem ſuſpicari poterit, quod Chriſtus Dominus, qui legem adimplere venerat, & perficere, non alias ſolvere, ac Religionis inſtitutum indicere, quæ longe præteritis tum naturæ, tum legis ſuperexcelleret, ab ea amoverit quæ ſunt iuris naturalis, videlicet Sacrificium proprie dictum, ut Religio Chriſtiana careat illo religionis cultu, qui unice proprius eſt Dei, ipſique ita convenit, ut ei ſoli debeatur? Et revera qui ita delirant, refelluntur ab Apoſt. qui clare teſtatur habere Chriſtianos altare & hoſtiam, cuius ſunt etiam participes: *Habemus altare*, ait Hæbræorum 13. *de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſerviunt*, ideſt qui Moſaycas adhuc cæremonias ſervant. Altare vero non eſt niſi propter Sacrificium; & 1. Corint. 10. ait: *Nonne qui, edunt hoſtias participes ſunt altaris?* Tempore etiam Apoſtolorum altaria habebantur apud Chriſtianos, ut SS. Patres teſtantur, inter quos S. Cypr. ep. 66. S. Cyrillus Hieroſolym. catech. S. Aug. lib. 10. Confeſ. cap. 11. Inſuper horum altarium vetuſtatem comprobant præcipue antiqua Romæ monumenta, ubi nunc etiam videtur & in cathacumbis altare lapideum, & vetuſtiſſimum, & in Titulo Equitii in quo res ſacra fiebat a S. Sylveſtro, alterum pariter ab eodem Pontifice conſecratum in Vaticana Baſilica Kal. Decebr. ut habetur in antiquioribus mſſ. Archivi Lateranenſis. Item conſtructa fuerunt altaria ſupra Martyrum ſepulchra ut habemus ex S. Aug. ſerm. 313. num. 5. & ſerm. 318. num. 1. Hæc autem altarium monumenta teſtimonia ſunt, & maniſeſtiſſimæ Sacrificii comprobationes, cum non alius fuerit eorum uſus, quam pro Sacrificiis, ut comprobant & ipſi Sacerdotes, qui, ſicuti ad hoc iuxta Chriſti inſtitutionem initiati fuerant, ſoli in iis altaribus offerebant, ut ex Apoſt. ad Hebræos 8. *Omnis pontifex ad offerendum dona, & munera conſtituitur*; hoc enim ſignificat nomen Sacerdos, cum iuxta Iſidorum vocetur Sacerdos a ſacrificando. Confirmant pariter Sacrificii noſtri exiſtentiam perantiquæ Liturgiæ, in quibus conantur Novatores ipſi agnoſcere, & fateri ritum Sacrificii proprie dicti. Luterus enim impie gloriatur in lib. *de abrog. Miſſæ* ſe ſcribere contra omnes SS. Patres. Et Calv. lib. 4. *Inſtitut.* cap. 18. fatetur SS. Patres non ſolum nomen Sacrificii uſurpaſſe, verum etiam ad actionem Sacrificii acceſſiſſe. Sed de hoc melius in ſequenti.

§. III.

De nomine, exiſtentia veri ac proprie dicti Miſſæ Sacrificii.

Sacroſanctum Euchariſtiæ Myſterium quatenus eſt Sacrificium a ſanctis Patribus aliiſque Eccleſiæ Scriptoribus variis nominibus expoſitum invenimus. Aliquando enim, imo paſſim appellatur *Liturgia* nomine deducta a toto illo publico & ſacro miniſterio, in quo perficitur. Nam Liturgia græce ſignificat publicum miniſterium. Dicitur aliquando *Synaxis*, ſeu unio populi fidelis cum Chriſto, cum Synaxis idem ſonet apud latinos, ac collecta, a verbo *congrego*, unde derivata eſt etiam Synagogæ appellatio: Unde aliquando etiam *Collecta* ſeu Congregatio dicitur, quia colliguntur, & in unum congregantur fideles ad Sacrificium peragendum. Nomine autem *Collectæ* ſignificatur etiam Collectio Monaſtica, ut in Regulis SS. Iſidori & Fructuoſi, &c. Item & *oratio*, quæ expleto canonico officio altiori voce nomine omnium adſtantium recitabatur. Plura de Collectis habet Lupus in cap. 43. Tertulliani de *Præſcriptionibus*. Aliquando *oblatio* præcipue a latinis, ut a S. Cypr. ep. 27. Tertull. *de cultu fœminarum*, & frequenter

in

in Capitularibus Caroli Magni, necnon in Ordine Romano, & nomine Oblationis ſignificatur etiam Hoſtia conſecrata, quæ dici ſolet *oblatio formata*: Nam hoſtia quæ offertur, vulgo dicitur oblata a latino verbo *offero*. Aliquando *Communio*, & ita Sacrificium appellant Nazianzenus, & Iſidorus Peluſiota, aliique Patres, uſurpata parte pro toto, quoniam in Miſſæ Sacrificio fit Dominici corporis conſecratio, & participatio. Aliquando *Agenda* ut paſſim occurrit in Antiphonario S. Gregorii, in Concil. Carthag. II. ſub Cæleſtino can 9. Ita enim *Miſſa* appellatur, quia veteres dicere ſolebant *agere Miſſam*, nam Sacrificare Deo eſt actio ſingularis, & præſtantiſſima. Hinc factum fuit actionis nomine præcipue ſignificari canonem Miſſæ, quia Dominicum conficitur corpus, ut ait Walfridus Strabo *de rebus eccleſiaſticis* cap. 22. *Agenda* tamen ſine addito, apud Bedam, aliosve ſignificat Miſſam Defunctorum. Dicitur etiam *Sacrificium Dominicum*, cum in hoc res fiat plane divina, in qua Chriſtus verus Deus & homo Deo Patri offertur. Denique & communius, ac ordinarie dicitur *Miſſa*, nomen quod aliqui Hebraicum credunt, ut Baronius ad annum 34. num. 59. aliique, ſed falſo, quia nec apud Syros, nec apud Græcos legitur nomen Miſſæ, cum cæteroquin alia vocabula retinuerint, quibus uſi ſunt Apoſtoli, ut *Amen*, *Alleluia*, *Hoſanna*. Nonnulli putant nomen Miſſæ eſſe græcum, deductum a vocabulo *initiatio*, *myſterium*, ſive a verbo *doceo*, *inſtituo*, ſed ſine fundamento, cum iuxta obſervationes Eruditorum ſcriptum inveniatur *Myſſa* pro *Miſſa*. Permulti tandem, & eſt communior, volunt vocabulum Miſſæ eſſe latinum, ut Bellarminus, Bona, D. Thomas, Magiſter Sententiarum, aliique, eumdem repetentes a gerundio verbi *mitto*, ideſt a mittendo, quaſi Miſſa idem ſit ac Miſſio. Idcirco ſancto Euchariſtiæ ſacrificio hoc nomen tributum eſt, ſive quia Sacrificium ex donis a populo oblatis, & miſſis fieret, ſive quia per angelum Sacerdos preces, ac hoſtiam Deo mittit, ſicut cum aliis putat Hugo a S. Victore, qui lib. 2. *de Sacramentis* part. 8. cap. 14. ait: *Miſſa dicitur hoſtia & oblatio, quæ per Sacerdotem, qui inter Deum & populum mediator eſt, ad Deum tranſmittitur*. Sed huius derivationis nullum apud veteres extat fundamentum: Unde verior videtur eorum ſententia, qui volunt Miſſam dictam tanquam miſſionem, ſeu dimiſſionem: Sicut enim apud vetuſtiores Patres latinos *remiſſa* interdum poſita legitur pro *remiſſione*, ut apud S. Cyprianum *de bono patientiæ*, & alibi, ita *Miſſam* uſurpaverunt pro *dimiſſione*, qua in fine Miſſæ ideſt peracto Sacrificio populus dimittitur, dicente Diacono: *Ite Miſſa eſt*, qua ſi revertimini ad propria, ut Hugo Victorinus *de eccleſiaſt. officiis* cap. 41.

Uſus vocabuli Miſſæ pro Euchariſtico Sacrificio, non ſolum invenitur in Greg. Magno hom. 8. & 21. in Evangelia, & interdum alibi, in Epiphanio, Scholaſtio, Vigilio Papa in ep. ad Eleutherium cap. 5. in Felice IV. in S. Aug. ſerm. 237. *de Tempore*, in tribus Synodis, Carthag. II. cap. 3. Milevirano, Agathenſi cap. 2. Sed multo etiam ante illos eiuſdem vocabuli meminerunt in ſuis Decretis Fabianus, Soter, Pius, Hyginius Romani Pontifices, qui non multo longe a temporibus Apoſtolorum floruere.

Duplex autem antiquitus erat Miſſa, ideſt duæ in Sacrificio fiebant dimiſſiones. Prior fiebat poſt Evangelium, & Symbolum, & vocabatur Miſſa cathecumenorum, & pœnitentium, qui, cum non eis liceret intereſſe divinis myſteriis, dimittebantur, & huius aperte meminit Concil. Carthag. cap. 24. & Valentinianum can. 1 hanc dimiſſionem denunciabat Diaconus dicens: *Exite cathecumeni, pœnitentes indigni*. Altera Miſſa ideſt altera Miſſæ pars dicebatur Miſſa fidelium, a qua deinde tota Sacrificii actio, *Miſſæ* nomen accepit, ea ratione, qua interdum a parte totum nominatur. Hac autem parte peracta, ideſt completa, ſeu tota actione Sacrificii conſumata populus dimittebatur a Diacono alta voce omnibus intonante: *Ite miſſa eſt*, quaſi diceret dimiſſio eſt, ſcilicet Sacrificium eſt peractum, licet abire. Hac formula dimittendi populum in fine Sacrificii dictis verbis *Ite Miſſa eſt*, diebus, quibus totum Officium cum Miſſa complebatur, ita ut nihil poſt Miſſam recitandum ſupereſſet, ſeu quando oratio non continuabatur, non erat in uſu diebus ieiunii, aliiſque, quibus poſt Miſſam ſequebantur Veſperæ, vel aliæ preces, & ſic loco *Ite Miſſa eſt*, dicebatur *Benedicamus Domino*, quibus verbis Invitabatur populus ad Deum per ſubſequens Officium laudandum. Eſtius. Miſſa igitur, ut ex his facile dignoſci poteſt, more catholicæ Eccleſiæ non ſolum ſignificat ſimplex Sacrificium, ſed totam quoad ſuas partes actionem integram qua Sacrificium peragitur, quatenus nempe cum Canone comprehendit ea pariter, quæ illum præcedunt, & ſequuntur, puta Introitum, Epiſtolam, Evangelia, omniaque tandem alia.

Digitized by Google

alia, quæ ordinata ſunt ad dignam honorificamque tanti Myſterii celebrationem. Eſtius.

Miſſæ Sacrificium dupliciter accipi poteſt.

Obſervandum 1. Miſſæ Sacrificium ſecundum duplicem rationem accipi poſſe; & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum modum. Subſtantia iſtius Sacrificii eſt ipſemet Chriſtus, qui eſt hoſtia in hoc Sacrificio pro nobis Patri oblata. Quare colligitur, Sacrificium altaris ſub hac ratione idem eſſe cum Sacrificio crucis, cum in utroque Chriſtus ſit victima: Unde unum Sacrificium, unus principalis Sacerdos, cuius nomine ut alias diximus, tanquam Miniſtri, & inſtrumenta Sacerdotes Eccleſiæ hoc Sacrificium conficiunt. Per modum vero eſt Sacrificium altaris diverſum a Sacrificio crucis: nam in cruce fuit cruentum, ideſt cum vera & reali ſanguinis effuſione, ſeu ſeparatione a corpore, in altari vero incruentum, ac myſtico quodam modo perficitur, quatenus Chriſtus ſub diſtinctis, & ſeparatis ſpeciebus ad inſtar mortui realiter exiſtit. Ad hoc enim ſpecies ſunt realiter ſeparatæ, ut repræſentetur realis, & cruenta ſeparatio ſanguinis a corpore Chriſti, ſicuti factum fuit in crucis ſacrificio. Hinc ſacrificium altaris, quod fit in Miſſæ celebratione, eſt commemorativum, ſimulque repræſentativum Sacrificii crucis, ac verum, & proprie dictum Sacrificium. Nam commemoratio, & repræſentatio non excludit aut Sacrificii veritatem ac proprietatem, aut realem Chriſti præſentiam, ſicuti falſo autumant Novatores, ſed ſolum excipit modum cruentum, quo Chriſtus ſemel in ara crucis ſe obtulit, & ibi ſemel mortuus eſt, ut non amplius tamen moriatur, imo vera & ſubſtantialis præſentia Chriſti corporis & ſanguinis ſub disiunctis panis ac vini ſpeciebus eſt ratio, principium, ac fundamentum commemorationis, & repræſentationis ſuæ paſſionis, & mortis in hoc Sacramento.

Differentia Sacrificii Altaris, & Sacrificio Crucis.

Obſervandum 2. quod quamvis illa commemoratio ſit motivum, & finis noſtri Sacrificii, in illa tamen non conſiſtit eius ſubſtantia, & eſſentia, ſicuti volunt Novatores, acriter contendentes, totam rationem, & eſſentiam noſtri Sacrificii conſiſtere in mera & ſimplici repræſentatione Sacrificii crucis, ut Sacrificium noſtrum ſit nude ac ſimpliciter commemorativum, & repræſentativum, nec alias verum ac proprie dictum Sacrificium quod apertiſſimus eſt error.

Obſervandum ultimo, quod licet Chriſtus in ara crucis ſolverit etiam ſuperabundanter pretium pro noſtra redemptione, nihilominus noſtrum in altari Sacrificium eſt propitiatorium, quatenus per ipſum fructus pretii a Chriſto pro omnium redemptione ſoluti nobis applicatur, ſeu communicatur. Hiſce præmiſſis ſit.

Sacra Euchariſtia eſt verum, ac proprie dictum legis novæ Sacrificium, quod in Miſſæ actione offertur. Facile hæc veritas patebit, quando ad mentem revocemus quæ diximus de exigentia, quam habet vera Religio, ne ipſi deſit ſuum Sacrificium, utpote quod ſit de iure naturali, ideſt iuxta D. Th. ibi laudatum, procedens a dictamine rationis, & naturali inclinatione. Nam ſi Deus in ipſo mundi exordio dum hominis naturam conderet, inſeruit in eius animo inter alias naturæ leges, & inclinationes, legem quoque ac ſtudium exhibendi ſpecialem reverentiam ſupremo Numini externis oblationibus, ut huiuſmodi cultu, qui unice ipſi Deo convenit, ſemper venerarentur homines ſupremum eius dominium ac maieſtatem: imo ſi in conſtituenda per Moyſem in filiis Iſrael ſuæ ſervituti ac cultui Synagoga, quam Eccleſiæ ſuæ figuram propoſuit, inter alia modo præcipuo illis ordinavit oblationes & Sacrificia, quibus eum honorare deberent; neceſſario credendum ſequitur, Chriſtum Dominum, qui non venit ſolvere legem vel naturæ vel Moyſis, ſed utramque per legem novam vere implere, & implendo tollere quæ imperfecta erant ea ad perfectionem adducendo, ac in meliorem formam traſferendo, ac ita complere quod antea præſignaverat in figuris, ne quid indecenter ac ſuperſtitioſum ſubſtitueretur, non minus novo quam veteri populo proviſum voluiſſe, nempe, ut ſicut in veteri lege, in nova quoque externum Sacrificium haberetur; & ita populus chriſtianus & legi naturæ ſatisfaceret, & Moſaycæ in quantum Sacrificia legis Moſaycæ tranſlata & mutata eſſe intelligantur, vel potius conſummata eo ſacrificio, cuius illa erant ſymbola, & figuræ. Eſtius. Et equidem hoc fecit Chriſtus Dominus in ultima Cœna, in qua celebrato veteri Paſcha, ut novi Teſtamenti auctor veteribus inſtitutis finem imponeret, & novum Paſcha inſtituit, offerens corpus ſuum & ſanguinem Deo Patri, ac ea ſuis diſcipulis ſumenda porrigens; & quod ipſe fecerat; in poſterum in mortis ſuæ memoriam uſque in finem ſæculi ut ab iiſdem diſcipulis, eorumque ſucceſſoribus fieret præcepto: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Nam ſicuti veteri populo præceptum fuit, ut in memoriam liberationis ex captivita-

vitare Ægyptiaca agnum Paſchalem quolibet anno offerret, ita præcepit Chriſtus, ut in memoriam liberationis quam ipſe per ſuam paſſionem, & mortem operatus eſt a iugo inferni, & peccati; id quod ipſe fecit coram diſcipulis in ultima Cœna, deinceps fieret per ſuos diſcipulos, & ſucceſſores in ſuo populo, ideſt in ſua catholica Eccleſia; ac ideo ex analogia, quæ intercedit inter agnum Paſchalem, & ſacram Euchariſtiam, ſatis colligitur, Sacrificium quod Chriſtus Dominus in ſacra Euchariſtia inſtituit, & in Eccleſia offerendum præcepit, non eſſe Sacrificium improprie acceptum, ut non minus impie quam pertinaciter contendunt Novatores, ideſt ſolam commemorationem Dominicæ paſſionis, & mortis ſecundum aliquos, ſive meram ipſius corporis diſtributionem, & communionem ſecundum alios, ſed veram oblationem, quæ veram rationem habet Sacrificii. Et ommiſſis aliis antiquis figuris, quæ in veteri Teſtamento poſitæ fuere in ſignum huius admirandi Sacrificii, ut Sacrificium Melchiſedech, in quo panem & vinum obtulit, aliaque vetera Sacrificia, quæ hoc præfigurabant, & præcipue illud agni Paſchalis, de quo paulo ante, cuius immolatio ſuit præ aliis proprior, ac clarior typus Euchariſticæ immolationis, ut ex eo conſtat quod Apoſtoli corpus Domini in Cœna ſacramentaliter manducarunt, ut habetur ex Teophilato in cap. 28. Matthæi: & Ommiſſis aliis Prophetarum oraculis, quibus multo ante inaugurati ſunt hanc divinam oblationem, quæ congeſta habentur in tot inſignibus Theologis, qui fuſius, & ex profeſſo rem hanc pertractant; ſatis mihi erit ad veritatem hanc comprobandam proferre vaticinium Malachiæ, qui cap. 1. ita loquitur: *Ab ortu Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*. Hoc inter alia elegi teſtimonium, quia ita clare hic vaticinatus eſt Malachias veritatem, ac proprietatem noſtri incruenti Sacrificii, quod quotidie ſuper altaria noſtrarum Eccleſiarum immolatur, & offerrur, ut non ſolum omnes SS. Patres hunc textum de hoc Sacrificio interpretati ſint, inter quos S. Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone, S. Irenæus lib. 4. cap. 17. Chryſoſtomus in pſalm 95 Hieronym. & Theodoretus in Malach. S. Aug. lib. 9. *de Civit. Dei* cap. 23. & alii, imo etiam Rabbini omnes apud Galatinum lib. 11. cap. 9. ſupradicta Malachiæ verba explicarunt de vero Sacrificio ſine victimarum cruore, ac loci coarctatione offerendum. Sic P. Berri.

Et hanc doctrinam de veritate & proprietate noſtri Sacrificii confirmarunt inter celebriora Concilia, Nicænum can. 18. in quo vetat Diaconis, ne deinceps audeant adminiſtrare ſacram Euchariſtiam Sacerdotibus; quod, inquit, nec Regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab iis qui poteſtatem non habent offerendi, Chriſti corpus accipiant. Unde ſuppoſuit Euchariſtia eſſe Sacrificium, & non a Diaconis, ſed a Sacerdotibus oblatum: Epheſinum I. qui in declaratione anathematiſmi 11. *Sanctum*, (ita habet) *ac vivificum, incruentumque in Eccleſiis peragimus Sacrificium*. In hoc ſenſu locutum eſt Concil. Toletanum 12. aliaque, & tandem Trident. definivit Euchariſtiam vere ac proprie dictum eſſe Sacrificium ſeſſ. 22. can. 1. in quo ſic legitur. *Si quis dixerit in Miſſa non offerri verum ac proprie dictum Sacrificium ... anathema ſit*, & ſimilia can. 3. & 4.

Sed dicet fortaſſe quiſquam, non dari allatam analogiam inter agnum veteris Teſtamenti, & Euchariſtiam novi, ut a conſonanti ratione concludi queat, Euchariſtiam eſſe verum Sacrificium in novo Teſtamento, æque ac illius Agni immolatio erat in veteri; quia in agno non minus quam in principio, deinceps pariter vere fiebat mactatio, ſeu agni occiſio. Chriſtus autem olim ſemel mactatus in cruce & occiſus non amplius poſtea occiditur, nec patitur, nec moritur: ac proinde cum ad veram Sacrificii rationem requiratur mactatio ſeu occiſio victimæ, ideſt eius immutatio, non apparet quomodo Euchariſtia poſſit eſſe verum Sacrificium, in quo Chriſtus, qui eſt hoſtia, & victima, non mactatur, ſeu non occiditur, ac ideo non immutatur.

Reſp. quod licet revera Chriſtus in Euchariſtia non mactetur, occidatur, & immutetur, phyſice, & realiter, adhuc ſubſiſtit analogia Euchariſtiæ cum agno; & idcirco non minus quam agni immolatio in Synagoga fuerat verum ſacrificium, ita Euchariſtia eſt in Eccleſia. Nam tametſi non interveniat in Miſſæ ſacrificio phyſica victimæ mactatio & occiſio, fit tamen myſtica, dum calix ſeparatim conſecratur, qua conſecratione vi verborum ſanguis Chriſti ponitur ut a corpore effuſus, quamvis per concomitantiam cum ſanguine adſit etiam corpus, ut alias diximus, & hoc myſtica effuſio ſufficit ad Sacrificium, quod non eſt cruentum, ſed cruentum in ſingulis repræſentat. Et tale fuit Sacrificium, ideſt incruentum

etiam

etiam in ſua inſtitutione in ultima Cœna, in qua Chriſtus potuit ſub vini ſpecie ſuum ſanguinem non phyſice, ſed tantum myſtice a proprio corpore ſeparatum, ut conſtat ex verbis ipſis Chriſti Domini, qui præbendo calicem diſcipulis non locutus eſt de ſanguine effuſo, ideſt phyſice, & realiter a corpore ſegregato, ſed effundendo ſeu ſeparando: ait enim: *Hic calix ſanguinis mei ... qui pro vobis effundetur*, nempe in cruento crucis Sacrificio. Unde, ut alias dictum eſt, habetur in hac myſtica immolatione etiam immutatio victimæ, & conſummatio in ſpecierum aſſumptione, quæ, ut videbimus, ſunt partes integrales huius Sacrificii ineruenti, & complementum. De veritate huius Sacrificii affert nimis planam probationem Apoſt. 1. Corinth. 10. ubi retrahere volens fideles ab idolorum ſacrificiis, & dæmonum ſocietate, ait: *Videte Iſrael ſecundum carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* Et paulo poſt: *ſed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*. Conferens hiſce verbis Apoſtolus menſam Dominicam, ideſt menſam Corporis & Sanguinis Domini (patet enim ex antecedentibus de ea menſa hic loqui D. Paulum) cum altari Iudæorum, & menſa dæmoniorum ſatis manifeſte innuit quid per menſam, & altare intelligat. Et ex hoc conſequitur, Euchariſtiam antequam ſumatur a fidelibus eſſe Sacrificium, quod prius Deo offertur, non ſecus ac fiebat in ipſis Sacrificiis Iudæorum, & Gentilium inanibus divinitatibus. Et in tali ſenſu eum locum iuxta communem Patrum interpretationem intellexit Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. Ita alia pariter Scripturæ teſtimonia loquuntur, ita SS. Patrum traditio ex quibus aperte colligitur; S. Euchariſtiam eſſe verum ac proprie dictum Sacrificium. Quæ teſtimonia brevitatis gratia præterire cenſui, eo quia ex antea allatis, prout attinet ad præſens noſtrum inſtitutum, catholicum dogma ſatis ſuperque comprobetur.

§. IV.

De eo in quo ratio Miſſæ Sacrificii conſiſtat.

Non eſt hic quæſtio, quomodo Euchariſtia, vel eius oblatio, conſecratio, fractio, ſumptio recte Sacrificium vocentur, ſumendo nomen Sacrificii in ſua lata, ſeu generali acceptione; quia cum Sacrificium generaliter ſumptum ſit, iuxta D. Auguſtinum lib. 10. cap. 6. *de Civit. Dei*, omne opus bonum quod agitur ut ſancta ſocietate Deo inhæreamus, manifeſte conſtat dictas actiones, non ſecus ac omne aliud opus bonum quod in Deum referatur, includi in hac generali ratione Sacrificii, cum etiam in Scriptura hoſtiæ, & ſacrificia Deo grata dicantur ſpiritus contribulatus, ut in Pſalm. 50. corpus caſtum & ſpiritui ſubiectum, ut Rom. 12. eleemoſynæ in pauperes, Rom. 15. Philippenſ. 4. &c. Sed hic inquiritur quomodo in Euchariſtia, ſeu in actione aliqua ex ſupradictis, Sacrificium ſecundum ſpecialem Sacrificii acceptionem reperiatur. Nam ſi offeratur Deo Euchariſtia abſque eo quod circa eam nulla intercedat mutatio, ſicuti olim primitiva frugum, aliorumque offerebantur a populo, nec tamen ſtatim conſumebantur, ſed ſervabantur in neceſſarios ſacrorum miniſtrorum uſus, hac ratione Euchariſtia dici poterit oblatio, non tamen verum Sacrificium, non ſecus ac dicta erant meræ oblationes, non vera Sacrificia. Quare cum in veteri Lege ea quæ offerebantur, ſacrificia appellarentur, in quibus ob quoſdam actus, ideſt mactationis, diviſionis, comeſtionis, combuſtionis, qui circa ea verſabantur, aliqua fieret mutatio in recognitionem ſupremi dominii Dei, ac eius Maieſtatis; hinc quia infra celebrationem Miſſæ in qua conficitur ſacræ Euchariſtiæ Sacrificium, variæ occurrunt actiones, ideſt oblatio, conſecratio, fractio, ſumptio, non levis difficultas verſatur inter Scholas catholicas in aſſignando, in quanam ex hiſce actionibus ſita ſit ratio ſeu eſſentia Sacrificii. Nulla hic fit mentio illius partis Liturgiæ, ex qua etiam conſtat integra actio Miſſæ, quæ inſtituta eſt ab Eccleſia; quia cum Sacrificium Miſſæ ſit divinitus inſtitutum, eius eſſentia reponi nequit niſi in iis quæ ſunt inſtitutionis divinæ, & neutiquam in iis quæ ſunt inſtitutionis humanæ, qualis eſt Miſſa catechumenorum, ideſt ab Introitu uſque ad finem Evangelii. Ad clariorem ergo rei dilucidationem ſingula expendemus, ut facilius deprehendatur quidnam ſit, cui magis vera & propria ratio Sacrificii conveniat, unde rationabiliter & cum fundamento concludi poſſit in ea Sacrificii Euchariſtici eſſentiam conſiſtere.

Et quia ad veram rationem Sacrificii contingere debet aliqua rei oblatæ mutatio, hinc

hinc plura diſcutienda occurrunt, ideſt num converſio panis & vini per quam fit realis mutatio, & quædam panis & vini deſtructio, præciſe ſumpta habeat rationem veri Sacrificii; num conſecratio prout ponit Corpus & Sanguinem Domini ſub ſpeciebus panis & vini ſola rationem habeat ſacrificii; an neceſſario conſecrationi addi debeat communio, in qua amittit Chriſtus eſſe ſacramentale; an Sacrificii ratio in unius ſolius ſpeciei conſecratione ſalvetur? Quamvis varient in harum ſolutione Scholarum ſententiæ, cum cæteroquin in iis, quæ evidenter demonſtrant firmum & conſtans apud eos haberi catholicum dogma de exiſtentia Sacrificii Miſſæ, unanimes conſentiant, ideſt in Liturgia, ſeu in ordine Miſſæ omnia contineri, & obſervari quæ a Sacrificii proprie dicti ratione requiruntur, & conſecrationem eſſentialem eſſe Sacrificio; tamen inferre nequeunt Novatores ex illa opinionum varietate, quibus inter ſe orthodoxi Doctores diſputant, Miſſæ Sacrificium eſſe purum humanum figmentum, ſicuti impie contra tam venerabile myſterium debacchantur. Obſervant Catholici rite & religioſe quidquid ad eſſentiam ſpectat cuiuslibet Sacramenti, & huiuſce Sacrificii: ſed cum non fuerit expreſſe revelatum quoad aliqua Sacramenta, ſicuti etiam quoad hoc Sacrificium, ſed ſolum ex aliis revelatis cum aliqua obſcuritate ſit colligendum, in quo præciſe eorum eſſentia conſiſtat; hinc ubi deſignandum eſt qu id in illis Sacramentis ſit eſſentiale, quid accidentale, & circa Euchariſtiam quo ſenſu conſecratio rationem habeat Sacrificii, diverſæ, & inter ſe pugnantes exortæ ſunt Doctorum opiniones, quarum quænam ſit, inter eas quæ prodierunt in eo aſſignando in quo extat eſſentia Sacrificii Euchariſtici, magis veritati proxima nunc diſcutiemus. Sit igitur.

1. Eſſentia Sacrificii Miſſæ non conſiſtit in oblatione panis & vini, neque in eorum immutatione præciſe ſumpta, quia cum Sacrificium reponi debeat in oblatione & immutatione rei, quæ eſt Sacrificii victima; & cum panis & vinum non ſint victima huius Sacrificii, ſed Chriſtus Dominus; igitur in panis & vini oblatione, & eorum immutatione in corpus & ſanguinem Chriſti Domini eſſentia Sacrificii reponi nequit. Sacrificium enim incruentum altaris licet diverſum quoad modum, idem tamen eſt cum Sacrificio cruento crucis, utpote quod non ſolum ſit illius commemoratio, ſed perpetua ipſius innovatio, ſeu eiuſdem victimæ immolatio: Idcirco idem Chriſtus Dominus, qui in Sacrificio cruento fuit victima, ut ait Apoſt. 1. Corinth. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, eſt etiam victima in Sacrificio incruento; & eſt de Fide, ſicuti cum SS. Patribus definit etiam Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. *in divino hoc Sacrificio . . . idem ille Chriſtus continetur, & immolatur:* pertinent quidem ſpecies panis & vini ad Euchariſticum Sacrificium per modum conditionis, ut videlicet victima ſit ſenſibilis, & Sacrificium hoc offeratur ſecundum ordinem Melchiſedech, hoc eſt ſub ſymbolis panis & vini; non pertinent vero per modum partis, eo quod Chriſtus ſit tota victima.

2. Communio Sacerdotis non eſt pars eſſentialis, ſed ſolummodo integralis Sacrificii Euchariſtici. Si enim conſumptio conſecratorum, ſeu Sacerdotis communio pertineret ad eſſentiam Sacrificii, quia non eſt certum, ſaltem de Fide, Chriſtum Dominum in ultima Cœna ſuum corpus & ſanguinem ſumpſiſſe, ideſt Sacramentaliter communicaſſe, non conſtaret obtuliſſe Euchariſtiam in ultima Cœna tanquam Sacrificium. Item per ſumptionem res oblata non mutatur niſi localiter, quæ mutatio non ſufficit ad eſſentiam Sacrificii. Inſuper communio non eſt actio propria ſolius Sacerdotis, ſicuti eſt conſecratio, cum & laici communicent, & Diaconi ut extraordinarii Miniſtri diſtribuere poſſint ſacram Euchariſtiam. Iuveninus. Eſt quidem communio pars integrans ſacrificium, ideſt ad ſacrificii integritatem pertinens: nam in veteri lege inter actiones quæ pertinebant ad Sacrificium erat, ut oblata conſummarentur iuxta Sacrificii conditionem vel ignis combuſtione ut in holocauſto, vel offerentium comeſtione, vel partim igne, partim comeſtione offerentium, ut fiebat in hoſtia pacifica. Quod vero Chriſtus Dominus tale inſtituerit ſuum Sacrificium patet tum ex eo, quod in huius inſtitutione præcepit Apoſtolis, ut hoc facerent in eius memoriam: *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba exponuntur ab Apoſt. 1. Corinth. 11. etiam de communione; tum ex traditione Eccleſiæ, ex qua habetur Eccleſiam ſemper ſenſiſſe ita neceſſariam eſſe ad Sacrificii integritatem oblatarum conſummationem, ut iuſſerit, ſi forte contingat Sacerdotem celebrantem ante communionem corripi repentino morbo ut alter ſubrogetur etiam non ieiunus, qui utramque ſpeciem ſumat ad hoc ut Sacrificium perficiatur: Unde S. Th. quæſt. 83. art. 3. arguit communionem celebran-

lebrantis eſſe non ſolum præcepti divini, ſed etiam ſpectare ad Sacrificii integritatem, cum ad miniſtrandum viaticum, quod eſt præcepti divini in articulo mortis, non permittat Sacerdotem non ieiunum Sacrificium conficere. Quare cap. *Cumquærimus de conſecr. diſt.* 2. arguitur immanis Sacrilegii celebrans, qui utramque ſpeciem non ſumat, & cap. *relatum* dicitur: *quale erit Sacrificium, cuius nec ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur?* Ita ut ſi forte hoſtia infecta eſſet (advertunt Rubricæ) ad Sacrificii complementum alia eſſet conſecranda, & ſumenda. Inſuper communio tradenda eſt novis in die ſuæ ordinationis Sacerdotibus, dum & ipſi cum Epiſcopo concelebrant, ex conſecratis in eodem Sacrificio, & non ex iis quæ ex alio ſervata habeantur in pyxide, ut præſcribit Pontificale.

Utrum vero adſtantes fideles Sacrificio iure divino fieri debeant illius participes, ut vult Lutherus & ipſius aſſeclæ, videbimus quando ſermo habebitur de celebrat. Miſſæ privatæ contra eoſdem heterodoxos, qui hanc improbant, & præcipue ex hoc capite, quia in omnibus Miſſis privatis non fiat adſtantium communio.

Num autem fractio ſpecierum ſpectet ad eſſentiam Sacrificii, negant aliqui, cum fractio ſolum inſtituta ſit ad diſtributionem. Rectius tamen affirmant alii & probant, quia in fractione fit expreſſa commemoratio paſſionis Domini, dicente Sacerdote: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, & Apoſt. 1. Corinth. 11. ait, Chriſtum dixiſſe in huius Sacrificii inſtitutione: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur*, quod latini vertunt *pro vobis offertur*, ut intelligatur fractionem illam oblationis huius Sacrificii partem conſtituere. Hinc S. Chryſ. hom. 24. illud 1. Corinth. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio Corporis Chriſti eſt* refert ad repræſentationem paſſionis Chriſti, & hoc alii quoque Patres agnoſcunt; S. enim Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 3. ad 3. inter actiones, in quibus Sacrificium hoc conſiſtit, ponit ſeu numerat etiam fractionem. Nec fractio quæ fit a Sacerdote poſt recitationem Orationis Dominicæ dici poteſt inſtituta ad diſtributionem, ut ex eo patet, quod nulla earum particula populo diſtribuatur, ſed omnes tres ſumantur a Sacerdote. Imo id exigit Miſſæ cæremonia, ut una earum demittatur in calicem, ac ſanguini miſceatur non ſine myſterii ſignificatione. Eſtius cum aliis.

3. Sequitur ex ſupradictorum examine, totam Sacrificii incruenti eſſentiam conſiſtere in ſola conſecrationis actione. Dico hoc ſequi ex ſupradictorum examine; nam ſi in aliis Miſſæ partibus quas expendimus non conſiſtit illius eſſentia, recte inferri poteſt, quod hæc tota in conſecratione, quæ eſt ultima ratio Sacrificii diſcutienda, conſiſtat. Et equidem ſi ad veram Sacrificii proprie dicti eſſentiam duo præcipue concurrere debent ac requiruntur, oblatio videlicet victimæ, & eius ſenſibilis immolatio, in nulla alia Miſſæ actione verius & melius hoc peragitur ac perficitur, quam in conſecratione.

Et quoad primum, nempe quoad oblationem, unanimes ut certum ſuſtinent Theologi in conſecratione veram fieri oblationem; nam eo ipſo quod victima adducitur ad altare immolanda, victima offertur, & conſecratur. Quare cum Chriſtus Dominus per conſecrationis actionem, veluti agnus & victima ſenſibilis per panis, & vini ſpecies, ſiſtat in altari, ſeu ponatur, ſequitur quod per talem actionem fiat vera eius oblatio. Diſcrepant tamen Theologi in aſſignanda ratione, qua dici queat Chriſtum immolari in conſecratione; unde de Chriſto docet fides cum Apoſt. Rom. 6. *quod iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*.

Docent bene multi, inter quos Eſtius lib. 4. in 4. diſt. 12. §. 2. Chriſtum in altaris Sacrificio hoc ipſo immolari per conſecrationem non quidem cruenter, ſed incruenter, quo vi verborum ipſius conſecrationis Corpus eius ſine Sanguine ponitur ſub ſpeciebus panis, & Sanguis ſine Corpore ſub ſpeciebus vini, quamvis per concomitantiam utrumque ſub qualibet ſpecie actu & de facto contineatur; Nam dicunt ipſi, in hypotheſi quod durante Moyſis lege agnus per Sacerdotem accepiſſet vulnus lethale, & de ſe efficax ad effundendum eius Sanguinem, agnus vere fuiſſet immolatus, quamvis Deus per miraculum Sanguinem in venis hoſtiæ retinuiſſet, vitamque eius ſervaſſet. Hoc idem fit in altaris Sacrificio: Sacerdos enim per verba conſecrationis, veluti per ſpiritualem gladium, ſeparat Sanguinem a Corpore Chriſti, nam verba id quod ſignificant, operantur: igitur in conſecratione myſtica quidem, ſed vera fit ſeparatio, & doctrinam hanc ſequitur Tourneleius, & eſt communior. Nec mirum videri debet, quod conſecratio, quæ eſt actio productiva ſeu adductiva Corporis & Sanguinis Domini ſub ſpeciebus panis & vini, ſecundum allatam expoſitionem immolationis Chriſti per eamdem conſecrationem appareat productiva ſimul,

mul, & deſtructiva, quia deſtructiva eſt non rei iam præexiſtentis, ſed rei ponendæ, quatenus Sacerdos quantum in ſe eſt ponit ſub ſpeciebus panis Corpus exangue, ac ideo cenſetur eſſe aliquid deſtruere quod ponendum erat, nempe Corpus vivens.

Alii vero licet concedant huiuſcemodi explicationem exhibere veram myſticam immolationem quæ ſatis eſt ad verum & proprie dictum Sacrificium, quia tamen eis videtur ſubtilior nec habens ſufficiens fundamentum a Scriptura, aut Traditione, ut dici queat Chriſtum in tali immolatione incruenti Sacrificii eſſentiam repoſuiſſe; idcirco negant in conſecratione ullam fieri immolationem, ſed volunt in ea offerri ſub ſpeciebus panis & vini Chriſtum Dominum iam olim in cruce immolatum, & hoc ſufficere ad veram rationem Sacrificii commemorativi. Quod tamen ut magis pateat.

Notandum, quod cum Sacrificium non habeat eſſe niſi moraliter, ad ipſius eſſentiam & exiſtentiam non requiritur, ut eius partes, oblatio ſcilicet & immolatio phyſice coniungantur, ſed ſatis eſt, ut hoc fiat tantum moraliter per intentionem offerentis. Adducuntur in exemplum ſacrificia veteris legis, in quibus immolatio præcedebat aliquo tempore oblationem, aliquando ſubſequebatur, ut in Sacrificio pro peccato in quo ex duobus hircis qui offerebantur, unus primo mactabatur, deinde Summus Pontifex Sanctuarium ingrediebatur, & ibi eius ſanguinem offerebat; alter vero prius vivus offerebatur, & poſtea mittebatur periturus in deſerto. Similiter Chriſtus Dominus mundum ingrediens obtulit ſeipſum Patri. In ultima quoque Cœna poſt oblationem agni legalis præbuit ſeipſum verum Agnum ſub ſpeciebus panis & vini paulo poſt in cruce immolandum. Denique e ſepulchro redivivus ſervatis plagarum inſignibus ſummus aſſiſtens Pontifex introivit ſemel per proprium ſanguinem in Sancta, ſeu in cœlum, Hebræor. 9. unamque offerens hoſtiam pro peccatis ſedet ad dexteram Dei in ſempiternum, Hebræor. 10. His poſitis ſit.

Sacerdotes Aaronici nullam immolationem peragebant in Sanctuario, quia oblatio ſanguinis victimæ quam faciebant in Sanctuario, præſupponebat, ſeu ſenſibiliter repræſentabat immolationem præteritam extra Sanctuarium peractam, & tamen in figura Sacrificii noſtri verum ſacrificium offerebatur. Igitur, ut in Eccleſia veritas figuræ reſpondeat, non requirenda eſt nova immolatio in conſecratione, ſed ſufficit oblatio victimæ iam in cruce immolatæ, & poſitæ in altari ſenſibiliter ſub ſpeciebus panis & vini, in quibus repræſentatur effuſio & ſeparatio ſanguinis a corpore, quæ iam præceſſit in reali Agni immaculati mactationes. Inſuper Chriſtus Dominus, ex iam dictis, & in Eccleſia & in cœlo manet Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, quatenus non ceſſabit utrobique ſeipſum offerre: Unde cum in cœlo, quod ingreſſus eſt in proprio ſanguine, non ſecus ac Aaron in alieno ſanguine Sanctuarium ingrediebatur, non immolet ſeipſum, ſequitur, ad officium huius Sacerdotii non requiri ut ſemper fiat mactatio; ſed ſufficit ſi victima ſemel in cruce mactata inceſſanter ſive in cœlo, ſive in terra offeratur.

Et equidem Sacrificium crucis, & Sacrificium altaris in ſubſtantia ſunt unum & idem Sacrificium, ſed ſolum diverſum quoad modum offerendi. Ita ſentiunt SS. Patres, & Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. ubi ait: *Una ... eademque hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa*. Non eſſet autem unum & idem Sacrificium, niſi eſſet eadem immolatio; quod ut clarius elucidetur notandum occurrit ad Sacrificium proprie dictum requiri, ut iam non ſemel antea dictum fuit, & mactationem victimæ ſenſibilis, & exteriorem oblationem cum interiori intentione offerentis. Hæc tamen ſecunda non requiritur ut eſſentialis Sacrificio, ſed ut Sacrificium exterius ſit acceptabile, quæ ſi nonnunquam deeſſet ex parte miniſtri, qui eſt minus principalis offerens, ſemper tamen habetur in principali offerente, qui eſt Chriſtus Dominus: unde Miſſæ ſacrificium ſemper Deo eſt acceptiſſimum: *nulla indignitate*, ait Concil. Trid. loco cit. ſeſſ. 22. cap. 1. *aut malitia offerentium inquinari poteſt*. Duo vero priora ita ſunt neceſſaria ad naturam Sacrificii proprie dicti, ut ſine alterutro ſtare nequeat, ſed primum & præcipuum locum obtinet immolatio victimæ; quia eſt differentia eſſentialis per quam Sacrificium differt ab aliis oblationibus, eo quod per eam præciſe ſignificatur ſupremum Dei dominium, ac noſtra omnimoda ab eo dependentia, & ex hoc eſt ſignum determinatum ſupremi cultus, qui *latria* appellatur. Ex his plane deducitur, Sacrificii unitatem repetendam non eſſe ex unitate exterioris oblationis, quæ pluries iterari poteſt in eo-

dem

Digitized by Google

dem Sacrificio, ſed ex unitate immolationis eiuſdem victimæ; quia ſi eadem victima ſemel mactata per divinum miraculum reviviſceret ut iterum mactaretur, tunc non unum, ſed duo eſſent Sacrificia; quia duplex eſſet immolatio, duplex ſignum externum noſtræ dependentiæ a Deo.

Sed opponitur illud D. Aug. ep. 23. ubi ait: *Semel immolatus eſt in ſe ipſo; in Sacramento omni die in populis immolatur*. Igitur in Miſſæ Sacrificio alia eſt immolatio ab immolatione crucis.

Reſp. alia ab immolatione crucis ea eſt quæ fit in altaris, ſeu Miſſæ Sacrificio, ſed myſtica, quæ a S. Doct. dicitur immolatio in Sacramento nempe in ſigno, cum Sacramentum ſit ſignum ſacrum; non vero immolatio realis ad Sacrificium proprie dictum neceſſaria. Theologi omnes agnoſcunt in conſecratione immolationem myſticam, ſine qua Miſſa non eſſet Sacrificium proprie dictum, ut illud quod fit ex præſanctificatis, feria 6. in Paraſceve. Sed quæſtio eſt, num illa immolatio myſtica per ſe, & ſine ordine ad cruentam crucis immolationem ſufficiat ad rationem veri Sacrificii, quod negat poſterior ſententia, quia ut conſtat ex iam dictis Sacrificii ratio ſeu eſſentia conſiſtit in conſecratione, utpote quæ realiter Chriſtum præſentem ponit in altari ſub ſpeciebus panis & vini ac per eam immolatur & offertur Deo Patri in memoriam ac repræſentationem cruenti Sacrificii crucis. Hinc oritur difficultas, utrum ad illam myſticam immolationem ac repræſentationem Sacrificii crucis omnino neceſſaria ſit utriuſque ſpeciei conſecratio, an integra & perfecta illa eſſe poſſit, etiamſi in una ſola ſpecie conſecratio fieret. Non conveniunt in hoc definiendo Theologorum ſententiæ; Negant enim nonnulli ad eſſentiam Sacrificii neceſſariam eſſe utriuſque ſpeciei conſecrationem tum ob auctoritatem D. Bernardi, qui eis favere videtur in ep. 69. ubi ait: *Sacerdotem qui poſt conſecrationem in Miſſæ decurſu deprehendit in calicem infuſam eſſe ſolam aquam, non teneri infundere vinum, & conſecrare*; tum quia vera eſt conſecratio panis ſine conſecratione calicis, in qua vera panis conſecratione Chriſtus offertur, cum per eam in altari ponatur tanquam victima, & immoletur, ac ideo cruentum crucis Sacrificium repræſentatur; eo quia vi verborum corpus eius ponatur ſine ſanguine, ac proinde ad inſtar mortui, ut erat in cruce poſtquam expiravit. Unde concludunt conſecrationem calicis pertinere ad ſolam integritatem, & neutiquam ad eſſentiam Sacrificii Miſſæ.

Sed communius ſentiunt Doctores, conſecrationem utriuſque ſpeciei pertinere ad eſſentiam Sacrificii, quia Chriſtus Dominus ita docuit ſuo exemplo, & præcepto in ultima Cœna in qua tamquam Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech panem, & vinum conſecravit, & mandavit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, ut idem facerent in ſui commemorationem, ut explicat, & ſimul definit Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. ubi ita habetur: *Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti conſtituebat Sacerdotes ut ſumerent tradidit; & eiſdem eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem ut ſemper Eccleſia intellexit ac docuit*. Quare ſicut ſemper tenuit Eccleſia, ac perpetuo uſu declaravit, Chriſtum inſtituiſſe Sacrificium conſecratione utriuſque ſpeciei, & hoc Sacerdotibus obſervandum iuſſiſſe (non ſecus ac in baptiſmo, quia ita Chriſtus Dominus inſtituit fieri debet totius Trinitatis expreſſio, tametſi baptizando in nomine Dei vel Ieſu Chriſti tres perſonæ intelligantur) ſic requiritur clariſſima paſſionis repræſentatio, qualis non eſt ſi repræſentetur Corpus Chriſti exangue, & ita docet D. Th. quæſt. 80. art. 12. ad 3. Ad illud vero D. Bern. reſp. S. Patrem ita locutum fuiſſe, quando nondum res dilucidata erat ab Eccleſia, quæ tandem præſcripſit, ut in allato caſu infuſo vino calix conſecretur. Illud vero quod ab aliquibus refertur ſcilicet Summos Pontifices Innocentium IV. & VIII. diſpenſaſſe cum Saxonibus, & Norvvegis, ut calicem ſine vino conſecrarent, fictitium eſt, cum ex divina inſtitutione nulla calicis conſecratio fieri poſſit ſine vino. Habertus, Tourneleius.

Ex communi Doctorum consecratio utriuſque ſpeciei ſpectat ad eſſentiam Sacrificii.

Circa oblationem vero, ſi inquiratur quem locum obtineat inter partes Sacrificii, certum eſt, ſi intelligatur de oblatione exteriori quam ſecum implicite affert exterior Sacrificii ritus, totum Sacrificium eſſe quodammodo continuam oblationem, quia actiones omnes iam dictæ fiunt circa rem quatenus Deo offertur: ſi vero intelligatur de oblatione vocali, quæ fit in Liturgia tum ante, tum poſt conſecrationem, neutra pertinet ad eſſentiam Sacrificii, quia in prima non offertur victima, ideſt Chriſti corpus, quod

De loco quem habet oblatio in Sacrificio.

quod tunc præſens non eſt, & tamen offertur in Euchariſtiæ Sacrificio; & in ſecunda nulla per eam nec myſtica quidem fit in victima mutatio, quæ tamen, ut iam antea dictum fuit, ad Sacrificii eſſentiam requiritur.

Sacrificium altaris non differt eſſentialiter a Sacrificio cœnæ, & crucis.

Si inquiratur, an Sacrificium altaris differat eſſentialiter a Sacrificiis Cœnæ, Crucis, & Moſaycis, reſp. 1. non differre eſſentialiter a Sacrificio ultimæ Cœnæ, ſicuti iam alias attigimus, quia in utroque eadem eſt hoſtia, idem principalis Sacerdos Chriſtus Dominus. Differunt tamen accidentaliter in aliquibus conditionibus, puta quia in Sacrificio ultimæ Cœnæ Chriſtus oblatus eſt mortalis, non ita vero in Sacrificio Miſſæ, licet ſub quodam ſtatu mortis ob myſticam ipſius immolationem offeratur, non tamen mortuus, quia non amplius moritur; in Sacrificio Cœnæ Chriſtus proxime & immediate ſeipſum obtulit, ſed in Sacrificio Miſſæ immediate, & proxime miniſterio Sacerdotum offertur, & a ſeipſo ſolummodo mediate, & remote ut principalis offerens: unde in hoc differentia eſt tantum accidentalis. Ita differunt in effectu morali, quia Sacrificium cœnæ meritorium fuit, & ſanctificatorium; non ita Sacrificium altaris, in quo Chriſtus non ponitur ut mereri poſſit, ac ſanctificare; eſt tamen hoc Sacrificium propitiatorium, ut dicemus, quia nobis applicat merita paſſionis ac mortis Chriſti. Iterum differunt ſignificatione, quatenus Sacrificium Cœnæ ſignificabat mortem Chriſti futuram; noſtrum vero ſignificat præteritam. Item Sacrificium noſtrum incruentum eſt imago Sacrificii cruenti crucis; non vero hoc noſtri incruenti.

Reſpondeo 2. Differre non eſſentialiter in ſubſtantia Sacrificium altaris a Sacrificio crucis, ut alias iam dictum eſt, ob unitatem eiuſdem victimæ, ac principalis Sacerdotis, qui eſt idem Chriſtus, & oblatus, & offerens: differre quidem quoad modum, quia in cruce immolatio fuit phyſica, & cruenta, ideſt cum ſanguinis effuſione; in altari vero myſtica eſt & incruenta immolatio & oblatio. In hoc non ſolvitur redemptionis noſtræ pretium, ſed tantum nobis communicatur, ſeu applicatur. Illud fuit Sacrificium crucis, & prototypum omnium Sacrificiorum; iſtud autem altaris eſt illius imago ac repræſentatio.

Reſpondeo 3. Sacrificium Miſſæ eſſentialiter differre a Sacrificiis Moſaycis, & ex parte rei oblatæ, quia in illis erant animalia, & in iſto eſt Chriſtus Dominus, unde oritur totum Sacrificii pretium; & ex parte offerentis, & ex parte virtutis, & efficaciæ.

Sacrificium Miſſæ eſſentialiter diſtinguitur a Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti.

Sacrificium Miſſæ licet conficiatur eadem actione, qua conficitur Sacramentum, & in utraque terminus actionis ſit idem Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus panis & vini; nihilominus habet diſtinctam eſſentiam a Sacramento; quia eſſentia Sacrificii partim conſiſtit in actione ſacrificandi, partim in victima immolata, & oblata: Eſſentia autem Sacramenti Euchariſtiæ conſiſtit in ſola re permanenti. Item Sacrificium Miſſæ requirit eſſentialiter utriuſque ſpeciei conſecrationem ad repræſentandam mortem Chriſti, & paſſionem: Eſſentia vero Sacramenti ſalva conſiſtit ſub una tantum ſpecie. Inſuper Sacrificium per ſe primario & immediate ordinatur ad colendum Deum; Sacramentum autem ad hominis ſanctificationem. Cum autem Sacrificium, & Sacramentum diſtinctam habeant eſſentiam, hinc fit quod eſſentia Sacramenti prius perficiatur quam eſſentia Sacrificii, quia Sacramentum perficitur eſſentialiter per conſecrationem unius ſpeciei; Sacrificium vero per conſecrationem utriuſque: Una autem ſpecie ordine temporis prius altera conſecratur.

Ordo diverſus effectus Sacrificii, & Sacramenti.

Ordo diverſus ſervatur in effectibus Sacrificii, & Sacramenti, quia effectus Sacrificii confertur facta utriuſque ſpeciei conſecratione; effectus vero Sacramenti confertur in uſu, ſeu ſumptione Euchariſtiæ, quæ eſt poſterior conſecratione. Sed licet ordine temporis una actio ſit poſterior altera, uniuntur tamen moraliter ad idem Sacrificium perficiendum, cum ſumptio, ut vidimus, ſit pars integralis Sacrificii.

Quoad ordinem vero naturæ ſeu cauſalitatis, cum hic duplex ſit, intentionis ſcilicet & executionis, ordine intentionis prior eſt eſſentia Sacrificii quam Sacramenti, quia principalius, & primario intendit Sacerdos in Miſſæ actione cultum, & honorem Dei, quam utilitatem noſtram ſeu profectum, ac ideo primario poteſtas Miniſtri refertur ad Sacrificium Deo offerendum, ſecundario ad Sacramentum conficiendum. Ordine vero executionis eſſentia Sacrificii eſt poſterior, quia ex parte rei oblatæ ſupponit iam peractum totum id quod reſpicit rationem Sacramenti, & aliquid plus ulterius reſpicit rationem Sacrificii, ideſt myſticam mactationem, & conſecrationem utriuſque ſpeciei. Igitur ſupponit quodammodo in ratione cauſæ materialis, rationem ſeu naturam Sacramenti præexiſtentem.

Nec

Digitized by Google

Nec dicatur ex hoc ſequi Sacrificium includere Sacramentum, quaſi dici poſſet, Sacrificium idem eſſe ac Sacramentum, dum ſunt duæ naturæ ſpecificæ, quarum una nequit alteram includere; nam Sacrificium ſi accipiatur pro re oblata, tunc revera includit rationem Sacramenti, & aliquid ſuperaddit; ſi vero conſideretur in actione ſacrificandi, tunc nequaquam includit certam eſſentiam Sacramenti, dicit tamen reſpectum ad Euchariſtiæ Sacramentum, tanquam ad rem oblatam & immolatam, & id ſub utraque ſpecie.

§. V.

De Sacrificio Miſſæ ut propitiatorio, & de cauſſis ac perſonis pro quibus eſt offerendum.

Iam ab initio, quando agere cœpimus de Sacrificio, ideſt dum in generali ſua acceptione Sacrificii nomen expenderemus, obſervatum fuit, Miſſæ Sacrificium eſſe non ſolum lautreticum ob latriæ ſeu perfectæ ſervitutis cultum, qui Deo ſupremo rerum Domino redditur; Euchariſticum, ideſt inſtitutum ad gratiarum actiones pro acceptis beneficiis Deo referendis, ex quo peculiariter *Euchariſtia* vocatur, nomine videlicet accepto veluti a prima & præcipua oblationis cauſſa; ſed eſſe quoque propitiatorium, quod Deum nobis benignum ac placatum reddit, & offertur pro peccatis, & peccatorum pœnis flagelliſque amovendis, necnon valet ad omnia, quæ recte a Deo petuntur impetranda, quod Novatoribus non placet.

Non recuſant quidem Lutherani & Calviniſtæ agnoſcere Sacrificium noſtrum (quod tamen improprie & in latiori ſenſu Sacrificium appellant) ut lautreticum & euchariſticum; illud tamen non cognoſcunt ut propitiatorium, & impetratorium. Negant enim id dici poſſe, abſque eo quod, iniuria irrogetur oblationi crucis, allucinantes in ſenſu propitiationis; quod ut elucidetur.

Sacrificium noſtrum diverſimode dici poteſt propitiatorium. Nota cum Tourneleio, Sacrificium dici poſſe propitiatorium vel ratione ſolutionis pretii, & ſatisfactionis perfectæ pro noſtra redemptione vel applicationis dumtaxat, quæ nobis fit meritorum paſſionis & mortis Chriſti. Novatores duo iſta confundunt, nempe plenam ſolutionem pretii quæ pro noſtra redemptione facta eſt in cruce, & applicationem ſeu communicationem pretii ſive meritorum Chriſti, quæ fit per Sacramenta, per bona opera, præſertim per Sacrificium altaris; & hæc eſt propitiatio quam de fide credunt & tenent Catholici in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, iuxta doctrinam Concilii Trident. ſeſſ. 22. ubi Patres Concilii rationem indicarunt, quia videlicet in hoc Sacrificio continetur & incruenter immolatur qui in ara crucis ſemel ſeipſum cruenter obtulit; cuius quidem oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam uberrime participatur, tantum abeſt ut illi per hanc quovis modo derogetur: quare, inquiunt Patres, non ſolum pro vivorum fidelium peccatis, pœnarum ſatisfactionibus, aliiſque neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis rite iuxta Apoſtolorum traditionem offertur. Et hanc doctrinam ſub anathemate confirmant. Sic Eſtius hic. Sit itaque.

Miſſæ Sacrificium eſt propitiatorium, & impetratorium. Sacroſanctum incruentum Miſſæ Sacrificium eſt vere propiatorium, & impetratorium. Sacrificium enim propitiatorium illud eſt, quod offertur ad placandum ſupremum Numen, & pro remittendis peccatis, ac peccatorum pœnis, ſuppliciiſque avertendis, & huiuſmodi eſt incruentum altaris Sacrificium, ſicut docet Apoſt. Hebræor. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Unde ſi ex Apoſt. præcipuum munus Sacerdotis eſt Sacrificium offerre pro aliorum peccatis; igitur Euchariſtia quæ eſt unicum in Eccleſia vere & proprie dictum Sacrificium, ut antea iam probatum fuit, eſt Sacrificium propitiatorium, quod non ſolum offerenti ſed & aliis, pro quibus offertur, fructum affert. Hoc confirmat ipſa Concilii Trid. definitio ſeſſ. 22. can. 3. ubi ſic habetur: *Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, & ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit.* Hæc Concilii definitio eſt conſona perpetuæ traditioni: nam & S. Cyril. Hieroſolymit. ex Græcis *catech.* 5. appellat hoc Sacrificium *hoſtiam propitiationis*, & S. Ioan. Chryſoſt. lib. 6. *de Sacerdotio* cap. 4. ait, Sacerdotem qui offert iuge Sacrificium *legatum & precatorem eſſe apud Deum, ut propitius fiat omnium peccatis non viventium modo, ſed & mortuorum*; & ex Latinis S. Ambr. *in exhort. ad Virg.* cap. 12. num. 94. appellat Sacrificium in templis eccleſiæ oblatum *hoſtiam ſalutarem, per quam*

peccatum huius mundi abolctur. S. Aug. quæſt. 67. in Levit. num. 4. ait, quod Sacrificiis veteris legis præfigurabatur noſtrum Sacrificium, *in quo vera fit remiſſio peccatorum*: ergo ſi ſecundum S. Aug. in hoc Sacrificio fit remiſſio peccatorum, ſequitur, quod ſit propitiatorium, ſicuti erant eius figuræ in lege veteri. Et hoc idem teſtantur publicæ Eccleſiæ preces inter Miſſarum ſolemnia, quæ partim ſunt Euchariſticæ, partim petentes, per Sacrificium offerendum, vel oblatum concedi quæ ſaluti fidelium ſunt neceſſaria. Eſt in primis peccatorum propitiatio, unde in Canone Miſſæ dicitur hoc Sacrificium offerri *pro animarum redemptione, pro ſpe ſalutis & incolumitatis* fidelium; & in ſecreta oratione quæ legitur Dominica 9. poſt Pentecoſtes dicitur, quod quoties huius Sacrificii commemoratio peragitur, *opus noſtræ redemptionis exercetur*, & alibi ſimilia.

Quod ſi propitiatorium eſt Sacrificium incruentum altaris, indubitanter conſequitur eſſe quoque impetratorium: Si Deum enim placare poteſt, & propitium reddere ad dimittenda peccata, multo magis cum mediante huius Sacrificii impetratione mundati erimus a peccatis, & in Dei gratiam reſtituti, ac ideo in eius amicitiam, nova ac uberiora gratiæ auxilia, necnon alia beneficia poterit a Deo nobis impetrare; & hoc docet tum Scriptura, tum Eccleſiæ traditio. Apoſt. enim 1. ad Timoth. 2. loquens de uſu naſcentis Eccleſiæ, ait: *Fieri orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & cæteris aliis qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus*. Et cum morem hunc ſemper Eccleſia ſervaverit, & præcipue in exercitio Sancti Miſſæ Sacrificii; hinc comprobat etiam perpetua Eccleſiæ traditio hoc Sacrificium eſſe impetratorium; unde S. Aug. ep. 110. populum monet, celebrandum eſſe Sacrificium pro felici ſucceſſione Epiſcopatus, & lib. 22. *de Civit. Dei* cap. 8. commemorat quodam loco oblatum eſſe Sacrificium adverſus infeſtationes dæmonum; & vetus conſuetudo obtinet pro bono & felici ſucceſſu cuiuſque rei, operis, Congregationis, Concilii, officii, ſeu functionis publicæ, aliorumque huiuſce generis, quæ ſint magni momenti, offerri ac ſubinde repeti, & frequentari Miſſæ Sacrificium. Eſtius.

Opponit tamen Lutherus, quod ſicut Baptiſmus unius non prodeſt alteri, ita nec ſumptio Euchariſtiæ ab uno pro alio fieri poteſt. Miſſa igitur non eſt Sacrificium propitiatorium. Reſp. ex iam antea dictis, multum differre ſumptionem Sacramenti, & oblationem Sacrificii. Nam Sacramenta primario & directe ordinata ſunt ad Sanctificationem ſuſcipientis; idcirco nonniſi ipſum ſanctificant: Sacrificium vero ordinatur & tendit tum ad honorandum Deum ſupremum rerum omnium dominum, tum ad beneficia impetranda iis omnibus pro quibus offertur.

Nec dicat Kemnitius: ſi propitiatorium foret Miſſæ Sacrificium, utile eſſet non accedere ad Sacramenta, dum peccatorum remiſſio obtineri poteſt ſine ullo labore & periculo per unam Miſſam ab alio dictam. Hoc enim verum eſſet, ſi Miſſæ Sacrificium dimitteret peccata proxime & immediate; ſed hoc non efficit niſi mediate dumtaxat, nempe impetrando gratiæ auxilia, & donum pœnitentiæ, quo moveantur peccatores ad optanda, & quærenda Sacramenta, quorum virtute iuſtificationem conſequuntur.

§. VI.

De iis, pro quibus offerri poteſt Miſſæ Sacrificium.

Duo ſunt genera hominum, viventium ſcilicet & defunctorum. Inter mortuos alii ſunt Sancti, qui æterna fruuntur gloria; alii perpetuis ſuppliciis ſunt damnati, alii denique addicti Purgatorii incendio, ut perfecte mundati tranſeant ad præmium æternæ felicitatis. Inter viventes vero alii ſunt fideles, viva Chriſti Eccleſiæ membra, alii peccatis quidem infecti, ſed tamen vinculo fidei, eccleſiæ adhuc coniuncti; alii vero infideles, hæretici, publice excommunicati. De viventibus rem prius diſcutiemus. *Variæ hominis conſiderationes.*

Certum eſt, Miſſæ Sacrificium offerendum eſſe pro univerſis fidelibus baptizatis non excommunicatis, cum Sacrificium offeratur nomine totius univerſitatis per publicum Miniſtrum. Hinc in veteri lege ſummus Sacerdos ingrediens Sanctuarium inſcripta ferebat ad pectus nomina duodecim Tribuum Iſrael in recordationem, & memoriale filiorum Iſrael; & in Canone Miſſæ dicit Sacerdos: *Tibi offerimus pro tua ſancta Eccleſia catholica, & omnibus orthodoxis, atque catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus*, & peccaret graviter Sacerdos, ſi privata ſua intentione aliquem excludere vellet. *Sacrificium offerendum pro fidelibus omnibus non excommunicatis.*

Diximus *non excommunicatis*, quia excommunicati nominatim damnati per iudicis ſententiam (& dicuntur non tolerati) in

vin-

vindictam criminis excluduntur ab Eccleſia in ſuis publicis orationibus, aut ſuffragiis, & prohibiti ſunt ad altare nominari; ita in cap. *a nobis de ſent. excom.* Poſſunt tamen fideles, imo ipſe celebrans privatim pro iiſdem orare; imo feria 6. in Paraſceve ob ſpecialem recordationem, quæ fit ea die, ſanguinis Ieſu Chriſti pro omnibus effuſi, univerſalis Eccleſia publice precatur pro infidelibus omnibus, pro hæreticis & ſchiſmaticis &c.

Sacrificium in directe offerri poteſt pro non baptizatis & infidelibus omnibus

Sacrificium offerri poteſt indirecte, & de facto quotidie offertur pro non baptizatis, ſive infideles ſint ut pagani, ſive fideles, ut cathecumeni, necnon pro hæreticis & ſchiſmaticis; quia cum Eccleſia ſemper uſa fuerit communiter orare, ac Sacrificium offerre pro tranquillitate publica, pro extirpatione hæreſum, extinctione ſchiſmatum, pro exaltatione & propagatione fidei, directe quidem ordinantur hæ preces ac Sacrificia ad univerſale, & publicum Eccleſiæ bonum, ſed indirecte ad converſionem infidelium, hæreticorum, ac quorumcumque Eccleſiæ hoſtium, ut alii veniant, alii redeant ad lumen veritatis, omneſque in fide Eccleſiæ ac charitate, & ex univerſi mundi hominibus fiat unum ovile & unus paſtor. Imo ſi non eſſet ab Eccleſia vetitum ex natura rei licitum eſſet pro his omnibus propitiatorium Miſſæ Sacrificium offerre etiam directe, quia ſi non ſunt coniuncti cum Chriſto, poſſunt tamen uniri, ut inter alios ſentit Eſtius: ratio eſt quia ſi pro hominibus omnibus in cruce mortuus eſt Chriſtus, ac ideo illius Sacrificium in tali incruenta immolatione pro omnibus generatim ſine ulla exceptione eſt oblatum; cum Sacrificium Euchariſtiæ ſit idem cum Sacrificio crucis, eiuſdemque commemoratio ac continua innovatio, ut hoc mediante illius fructus participes efficiamur; conſequens eſt ex natura rei Euchariſtiæ Sacrificium pro omnibus offerendum eſſe. Et equidem, cum durante hac vita deſperandum non ſit de ullius ſalute, quia pro omnibus, ut iam diximus, Chriſtus victimam ſeipſum obtulit in cruce, & mortuus eſt, ſine dubio pro quocumque recte oratur ut ſalvus fiat: nihil enim tunc orando impetramus, niſi propitiationem pro alienis peccatis per Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, ideſt in cruce oblatum, ut eſſet propitiatio pro peccatis totius mundi, & omnibus ſalus. Hinc eſt quod Apoſt. 1. ad Timoth. 2. monet, in celebrandis myſteriis (& ita hunc locum intelligunt Patres) orandum eſſe non tantum pro fidelibus, ſed pro omnibus hominibus etiam pro Regibus, & omnibus in ſublimitate conſtitutis, quorum pleroſque conſtat illo tempore fuiſſe infideles, imo etiam fidelium perſecutores; & hoc teſtatur Scriptura olim factum fuiſſe a Sacerdotibus veteris legis, quos legimus deprecatos eſſe pro Nabuchodonoſor, Eliodoro, ac pro Spartiatis.

Cum Defuncti, alii addicti ſint ſempiternis tortoribus, ut ſupra diximus, alii temporalibus purgatorii flammis, alii tandem comprehenſores ſeu beati ſint in perenni & cœleſti gloria: hic quoque ſuum venenum evomuerunt Novatores, negando ſcilicet Purgatorium, ac proinde Sacrificium pro defunctis offerendum; necnon pium reprobando Eccleſiæ morem celebrandi Miſſam in honorem Sanctorum.

De Defunctis pro quibus illicitum, & licitum ſit offerre Sacrificium.

Illicitum eſt offerre Miſſæ Sacrificium ſive ut propitiatorium, ſive ut ſatisfactorium pro defunctis æternis addictis ſuppliciis; nihil enim prodeſſe poteſt, quia ſunt in ſtatu conſtituti, ut nihil refrigerii ex quovis ſuffragio percipere poſſint; quia inalterabilis eſt ac immutabilis contra eos divina Iuſtitia, & nullus omnino eſt eis locus pro divina miſeratione (ad quam non habent acceſſum, niſi per Chriſtum qui ſunt eius membra, & pro iis ſolis, ait S. Aug. offerri poteſt corpus Chriſti. *Quis offerat corpus Chriſti* ait S. Doct. lib. 1. *de origine animæ* cap. 9. *niſi pro iis qui membra ſunt Chriſti?*) damnati enim nullatenus ſunt membra, nequidem ut infideles, qui ſaltem ſunt membra Chriſti in potentia, utpote qui poſſunt ſe convertere ad viam veritatis; hinc dicitur, *in inferno nulla eſt redemptio*. Inſuper hoc Sacrificium, quod fit ad exemplum, & commemorationem Sacrificii crucis offerri nequit pro iis, pro quibus nec Chriſtus oravit in cruce, nec ſanguinem fudit, ut ſunt qui impœnitentes deceſſerunt, & iam in poteſtate diaboli computantur, pro quibus Chriſtus mortuus non eſt, ait S. Aug. lib. 21. *de Civit. Dei* cap. 24. alias dicendum eſſet, Chriſtum mortuum fuiſſe etiam pro diabolo, quod falſum eſt.

Opponi hic ſolet auctoritas D. Aug. *in Enchiridion* cap. 110, & 112. ubi ait: *Eccleſiæ ſuffragiis & oblationibus pœnæ damnatorum mitigantur*; & ex D. Damaſc. anima Falconillæ paganæ liberata eſt a pœnis inferni precibus S. Theclæ; item anima Traiani orationibus S. Gregorii. Sed reſp. S. Aug. ibi locutum fuiſſe de animabus purgantibus, non de damnatis æterno inferorum igni. Et hæc ſunt eius verba: *Cum ergo Sacrificia ſive*

Digitized by Google

ve altaris, ſive quarumcumque eleemoſinarum pro baptizatis omnibus defunctis offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt, pro valde malis, etiamſi nulla ſint adiumenta mortuorum, qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt. Relata vero de Falconilla & Traiano, fabulæ ſunt. Quiſnam credere poteſt S. Gregorium oraſſe pro Traiano, qui fuit Eccleſiæ perſecutor?

Num pro Cathecumenis of. ſeri queat, ſi c.um.

Hic ſolet inquiri, utrum liceat offerre Miſſæ Sacrificium pro cathecumenis & excommunicatis, ſi e vivis decedant illi priuſquam baptizentur, & iſti antequam ſint Eccleſiæ reconciliati: Et in his attendendum eſt quomodo deceſſerint, quia ſi cathecumeni fuerint in numero competentium, & obierint cum voto baptiſmi, computantur inter fideles; ſecus vero ſi fuerint in claſſe audientium, & baptizari neglexerint. Sic excommunicati, ſi priuſquam decederent, præceſſerunt in eis ſigna manifeſta pœnitentiæ, Sacrificium pro eis offerendum eſt, ut tradit Innocentius III. cap. *a nobis*. Priuſquam tamen pro tali excommunicato publica fiat oblatio ſacrificii, debet ei etiam defuncto beneficium abſolutionis impendi.

Pro Purgatorii Animabus ſacrificium Altari offeri pot. eſt.

Pro iuſtis pie in charitate, ac ideo in Chriſto defunctis, retentis autem in Purgatorii flammis ad levia peccata expurganda, & reatum pœnæ luendum pro mortalibus ipſis remiſſis, quæ non expiarunt viventes in mundo, rite Sacrificium offertur, vel ut pœne ipſis relaxentur, vel ut plene liberentur. Si enim pro iis, qui adhuc a ſocietate ſanctorum ſunt alieni, recte Sacrificium offert Eccleſia, ut ſanctis electiſque Dei aggregentur; multo magis id facere debet pro fidelibus in fide & charitate defunctis, qui adhuc pro peccatis, quæ hic redimere & mundare neglexerunt, purgatione ac ſatisfactione indigent; quandoquidem pro iis orare, eleemoſinas largiri, & alia pietatis opera exercere ſemper in Eccleſia conſuetum, & frequentatum fuit: Pro quibus enim hæc recte fiunt a fructu Sacrificii minime debent excludi, quoniam, ut alias dictum iam fuit, hoc Euchariſtiæ Sacrificium commemorativum eſt Sacrificii crucis, a quo omne ſalutare bonum profluit. Hanc ſanam, catholicamque doctrinam comprobat perpetua Eccleſiæ conſuetudo, & traditio, non modo deducta ab Apoſtolis, ut teſtantur Tertull. in lib. *de corona militis*, S. Aug. lib. *de cura pro mortuis* cap. 1. & ſerm. 32. *de verbis Apoſtoli*, & S. Chryſoſt. hom. 69. ad populum Antiochenum, & hom. 21. *in Acta Apoſtol.* verum etiam a fidelibus veteris Teſtamenti obſervata: nam ſecundo Machabæor. 12. Iudas Machabæus Dux & Pontifex populi Iudaici iuſſit Hieroſolymis fieri ſacrificia & oblationes pro peccatis mortuorum, qui cum pietate dormitionem acceperant. Unde merito Aerius qui negabat oblationes faciendas eſſe pro defunctis, cum ſuis ſectatoribus inter hæreticos relatus eſt, ut apud S. Epiph. & S. Aug. *de hæreſibus* videri poteſt. Non alia hic congero Conciliorum ac Patrum teſtimonia quibus doctrina hæc roboratur, quia legentibus paſſim ſunt obvia, & ab aliis diligenter ſunt collecta, ſed brevitatis gratia omittere cenſeo. Eſtius.

Sacrificium offeri pot. eſt in memoriam, & honorem ſanctorum.

Quamvis ſanctis Sacrificia, templa, & altaria nec offerantur, nec offerri poſſint, quia ut pertinentes ad cultum latriæ ſoli Deo conveniunt, ac dicari poſſunt; nihilominus ſicuti licet altaria & templa erigere ac dicare Deo in honorem Sanctorum, ita licet etiam Sacrificia in eorum memoriam & honorem offerre; & hoc docet perpetua Eccleſiæ traditio, ut conſtat ex omnibus Liturgiis tum latinis, tum græcis, in quibus SS. Apoſtolorum, martyrum, ac aliorum Sanctorum memoria celebratur; & hoc fatetur ac docet etiam de Fide credendum Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 3. non ita tamen ut his Sacrificium immediate, directe, ac primario offeratur, (quod ut ſupra notabam, uſque adeo non licet, cum nec ipſi Chriſto ſecundum hominis formam non ſit ſacrificandum, ut docet D. Aug. lib. 10. *de Civit. Dei* cap. 20.) ſed quia Deo de illorum victoria gratias agentes eorum patrocinia imploramus, ut excitemur ad eorum æmulanda veſtigia; *ita ut ea celebritate*, (ait S. Doct.) *& Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur*; unde tale Sacrificium partim eſt Euchariſticum, partim eſt propitiatorium; propitiatorium tamen pro nobis, nequaquam pro ipſis; quia Sanctis, ideſt iis qui beati ſunt in cœlo, Deoque aperte fruuntur, nihil remanet culpæ vel pœnæ luendæ; idcirco nulla excruciantur miſeria, a qua per Sacrificia ſuffragiaque liberentur, nihilque eorum gloria eſſentiali augeri poteſt, ſed accidentalis tantum, quæ ex eorum cultu, honore, & veneratione exurgit. Hinc S. Aug. tract. 24. in Ioan. ſerm. 159. alias 17. *de verbis Apoſt.* monet, in Sacrificio memoriam fieri Sanctorum ſed non pro illis orari, ac ideo quando in noſtra Liturgia expoſci-

poſcimus, ut oblatio Sanctis proſit ad gloriam, non tam pro Sanctis quam pro nobis ipſis oramus, nempe gratiam petimus ita pie devote, ſancte, recte, ac Sacrificium offerendi, ut merito inde Sancti gaudere valeant, & gloria illis coram hominibus accedat.

Nec ullatenus valet quod opponit Kemnitius in ſuo Examine Concilii Trid. oblationem Sacrificii in Sanctorum honorem pugnare directa fronte contra Sacrificii inſtitutionem in Cœna Domini, qui non dixit hoc faciendum in honorem Sanctorum, ſed ſimpliciter *in meam commemorationem*. Item, oblationem Sacrificii cultum eſſe ſupremum, ac latriæ, & ideo uti ſoli Deo debitum, ſuperſtitionem eſſe ſi in Sanctorum honorem offeratur; & eo magis eſſe ſuperſtitionem, ſi in honorem Sanctorum ea intentione offeratur, ut per merita & preces Sanctorum *in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio*, quaſi merita Chriſti non ſufficerent. Nam quoad primum, verum quidem eſt, quod cum Sacrificium primario directum ſit ad Deum ſupremo honore colendum, hoc in ultima Cœna inſtituens non dixit Chriſtus conceptis verbis, quod hoc fieret etiam in honorem Sanctorum, ſed in ipſius commemorationem: *In mei memoria facietis:* non tamen prohibuit, ut indirecte & ſecundario in Sanctorum honorem offerri poſſet: Imo Eccleſia, quæ eſt fidelis interpres & cuſtos voluntatis Chriſti ſui ſponſi declaravit licitum eſſe. Quoad ſecundum vero, eſt maniſeſtiſſima Kemnitii fallacia, quia non offertur Sanctis in honorem Dei, quod ſevera eſſet ſuperſtitioſum & impium, ſed offertur Deo, & primario in eius honorem, ſecundario vero etiam in honorem Sanctorum, quæ duo valde differunt. Quoad tertium tandem, vere maxima eſſet ſuperſtitio, ſi merita preceſque Sanctorum adiungerentur ad ſupplendum defectum & ſufficientiam meritorum Chriſti, unde maior virtus his accederet; non vero ſi adiungantur, ut iam fit, tanquam ſubſidium aliquod, ac mediatio ad implorandam divinam gratiam. Imo tantum abeſt, ut in alio ſenſu merita & preces Sanctorum adiungantur, ut vis aliqua aut efficacia meritis Chriſti addatur, quod Eccleſia, quæ ita agit, de fide ſibi habet perſuaſum, merita Sanctorum ac preces percipere, ac mutuari vim omnem ac valorem ex meritis ipſius Chriſti. Ita hic Eſtius & Habertus cum aliis.

§. VII.

De Miſſis vulgo dictis privatæ quæ ſine adſtantium communione peraguntur.

Proprie loquendo nullum Miſſæ Sacrificium ſecundum intentionem Eccleſiæ celebratum, iuxta quam omne iam Sacrificium celebrandum eſt, poteſt dici privatum, cum unaquæque Miſſa multis rationibus communis ac publica ſit, ac talis dici queat, ſicuti notant Patres Concilii Trid. ſeſſ. 22. cap. 6. Nam quælibet Miſſa ſemper offertur in gratiarum actionem pro morte Domini, quæ eſt publicum, & commune beneficium: ſemper offertur pro communi ſeu totius populi fidelis ſalute, & quomodo Chriſtus princeps & caput totius populi Chriſtiani offerendum inſtituit, offertur a publico & legitimo Eccleſiæ miniſtro, qui nimirum publica auctoritate, & ex Dei inſtitutione publice deputatur. Peragitur ritu publico, & ab Eccleſia probato, & celebratur pro publica commoditate, videlicet pro fidelibus omnibus, qui pertinent ad myſticum Chriſti Corpus; Nam nullus eorum in ullo Eccleſiæ Sacrificio excluditur a communione Sacramenti, ſaltem ſpirituali. Uſus tamen obtinuit in Eccleſia, ut hæ Miſſæ *privatæ* dicantur vel quia aguntur abſque publico & ſolemni conventu populi, ſeu frequentia, & celebrantur a Presbytero ſine miniſtrorum clericorumque comitatu, vel quia in his ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat. Hæ Miſſæ appellantur etiam *ſolitariæ*, ut habetur in cap. *Et hoc attendendum de conſecr.* diſt. 2. num. 52. *Miſſæ peculiares*. Contra haſce Miſſas acriter debacchantur communiter Novatores. Cum enim negent veri Sacrificii oblationem, volunt Miſſam eo tantum fine eſſe inſtitutam, ut Sacramentum petentibus porrigatur; ac ideo damnant omnes Miſſas, in quibus communio non miniſtratur, unam tantum admittentes communem & publicam miniſtrandi cauſa Sacramenti ſervatam; & aiunt, Miſſas privatas nonniſi quæſtus cauſſa inductas fuiſſe. Ut igitur aperiatur quam pius ſit Eccleſiæ uſus in Miſſarum privatarum celebratione, & ad inanes heterodoxorum diluendas calumnias ſit. Ex quo miſſæ dicantur privatæ.

Nihil pugnat ſi dicamus omnino licitas eſſe Miſſas privatas, imo ratio omnis eas utriuſque generis licitas eſſe demonſtrat, ideſt ſive tales dicantur, quia ſiunt abſque ſolemni ac publico populi conventu, vel a ſolo Presbytero ſine miniſtris, vel quia in iis ſolus Sacerdos communicet. Hic enim uſus

Miſſæ

Miſſæ ita privatæ fuit olim ab ipſo Eccleſiæ initio: idcirco immerito & maniter reprehendunt Sectarii quod ipſa protegit religioſa antiquitas. Habetur a S. Gregorio Magno hom. 27. in Evang. Caſſium Narnienſem Epiſcopum inſtante morte celebraſſe in privato Oratorio ſui Epiſcopii; idemque lib. 2. ep. 9. mandat Criſpo Armenenſi Epiſcopo, ut cuidam religioſæ matronæ oratorium conſecret, prohibens interim, ne in eo fiant Miſſæ publicæ, aut Baptiſterium conſtruatur. Item S. Aug. lib. 22. *de Civit. Dei* cap. 8. narrat in domo quadam ruſtica, quam maligni ſpiritus inquietabant, oblato Sacrificio illi malo remedium attuliſſe. Idem ep. 23. *ad Bonifac.* teſtatur, Chriſtum *quotidie* ideſt quotidiano Sacrificio immolari, & tamen alibi, nempe ep. 118. cap. 2. ait; *magis ſibi placere ut fideles populi diebus dominicis tantum communionem percipiant, quam quotidie*. Sæpe igitur offerebatur Sacrificium populo non communicante. S. Ambr. quoque referente S. Paulino in eius vita, rogatus Romæ in privatis quibuſdam ædibus Sacrificium obtulit, & ſimilia habentur ex S. Ioan. Chryſt. hom. 60. ad populum Antiochenum, ex S. Greg. Nazianz. in lib. 9. *Hiſtoriæ tripartitæ* cap. 8. & ſic ex aliis Patribus. S. Pontifex Soter vetuit quidem ne Miſſa celebraretur niſi duo ſaltem adeſſent, nihil vero addit de communione. Imo illud quod iuſſerat Soter, moderavit Concilium Moguntienſe can. 43. requirens ſolam præſentiam unius Miniſtri, qui Sacerdoti inſervire queat. Et inter Concilia antiquiora, quæ de hac re egerunt, præferri poteſt Agathenſe can. 14. in quo permittit extra Parochiam Oratoria habere, in quibus pro privata familia Miſſæ celebrentur: Et can. 31. nihil plus exigit a laicis, niſi ut Miſſas integras die Dominico audiant, nec diſcedere præſumant ante benedictionem. Idem ſtatuit Aurelianenſe cap. 28. Et equidem, ſi non liceret Sacrificium celebrare, niſi etiam adſtantes communicarent, non facile & Fabianus Pontifex citatus a Gratiano cap. *Si una diſt.* 1. & Elibritanum Concilium ibid. *diſt.* 2. cap. *omnis homo*. & Toletanum primum cap. 13. probaſſent fideles certis ſolummodo temporibus communicantes. Eſtius.

His omnibus ratio addi poteſt, quæ etiam patens eſt, ad eorum confirmationem, nempe Chriſtum nunquam præcepiſſe, ut Sacerdos nonniſi cum populo, & in populi cœtu ſacrificet. Ab Apoſtolis item non invenitur hoc præſcriptum fuiſſe; idcirco ſemper liberum fuit in Eccleſia catholica, & fidelibus vel quotidie, vel certis diebus communicare, & Sacerdotibus quotidie, ſi vellent, celebrare. Hoc olim in Eccleſia iam adeo obtinuit, ut ob hanc cauſſam præcipue Sacrificio datum fuerit epithetum *quotidiani*. Quare ſi quotidie Sacerdos Sacrificium hoc offerre vellet, & fideles communicare nollent, non exinde aut ille impediri debuit quo minus celebraret, aut iſti quo minus intereſſent non communicantes, quando nulla lege adſtringuntur ad communicandum, ut recte dictum fuit a S. Auguſtino antea laudato.

Inſuper accedit, quod hoc Sacrificium etiam pro peculiaribus beneficiis ſive acceptis, ſive accipiendis offerri poteſt; & id non a toto populo, ſed a conſanguineis etiam & amicis defuncti, vel cuiuſcumque alterius; ut conſtat ex S Aug. *de cura mortuorum* cap. 1. & 4. & lib. 9. *Confeſſ.* cap. 11. & 12. & alibi. Patet autem hæc Sacrificia non fuiſſe publica, ut non fierent ſine populi conventu, cum veriſimile non ſit, ſolitum fuiſſe ad huiuſmodi populum convocari: & cum hæc ad præſens inſtitutum ſatis ſint, qui maiora ſcire cupit, adeat Dogmaticos, quorum cum ſit ex profeſſo hæc pertractare, fuſius ab his res agitur; inter quos legi poſſunt Bellarminus, Eſtius, Habertus, aliique. Quadruplex cauſſa inſtitutionis Sacrificii.

§. VIII.

De cauſſa finali Sacrificii Miſſæ.

Mirum videri non debet, quod cum Sacrificium Miſſæ ſit idem cum Sacrificio crucis, ultra illud crucis hoc quoque inſtitui deberet. Quadruplex enim eſt cauſſa, quæ hanc mirabilem exquirebat inſtitutionem, ut facile colligi poteſt ex Synodo Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. Prima deducitur ex neceſſitate Sacrificii exterioris in hominum ſocietate, ut iam antea demonſtratum eſt. Secunda ab imperfectione Sacrificiorum legis tum naturæ, tum ſcriptæ, delendarum per Chriſtianam religionem. Tertia a grata memoria quam perennem habere debent Chriſtiani paſſionis & mortis Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti. Quarta ab uberiori paſſionis fructu qui per Miſſæ Sacrificium tamquam per canalem ad nos defluit; quæ graviſſimæ cauſſæ breviter exponentur.

Et quoad primam, iam antea dictum eſt de ſacrificio quod ſit iuris naturalis, ac proinde ſine eo veram non poſſe extare Religionem. Chriſtiana Religio, quæ veluti nova vera viventium Mater educta eſt ex latere novi Adam, ſibi arrogat ut ſacrificium

ſuum

ſuum proprium, ſacrificium crucis, in quo Chriſtus mediator Dei & hominis pretii ſolutione ſuperabundanti ad genus humanum reparandum oblatus fuit; unde merito vocatur Sacrificium redemptionis. Verum præter Sacrificium illud redemptionis neceſſe fuit inſtitui Sacrificium religionis, in quo fidelium pietas exerceretur, ac exterius profiteretur latriæ cultum erga ſupremam Dei maieſtatem ac dominium. Altera ratio Miſſæ inſtituendæ deducta ab excellentia Chriſtianæ Religionis ita exponitur: Chriſtus Dominus dum mortalis in terris moraretur, potiſſimum ſibi propoſuit, *ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius*, ut ait Apoſt. Epheſ. 5. Religionis vero excellentia petitur ex perfectione cultus, qui in ea Deo redditur. Hinc reiecta eſt Synagoga, utpote quæ imperfecta haberet ſacrificia; *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius; & inutilitatem*, Apoſt. Hæbræor. 7. & in eod. cap. ſubſumit: *Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat... quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem? Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt ut & legis tranſlatio fiat*. Finis ſiquidem legis eſt cultus Dei, qui oblatione Sacrificii conſummatur. Igitur ſumma Religionis Chriſtianæ excellentia exigit ſacrificium præſtantiſſimum & dignum ſuprema Dei maieſtate. Honor vero & cultus æſtimantur & ex dignitate offerentis & ex magnitudine rei oblatæ; unde cum Gentes omnes ſecundum ſcripturam ſint coram Deo veluti nihilum ac ſi non eſſent, & cum ſint ipſi inferiora quæcumque offerre poſſunt; neceſſe fuit ut exurgeret Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, qui utrique defectui providit per inſigne Miſſæ Sacrificium, in quo ipſe eſt ſimul offerens & hoſtia, ut habemus ex S. Aug. in pſalm. 109. *Quid invenerit homo quod daret*, ait S. Doct. *quid mundum offerre poteſt peccator?.... quære extra te quid offeras, non delectatur arietibus, nec hircis, nec tauris: offerat ergo ſeipſum mundus Sacerdos (Chriſtus Dominus) ut mundet hoc quod Deus fecit*. Er de offerente talem victimam ait lib. 10. *de Civitate Dei* cap. 20 *Sacerdos eſt ipſe offerens, ipſe & oblatio, cuius rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ Sacrificium, cum ipſius corporis ipſe ſit caput: tam ipſa per ipſum, quam ipſe per ipſam conſueſcit offerri*. Nimirum ſecundum doctrinam S. Doctoris Sacrificium exterius eſt ſignum ſacrificii interioris, ut fideles offerendo exterius Sacrificium corporis & ſanguinis Domini, ſeipſos cum Chriſto offerant, & huiuſmodi hoſtiam Deo dignam utpote infinitam, & quidem per ipſum & in ipſo, qui eſt principalis offerens etiam infinite dignus. Unde religionis Sacrificium in eo differt a ſacrificio Crucis ſeu redemptionis, quod in cruce caput ſolum Eccleſiæ, ideſt Chriſtus, ſeipſum offert: in ſocietate vero chriſtianorum, nempe ſui corporis, totus ipſe caput ſimul & corpus offertur, ſimulque per ipſum magnum, ac principalem Sacerdotem, & per fideles, qui tanquam eius membra participes ſunt regalis ac ſpiritualis eius Sacerdotii. Symbolum iſtius admirandi myſterii agnovit S. Cyprianus in mixtione aquæ cum vino Sacrificii: aqua enim ex Apocalyſ. 17. populus eſt, & vinum ſanguis Domini: aqua ſola eſt plebs ſine Chriſto: neutra debet eſſe ſeparata materia Sacrificrificii, ſed utriuſque mixtione fit univerſale Eccleſiæ Sacrificium Deo acceptiſſimum.

Tertia autem cauſſa Miſſæ inſtituendæ eſt ut diximus, ut grato animo commemoratio fiat paſſionis Domini, aliorumque Dei beneficiorum, quod maxime commendatur in divinis Scripturis, & a SS. Patribus. Ait enim Chriſtus Dominus Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; & D. Paulus 1. Corinth. 11. *Quotieſcumque enim manducabitis, panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Et S. Auguſt. lib. *de ſpiritu & littera* cap. 11. ait: *cultus Dei in hoc maxime conſtitutus eſt, ut anima Deo non ſit ingrata*. Gratitudo requirit ut tantum reddatur quantum fuit acceptum. Ne ingrati ergo videremur inſtituit Chriſtus Dominus hoc Sacrificium, in quo quantum recepimus tantum retribuimus, ſcilicet ipſum Chriſtum, & nos totos cum Chriſto: *Quotidie*, ait S. Aug. lib. *contra Iudæos* cap. 67. *immolatur in Eccleſia, quia in gratiarum actione perpetuo permanere debemus*. Unde Miſſæ Sacrificium tamquam proprio nomine appellatur Euchariſticum ex omnibus quæ ipſi conveniunt, & Sacerdos in Præfatione quæ Canonem præcedit invitat populum ad gratias Deo reddendas dicens: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*.

Quarta cauſſa tandem huius Sacrificii eſt, ut videlicet impetremus auxilia ac dona, quæ mediator noſter per mortem ſuam promeruit. Hoc colligitur evidenter præcipue ex veteribus Liturgiis, necnon ex SS. Patrum ſcriptis in quibus habetur, morem ſemper fuiſſe Eccleſiæ iſtud Sacrificium offerre obſecrationibus, poſtulationibus, gra-

tia-

tiarum actionibus iuxta regulam Apoſtoli 1. ad Timoth. cap. 2. Et equidem, ſi Chriſtus Dominus ſummus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech ſine iniuria cruenti Sacrificii cœlum in proprio ſanguine ingreſſus eſt, ut ſtet in conſpectu Dei ad interpellandum pro nobis; certum eſt id ipſum facere in hoc Sacrificio, quod in memoriam ſuæ paſſionis celebramus. Nec ſupervacaneum cenſendum eſt Sacrificium, eo quia per Sacramenta fructus divinæ paſſionis nobis ſufficienter participetur, quia Sacramenta ſolis proſunt ſuſcipientibus, & adultos ſupponunt diſpoſitos, nec alias eos diſponunt; imo indiſpoſitos minime ſanctificant, ſed nova ſacrilegii labe commaculant. Sacrificium vero offertur pro omnibus, & omnibus etiam infidelibus & obſtinatis prodeſſe poteſt. Ex his igirur

Sequitur 1. Chriſtianam religionem per Sacrificium Miſſæ ſuper cæteras excellere, ut veritas figuram, umbram corpus excellit.

De devotione requiſita a fidelibus Miſſæ Sacrificio.

Sequitur 2. quod ſpecialis fidelium devotio requiritur, quando ad Miſſæ conveniunt Sacrificium, ſpecialiſque charitas, ut Chriſto tate coniuncti fiant cum ipſo una totalis hoſtia, & cum ipſo non diſſimili affectu ſe totos Deo immolent in proteſtationem ſuæ dependentiæ, gratitudinis, ac pœnitentiæ pro peccatis, cum Sacrificium exterius, ut diximus, Sacrificii interioris ſignum ſit & teſtimonium.

§. IX.

De effectibus Sacrificii Miſſæ.

Nota 1. effectus Euchariſtici Sacrificii alios eſſe circa bona ſpiritualia, alios circa bona temporalia.

Gratia & peccatorum remiſſio conferri poteſt mediate, & immediate.

Nota 2. gratiam & remiſſionem peccatorum conferri poſſe vel proxime ac immediate, vel mediate tantum. Sacramenta cum inſtituta ſint a Deo ad gratiam conferendam, eam immediate conferunt: Sacrificium vero confert mediate tantum, ſcilicet impetrando gratiam, per quam homines excitentur ad pœnitentiam, & converſionem, & recurrant ad Sacramenta, quæ gratiæ ſunt fontes, organa, ſeu inſtrumenta.

Nota 3. in peccato poſſe attendi & reatum culpæ, & reatum pœnæ temporalis, quæ etiam poſt condonatam culpam ſolvenda, ſeu luenda remanet. His prænotatis ſit.

Ad quid valeat Miſſæ Sa.

Miſſæ Sacrificium, ut eſt propitiatorium, valet ad obtinendam iis, pro quibus offertur, veniam peccatorum mortalium & venialium quoad culpam, & ſatisfactionem ſeu remiſſionom pœnæ temporalis, quæ pro peccatis condonatis ſolvenda remanet. Et hoc eſt de fide: nam Matth. 26. habetur teſtimonium ipſius Chriſti, qui cum hoc Sacrificium inſtituit, de hoc in calicis conſecratione admonuit: *Hic eſt calix .... qui effundetur in remiſſionem peccatorum*. Et Apoſt. Hebræor. 5. ait de huius Sacrificii Miniſtro: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur ... ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*; & hoc pariter perpetua docet traditio, ut habetur ex SS. Patribus, & præcipue D. Aug. quæſt. 57. in Levit. ubi ait: *In multis Sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc noſtrum Sacrificium ſignatur, in quo fit vera remiſſio peccatorum*. Hinc de tali huiuſce Sacrificii efficacia ſic definivit & docuit Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. *Sacrificium iſtud eſſe vere propitiatorium... Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit*.

crificium ut propitiatorium.

Non eodem tamen modo culpam remittit, ac temporalem pœnam, quæ poſt culpæ condonationem luenda remanet: Nam remiſſionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis quoad culpam iam remiſſis immediate confert hoc Sacrificium, idque autem plus aut minus pro Dei voluntate, & diſpoſitione ſubiecti, pro quo offertur; cum offeratur hoc Sacrificium etiam pro defunctis, qui cum non ſint amplius in ſtatu merendi, nihil cooperantur ad illius pœnæ relaxationem: creditor vero poteſt debitum remittere debitori etiam ipſo inſcio; unde in hoc differt pœnæ relaxatio a remiſſione culpæ, quod hæc fieri nequit ſine interiori peccatoris mutatione, & diſpoſitione, ſi peccator ſit adultus; illa vero eſt mera exterior condonatio: actus vero culpæ, cum hic remitti nequeat immediate niſi per Sacramenta, utpote a Chriſto Domino ad hoc inſtituta, per Sacrificium remittitur tantum mediate, prout ſcilicet intuitu & merito huius Sacrificii conferuntur peccatori, pro quo oblatum eſt, actuales gratiæ, quibus ad pœnitentiam excitatur, ac diſponitur ad conſequendum iuſtificationem per Sacramentun Baptiſmi, & Pœnitentiæ, per quod vel in re, vel in voto ſuſceptum, peccatorum remiſſio immediate obtinetur. Duo enim adverſantur reconciliationi; ira ſcilicet ac indignatio perſonæ offenſæ, & offenſionis malignitas. Quare mediator reconciliationis curare & agere debet, & ut perſonæ læſæ animum iram-

iramque leniat, & ut qui læſit ſuam culpam agnoſcat, ac dolens de offenſa, & ſupplex offenſum adeat; quæ ſatis ſuperque præſtat Redemptor noſter Chriſtus Dominus in Miſſæ Sacrificio, in qua per ſanguinis ſui oblationem placat Dei iuſtitiam, ipſiuſque gratiam peccatori impetrat: Nam niſi miſericorditer Deus præveniat, numquam peccator ſupplex ad eum recurret, nec a malitia recedet. Non ſemper tamen tam propitios effectus divini Sacrificii obtinet peccator, qui talibus gratiis ſua contumacia reſiſtit. Habertus & P. Antoine.

Non ſecus vero ac peccatoribus ad veniam remiſſionemque tam culpæ quam pœnæ, Sacrificium hoc prodeſt etiam iuſtis ad ſanctificantis gratiæ augmentum, non immediate tamen, quia hoc quoque ex divina inſtitutione ſpectat ad Sacramenta, ſed mediare, quatenus per illud gratiæ actuales conceduntur, quarum auxilio eliciunt iuſti bona opera, quæ merentur de condigno huiuſcemodi augmentum. Et hoc patet ex iam dictis; cum omnibus manifeſtum ſit, actuales gratias eſſe adminicula ad bene operandum, & in opere bono perſeverandum.

Verum quia hoc Sacrificium, ut antea notavimus, eſt quoque impetratorium, vim habet impetrandi genera omnia beneficiorum, etiam temporalium, puta, ſanitatem, eccleſiarum tranquillitatem, ſalubrem aeris temperiem, ubertatem terræ, frugum conſervationem, aliaque omnia huiuſcemodi bona, prout ad ſalutem conveniunt, ſed iuxta divinæ Providentiæ diſpoſitionem. Et hoc comprobat perpetua Eccleſiæ praxis & traditio, quæ ſemper uſa eſt impetrare ſuis fidelibus per altaris Sacrificium etiam temporalia beneficia, ut teſtatur S. Chryſoſt. hom. 71. in Ioan. *Pro infirmis*, inquit, *& terræ & maris, & univerſi orbis fructibus ſacrificamus*; & ita habetur in Concil. Trid. *Quare*, inquit, *pro fidelium peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus..... iuxta Apoſtolorum traditionem offertur*. Et equidem, ait Bellarminus, ſi oblatio Euchariſtiæ pro peccatis dimittendis valet, certe etiam pro aliis neceſſitatibus, quæ ex peccato ortæ ſunt, valere debet: & ſi Deus hoc Sacrificio placatus in gratiam cum inimicis ſuis reddit, quanto facilius ob idem Sacrificium adducetur, ut amicis, & reconciliatis bona temporalia tribuat, ſi id eis utile fuerit.

§. X.

De modo quo operatur hoc Sacrificium, ſcilicet an ex opere operato, an ex opere operantis.

Sacrificium hoc, utpote quod non ſit inſtitutum ad gratiam ſignificandam, quemadmodum Sacramenta, ſed ad cultum Deo exhibendum; ideo non operatur in ratione ſigni, quia Sacrificium ſumptum ſic præciſe gratiam non ſignificat; Sacrificium enim vel ſumitur in adæquate pro exteriori oblatione victimæ, & ita acceptum eſt quidem ſignum, ſed Sacrificii interioris, non vero gratiæ; vel ſumitur adæquate, pro interiori ſimul & exteriori oblatione; & in hac poſteriori acceptione eſt exhibitio ſummi honoris erga divinam maieſtatem & bonitatem. Hæc autem actio cum ſit eximiæ charitatis erga Deum, eſt impetratoria gratiæ; imo ſi fiat ab homine iuſto, eſt meritoria de condigno: unde Sacrificium operatur per modum impetrationis, & non ſecus ac quædam inſignis præcipuaque oratio; quia qui captare cupiunt alicuius potentis viri patrocinium ac gratiam, ad preces addere ſolent munera, quæ vim habent efficacius movendi: & hic modus operandi tribuitur a Concil. Trid. noſtro altaris Sacrificio, ut habetur in cap. 2. ſeſſ. 22. *Huius quippe oblatione*, ſic locuti ſunt Patres Trid. *placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit*. Sic Habertus. Sacrificium operatur per modum impetrationis, non vero ſigni.

Impetratio vero quæ fit per Miſſæ Sacrificium, vim habet & efficaciam ex opere operato, non quidem ad modum ſigni ſeu Sacramenti, cum ut dicebamus, Sacrificium non operetur in ratione ſigni, ſed per certam, ac infallibilem ex inſtitutione Chriſti impetrationem. Illud enim procedere dicitur a Theologis ex opere operato, non ex opere operantis, quod procedit non ex operantis diſpoſitionibus, ſed ex virtute & efficacia quam Deus tali operi contulit, ut quandocumque ſecundum eius inſtitutionem tale opus operetur, nullo oppoſito voluntariæ culpæ obice, talis effectus ſequatur, ut contingit in Baptiſmate, quod ſi fiat illis datis circumſtantiis, quibus talis ablutio determinatur ad eſſe Sacramenti, quæcumque ſit baptizandi diſpoſitio, fides, & ſanctitas, dummodo recipiens ſi ſit adultus, culpæ obicem non ponat, ex virtute & efficacia, Impetratio quæ fit per Sacrificium, vim habet ex opere operato.

quam

quam in huiuſce Sacramenti inſtitutione contulit huic ablutioni Chriſtus Dominus, certiſſime ex opere operato ſanctificatio ſequitur recipientis. Quare cum vis & efficacia impetrationis quæ habetur in altaris Sacrificio, divina inſtitutione fluat, emanet, ac pendeat ex ipſa externa Sacrificii oblatione, non autem a Miniſtri probitate (eo quia non minus quam Sacramenti, Sacrificii quoque vis non pendeat a bona vel mala Miniſtri conditione. *Munda illa oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentis inquinari poteſt*, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 22. in cap. 1.) ſequitur quod impetratio quæ fit in Miſſæ Sacrificio vim habet & efficaciam ex opere operato, quia, ut docent verba Concilii, vis talis impetrationis non repetitur ex miniſtrantis hominis diſpoſitionibus, ſed tum ex dignitate infinita hoſtiæ, rum ex perſona Chriſti illam offerentis. Concilium enim Trid. cit. ſeſſ. cap. 2. docens per noſtrum Sacrificium peccata remitti, non aliam rationem affert, niſi quia eadem eſt hoſtia, & idem offerens qui fuit in Sacrificio crucis. Vis igitur & efficacia Sacrificii fluit ex Chriſto, qui ſimul hoſtia eſt, & principalis offerens, cuius virtutem & efficaciam miniſter ſecundarius & minus principalis iuxta cit. Trid. ſua malitia impedire, aut retardare non valet.

Miſſæ Sacrificium vim habet et iam ex opere operantis.

Miſſæ Sacrificium vim habet non ſolum ex opere operato, ſed etiam ex opere operantis, nempe ex pietate & devotione offerentis. Quia cum valeat per modum impetrationis ſeu precationis, quo magis fervida eſt, & ardens ipſius offerentis ad Deum oratio, effectum maiorem producit. Si enim cætera virtutum opera Deo ſunt grata, & uberiora gratiæ auxilia impetrant, prout ab aliquo ſuo amico, & ex charitate procedunt; certe ob eamdem rationem fiet ut Deo placeat Sacrificium, quod eſt excellentiſſimum, ac inſignius noſtræ Religionis opus. Nam ſi iuſti, ideſt qui ſunt in ſtatu gratiæ per quodlibet bonum opus mereri poſſunt, impetrare, ſatisfacere, multo magis hoc poterunt per opus Sacrificii. Hic tamen advertendum eſt, iuſtum mereri poſſe pro ſe de condigno, pro aliis vero ſatisfacere, ac impetrare.

Ut Miſſæ Sacrificium proſit ex opere operato iis pro quibus offertur, neceſſario requiritur propria intentio, & applicatio Sacerdotis celebrantis, ut Suarez, Sylveſter, Armilla cum aliis: Quia Sacerdos vi ſuæ ordinationis conſtitutus eſt a Chriſto Domino Miniſter, ac diſpenſator myſteriorum Dei, & donorum, & in eius ordinatione poteſtatem Sacrificium offerendi recipit, ac ideo fructum eius offerendi pro vivis ac defunctis; & ſic ſi Sacerdos non faciat applicationem, nemini fructus eius prodeſt, & dicunt Theologi tranſire in theſaurum Eccleſiæ.

Non eſt tamen illicitum Sacerdoti anticipare celebrationem Miſſarum, quando ſingulis hebdomadis Miſſam celebrare tenetur pro obligatione alicuius Cappellaniæ, dummodo aliter non exprimatur in Cappellaniæ fundatione, ex quo aliqua voluntas fundatoris defraudata remaneret, puta ſi fundator intendiſſet illis ſtatutis diebus honorem alicuius Sancti, vel Myſterii, aut populi commodum vel eius devotionem fovere. Poteſt item anticipare, quando is qui fructum Sacrificii eſt percepturus, non eſt ſpes quod melius ſe diſponat ad fructum percipiendum, quia tunc non ſuſpenditur fructus Sacrificii poſtmodum applicandus, ſed ſtatim applicatur ſecundum intentionem præſentem certam ac determinatam, & nihil fit contra voluntatem, & in damnum defuncti. Ita Barboſa ſupra citatus cum aliis.

§. XI.

De valore Sacrificii Miſſæ.

Poſito quod Sacrificium Miſſæ vim habeat & efficaciam ex opere operato, alia ex hoc oritur difficultas videlicet num hæc virtus & efficacia Sacrificii ſit valoris finiti vel infiniti, ſicuti Chriſtus qui eſt principalis Sacerdos, & offerens & hoſtia ſimul, eſt meriti infiniti: ratio eſt, quia ſi Sacrificium infinitam habet efficaciam, æque prodeſt ſi pro pluribus ac pro uno offeratur; aliter vero ſi illius efficacia ſit finita. Diſcrepant circa hanc difficultatem Theologorum ſententiæ. Alii enim contendunt ex Chriſti inſtitutione vim habere finitam, ac limitatam: alii vero conſiderantes Sacrificium Miſſæ idem eſſe cum Sacrificio crucis, infinitam eſſe eius vim propugnant; & eo vel maxime, quod ex nullo Scripturæ teſtimonio manifeſte deduci queat, Chriſtum Dominum ipſius Sacrificii inſtitutione conſtituiſſe, ut hoc Sacrificium quoad ſe virtutem in ſuis effectibus finitam haberet. Et ut clarius res innoteſcat.

Notandum, quod cum in Sacrificio Miſſæ eadem ſit hoſtia, idem principalis Sacerdos, & offerens (nempe Chriſtus Dominus) qui fuit in Sacrificio crucis, cuius illud eſt innovatio & commemoratio, tale Sacrificium,

cium, ex dignitate, & merito infinitis tum victimæ, tum Sacerdotis, eſt infinitæ virtutis & efficaciæ, ut non ſolum ſufficiens ſit, ſed etiam efficax ut infinitis proſit hominibus; finitum tamen redditur in ſui applicatione, non quia Chriſtus Dominus in ſua inſtitutione diſpoſuerit quod virtutem finitam haberet & efficaciam, cum hoc nullibi conſtet, ſed ratione tum ſubiecti cui eſt applicabile, tametſi penes innumeri crearentur homines; tum ratione devotionis & diſpoſitionis, ad cuius menſuram fructus Sacrificii participantur. His poſitis, ſit.

Sacrificium Altaris valoris eſt infiniti ad divina impetranda beneficia & applicanda.

Sacrificium crucis, ut fatentur contrariæ ſententiæ patroni, ratione infinitæ dignitatis offerentis vim habuit infinitam ad nobis divina promerenda beneficia: Unde cum Sacrificium altaris, ut docet D. Chryſoſt. *homil.* 60. ad populum Antiochenum, in nulla re minus ſit Sacrificio quod fecit Chriſtus in cruce, & ultima Cœna, ſequitur ad evidentiam, hoc quoque valoris eſſe infiniti ad divina impetranda beneficia & applicanda; cum Sacerdotes in perſona Chriſti, nomine illius, ac eiuſdem verbis, & illius vicem gerentes hoc offerant: Nam inſtitutum eſt ad applicanda quæ Chriſtus nobis in ſua paſſione promeruit. Hoc confirmat B. Albertus magnus apud Philibertum *de Sacrificio Miſſæ* part. 2. cap. 72. propoſit. 1. aliique Patres, cum dicant hanc oblationem incruentam factam a Sacerdote nihil minus habere cruenta a ſolo Chriſto peracta. Quare licet Sacrificium Miſſæ habeat effectum finitum ſecundum menſuram humanæ devotionis & diſpoſitionis, cum tamen eius virtus & efficacia radicetur in principio infinito, quod eſt dignitas victimæ, & principalis offerentis, (ideſt Chriſtus Dominus) ſemper verum eſt, quod in ſe infinitum ſit, non ſecus ac Sacrificium crucis, quod ratione meriti infiniti Chriſti in hoc Sacrificio oblati fuit efficaciæ, & valoris infiniti, licet applicabile ſubiecto finito, ut eſt genus humanum. Ita docet D. Thom. 3. part. quæſt. 79. art. 5. ubi ait: *Quamvis hæc oblatio ex ſua quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen ſit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel offerentibus ſecundum qualitatem ſuæ devotionis; unde æque prodeſt ſi pro pluribus, ac ſi pro uno applicetur.* Confirmat hanc ſententiam praxis Eccleſiæ, ſecundum quam tenetur Sacerdos offerre Sacrificium pro omnibus vivis ac defunctis, tametſi eleemoſynam ab aliquo acceperit, ut ſpecialiter celebretur: Nam ſi hoc Sacrificium eſſet finitæ efficaciæ, fieret ei iniuria, qui eleemoſynam obtulit, ſi Sacrificium pro pluribus offereretur, quia ei minus prodeſſet. Sentit igitur Eccleſia, valorem Sacrificii non minui dum pluribus communicatur, ac ideo in ſententia Eccleſiæ infinitus eſt, ita ut quantumvis pluribus applicetur, nunquam exhauriatur, nemini præiudicetur, & quicumque ſi ample ſe diſponat, amplum fructum percipere poteſt, cap. *non mediocriter de conſecr.* diſt. 5. in quo ſic legitur: *Dum pro cunctis animabus pſalmus aut Miſſa dicitur, nihil minus quam ſi pro uno quolibet ipſorum diceretur, accipitur.* Inſuper optat Eccleſia, hortatur, vel potius præcipit, ut frequenter conveniant fideles ad Miſſam Parochialem. Certe ſi ex eo quantum plures ſunt aſtantes, minor fructus a ſingulis eſſet percipiendus, præferenda eſſet Miſſa privata, ad quam pauciores conveniunt, quod eſt abſurdum. Sic Habertus.

DD. triplicem diſtinguunt fructum Sacrificii.

Theologi, Canoniſtæ ſolent hic reſpondere, diſtinguendum eſſe triplicem Sacrificii fructum, videlicet generalem pro omnibus, & in ordine ad hunc primum effectum virtutem Sacrificii eſſe infinitam; ſpecialem pro eo qui eleemoſynam largitur, & ſpecialiſſimum qui convenit celebranti; & quoad duos poſtremos effectus, dicunt virtutem Sacrificii eſſe finitam. Sed hæc diviſio triplicis fructus ſupponit quod probandum eſt, nempe in priori acceptione fructum eſſe infinitum, in aliis vero duabus finitum. Confirmat priorem ſententiam Habertus cum paritate Sacramenti, nempe, quod ſi idem numero Sacramentum poſſet pluribus applicari, non ſecus ac Sacrificium, omnibus æque prodeſſet. Inſuper licet dicat ordinem ad unum, non videtur nihilominus habere virtutem limitatam ac finitam: Nam ſicut accedens poteſt magis ac magis in infinitum eſſe diſpoſitus, ſic Sacramentum vim habet conferendi gratiam maiorem ac maiorem in infinitum; Nemo enim dicere audebit, accedentem ita perfecte eſſe diſpoſitum, ut veluti exhauriat Sacramentum, ut ſi denuo cum tali diſpoſitione accedat nihil Sacramentum in eo operetur.

Dices, hoc Sacrificium quod modo offertur, limitari per Sacerdotem offerentem, qui eſt finitus. Sed reſp. quod ſicut Sacrificium oblatum a Sacerdote malo non ideo ab eius malitia inquinatur, ut docet Trid. Synodus ſeſſ. 22. cap. 2. ita nec a Sacerdote finito accipit finitatem. Ratio utriuſque eſt par. Inſuper oblatio, qua res offertur infiniti valoris a perſona infinita tanquam prin-

principali Miniſtro, iure merito cenſeri debet valoris infiniti, licet per alium miniſtrum ſecundarium parvi aut nullius valoris eam rem oblatam mittat. A Chriſto enim Domino ſumit valorem, qui idem eſt ac ille ſacrificii oblati immediate ab ipſo Chriſto Domino in ultima Cœna; & æternus Pater hunc reſpicit, cuius nomine ac verbis nunc ſibi oblatum eſt Sacrificium, non vero Sacerdotem ſecundarium Miniſtrum, quiſque ſit ille ſive finitus ſive peccator.

Dices ulterius, Chriſtum voluiſſe quod Sacrificium altaris haberet virtutem & valorem finitum & limitatum, eo ipſo quod voluerit hoc frequentari. Sed reſp. ad frequentationem huius Sacrificii ſatis eſſe, quod licet valor ſit infinitus, finito tamen modo participetur pro menſura devotionis, ac proinde ex frequentatione Sacrificii novus maior effectus proveniri poſſit.

Opponunt Inſuper contrariæ ſententiæ patroni 1. quod ſi valor Sacrificii eſſet infinitus, inique ageret Sacerdos offerendo pro uno, quando ſine diminutione fructus pro pluribus offerri poſſet: Et communiter tribuere ſolent catholici eleemoſynam, ut Sacrificium ſibi applicetur. Igitur eſt communis ſenſus Eccleſiæ catholicæ, Miſſæ Sacrificium pro uno oblatum plus ei prodeſſe, quam ſi pro pluribus offereretur. 2. Summi Pontifices Urbanus VIII. Alexander VII. prohibent ne Sacerdos qui plura ſtipendia recipiat pro celebrandis totidem Miſſis, per unum Sacrificium debito ſuo ſatisfacere præſumat, & declararunt ita agentem peccare contra iuſtitiam, ac teneri ad reſtitutionem. 3. ſi Miſſa efficaciam haberet infinitam, fruſtra innumera offererentur Sacrificia ad eam rem impetrandam, unde moriturus fruſtra plura Sacrificia celebranda relinqueret, cum eumdem effectum una Miſſa non ſecus ac pluribus obtinere poſſet. 4. Sicut Sacramentis ineſt virtus applicandi uni merita paſſionis Chriſti; ſic Sacrificio applicandi pluribus: at virtus illa finita eſt in Sacramento; igitur & in Sacrificio.

Reſp. ad primum, non inique agere Sacerdosem uni particulari Sacrificii fructum applicantem, cum ſine huius diminutione poſſit pro pluribus applicare, 1. quia oppoſita ſententia non caret ſua probabilitate, ac ideo res eſt incerta. 2. Licet ex charitate poſſit pro pluribus ſpecialiter applicare, ſi tamen ommittat, non eo ipſo male agit; quia iam Sacrificium offert pro tota Eccleſia catholica, pro omnibus orthodoxis, & catholicæ ac apoſtolicæ fidei cultoribus, pro Summo Pontifice, pro principibus, pro circumſtantibus, pro fidelibus omnibus vivis, ac defunctis. Ad illud vero de fructu maiori percepto ex Sacrificio ab iis qui iuxta morem Eccleſiæ eleemoſynam largiuntur, ut ſpecialiter pro eis applicetur, reſp. hoc procedere, non ex eo quod fructus Sacrificii ſit finiti valoris ac efficaciæ, ſed ex meliori diſpoſitione, quam cenſentur habere qui eleemoſynas conferunt, ac curant, ut Sacrificium pro eis ſpecialiter offeratur; ſicut & qui prætermiſſis tempotalibus negotiis ad Sacrificium conveniunt, ac eo miniſtrant; hi enim maiorem fidem præſeferunt ac devotionem. Ad ſecundum vero, quod ſcilicet Summi Pontifices prohibuerint plures pro uno Sacrificio eleemoſynas, reſp. hoc factum fuiſſe 1. quia, ut diximus, contraria ſententia non caret ſua probabilitate, unde hæc certa penitus non redditur. 2. quia cultus minueretur, ſi Sacerdos uno Sacrificio ſatisfacere vellet pro copioſis eleemoſynis oblatis; & ſingulis diebus anni non offereretur Sacrificium. 3. Quia hæc eſſet Sacerdotum ſordida avaritia, quæ in grave Fidelium ſcandalum verteretur. Ad tertium negatur, Eccleſiam ſupervacanee pro impetratione unius neceſſitatis plura multiplicare Sacrificia, quia cum hic effectus pendeat a legis poſitione, & non ſemper conceditur, niſi quando Deo placuerit; ſic eſſe poſſet forſan, quod Deus decreverit id quod petitur concedere poſt multa oblata Sacrificia, ut fit in precibus, in quarum conditione computatur Sacrificium, ad quarum petita elargienda ſemper vult Deus earum perſeverantiam. Nec fruſtra moribundus plura relinquit Sacrificia pro ſe offerenda, quia quodlibet habet finitum effectum pro menſura humanæ diſpoſitionis, & devotionis; ac ideo ſolum partem pœnæ tollit, cum perdifficile ſit, aliquem ita plene & perfecte eſſe diſpoſitum, ut mereatur ex uno Sacrificio per ſe oblato totam pœnæ remiſſionem. Sed ulterius hoc argumentum nimis probat: nam ex hoc concludi poſſet, Sacrificium nullam efficaciam habere ex opere operato, cum aliquando fruſtra pro una eademque re replicetur. Quare ratio vera huius defectus deducenda eſt ex eorum indignitate, pro quibus offertur, ut ait S. Th. quæſt. 79. art. 7. ad 2. *Dicendum*, ait Angel. Doct. *quod ſicut paſſio Chriſti prodeſt quidem omnibus quantum ad ſufficientiam, ſed effectum non habet, niſi in illis, qui paſſione Chriſti coniunguntur per fidem, & charitatem;*

tem ; ita & hoc Sacrificium , quod eſt memoriale paſſionis Dominicæ . Et art. 7. *Quamvis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna , tamen fit ſatisfactoria illis , pro quibus offertur , vel etiam offerentibus ſecundum quantitatem ſuæ devotionis , & non pro tota pœna .* Unde egregie docet Caietanus , Sacrificia , aliaque Suffragia non prodeſſe infallibiliter omnibus animabus in Purgatorio detentis , ſed iis ſolummodo , quæ dum in mundo ſuo corpori unitæ peregrinabantur , ſibi hoc ſubſidium per opera iuſtitiæ promeritæ fuere . Et hoc confirmari poteſt Indulgentiarum exemplo , quæ ſecundum veriorem ſententiam non totaliter ſolvunt a reatu pœnæ temporalis niſi eos , qui per ſeipſos ſatisfacere curant ; adeo ut Indulgentiæ ſuppleant quodammodo ipſorum infirmitatem ac impotentiam , vel ſaltem mercedem alicuius eximii operis , quod per ſe præſtare non valent ; alias fideles , præcipue divites effugerent pœnitentiæ onus , aliaque Chriſtianæ pietatis opera ſub Indulgentiarum prætextu , & magno Miſſarum numero , quas poſt eorum mortem celebrandas relinquerent .

Non ſequitur tamen ex dictis in hac reſponſione , Miſſam non prodeſſe niſi diſpoſitis , cum , ut iam diximus , utiliter inſerviat , ac valeat etiam ad obtinendam primam converſionis gratiam pro infidelibus , & peccatoribus etiam obduratis . Sed reſponſio tendit ad demonſtrandum , dari poſſe peccatorem tam gravis indignitatis , ut Deus per Sacrificium exoratus nihil indignationis ſuæ remittat . Hiſce vero ulterius addendum , neutiquam pœnam temporalem remittere , nec ſanctificantem gratiam illis augere , qui adhuc ligati extant a vinculo mortalis peccati : nam & remiſſio pœnæ , & gratiæ augmentum neceſſario ſupponit remiſſum eſſe , ac deletum mortale peccatum . Ex hoc ergo fit , quod Sacrificium cæteroquin per ſe efficax non ſemper habeat ſuum effectum . Ad quartum tandem reſpondetur , non aliud ex hoc concludi , niſi quod Sacrificium & Sacramentum non habeant infinitum effectum , quod certiſſimum eſt , cum nihil creatum ſit infinitum ; ſed ſicut ex eo quia non poſſit Deus creaturam infinitam producere , tamen negari nequit eius infinita potentia ; ſic negari nequit Sacrificii , ac Sacramentorum infinita virtus , quia nonniſi finitos effectus habere poſſunt .

§. XII.

De Miſſæ proprietatibus , ſcilicet de eius neceſſitate ex parte Sacerdotis celebrandi , ex parte populi conveniendi , & communicandi .

Cum inter alias Sacrificii Miſſæ proprietates maxime interſit non ignorare ea quæ eius neceſſitatem reſpiciunt , aliis ommiſſis operæ pretium eſt , ut ea , quæ ad hanc ſpectant , diſcutiantur , & hæc tum ex parte Sacerdotis quoad eius debitum hoc Sacrificium offerendi , tum ex parte fidelium quoad debitum ad illud conveniendi , & in illo communicandi . Secundum igitur hunc triplicem reſpectum conſideranda erit neceſſitas ſancti Miſſæ Sacrificii .

Hic quæritur 1. utrum , & quando Sacerdotes Euchariſtiæ Sacrificium , offerre teneantur . 2. Utrum liceat celebrare , tametſi nullus ſit qui communicet . 3. Utrum ubi nemo eſt qui miniſtret .

Sacerdotes , quibus non incumbit cura animarum , tenentur aliquando celebrare , & iure divino .

Sacerdotes omnes , tametſi eis non incumbat cura animarum , tenentur iure divino , & eccleſiaſtico ſub mortali aliquando ſaltem celebrare . Tenentur quidem iure divino , quia Chriſti verba Lucæ 22. *hoc facite in meam commemorationem* , ſpectant ad eos omnes qui futuri erant Apoſtolorum ſucceſſores in Sacerdotio ; & hiſce verbis , ut teſtatur Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. præcepit Chriſtus Apoſtolis , eorumque ſucceſſoribus in Sacerdotio , ut hoc Sacrificium offerrent . Item quia Sacerdoti in ſua Ordinatione non tantum poteſtas , verum etiam munus & officium , illi poteſtati annexum ſacrificandi tribuitur ut Hebræor. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis , quæ ſunt ad Deum , ut offerat Sacrificia .* Unde unuſquiſque ſuſceptum munus graviter tenetur in re gravi , cuiuſmodi hæc eſt exercere , & uti poteſtate conceſſa in honorem Dei , & proximi utilitatem , ut docuit Chriſtus Dominus Matthæi 25. ſub Parabola ſervi inutilis damnati , quia abſconditum & infructuoſum reliquit talentum ſibi traditum , ut negotiatione vel uſuris lucraretur . Hinc D. Th. 3. part. quæſt. 82. art. 10. ait , Sacerdotem etiamſi ei non incumbat cura animarum , celebrare teneri in præcipuis feſtis . Quod autem Chriſtus Dominus hanc Sacrificii oblationem in ultima Cœna præceperit , docet Trid. Synodus ſeſſ. 22. cap. 1. ibi enim habetur : *ut ſumerent tradidit , & eiſdem , eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus ut offerrent præcepit*

R 2 *per*

per hæc verba: *hoc facite in meam commemorationem*, *uti ſemper catholica Eccleſia intellexit ac docuit*. Iuveninus, P. Antoine.

Sacerdotes etiam ex iure Eccleſiaſtico celebrare tenentur.

Item ex iure etiam eccleſiaſtico Sacerdotes divinum Sacrificium offerre tenentur, ut patet ex Concil. Later. IV. cap. *Dolentes de celebrat. Miſſar.* ubi recenſet inter peccata Sacerdotum, quod vix quater in anno celebrent. *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis inhibemus*. Et Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. circa quoslibet Sacerdotes ita ſtatuit: *Curet Epiſcopus, ut diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*.

Miſſa Conventualis in Cathedralibus & Collegiatis quotidie celebranda.

In Eccleſiis vero Cathedralibus, Collegialibus, & Conventualibus quotidie Miſſa celebranda eſt ſub mortali, ſaltem ab aliquo ex uſu Eccleſiæ vim legis habente, vel etiam ex fundatione.

De Obligatione Parochorum pro Miſſæ Celebratione.

Sacerdotes autem, quibus animarum cura incumbit, cuiuſmodi ſunt Parochi, ut muneri ſuo ſatisfaciant, ſicuti antea dicebam, certum eſt apud omnes ſine ulla controverſia, teneri aut per ſe, aut per alium Sacrum facere diebus illis omnibus, quibus Parochiani debent ex præcepto Sacrum audire, quia officium eſt curam habentis animarum miniſtrare parochianis quæ illis neceſſaria ſunt, ſicuti eſt Sacrificium diebus feſtis, quod ipſi ſub mortali audire tenentur.

Utrum vero aliis diebus non feſtis aut quotidie, aut ſaltem aliquibus diebus in hebdomada Parochi celebrare teneantur, in hoc ſtatuendo non conveniunt Theologi. Videtur tamen ut certum ſupponendum, quod ratione ſui muneris, ſecluſa quavis alia obligatione, ideſt conſuetudinis, ſtatuti particularis, & ſecluſo ſcandalo, non tenetur Parochus quotidie celebrare; & hæc eſt etiam communis, unde ſupervacaneum eſt in eius probationibus immorari. Difficultas itaque verſatur circa aliquos dies in hebdomada, nempe ſi ſaltem diebus aliquibus infra hebdomadam teneatur, tametſi hiſce diebus non teneatur populus Miſſam audire. Sotus, Suarez, Azorius cum alii communius, probabilius, ac rectius exiſtimant, frequentius teneri Parochum celebrare, quam teneatur populus Miſſam audire. Aiunt enim qui ita ſentiunt, quod ſi Doctores communiter docent, Parochum teneri miniſtrare ſuo gregi Pœnitentiam & Euchariſtiam non ſolum quando ipſi obligati ſunt accedere, ſed quoties rationabiliter, & opportune eorum devotio petit, (nam Parochi aluntur a populo, non tantum ut ipſis inſerviant ad adimplenda præcepta, ſed etiam ut utilia & opportuna ſaluti animarum miniſtrent; & hoc maxime ad munus pertinet Paſtorum, alioquin non ſatis animarum ſaluti proviſum fuiſſet). Eadem ratione dicendum eſt teneri eis miniſtrare hoc Sacrificium, non ſolum quando incumbit ſubditis huic intereſſe, ut ſunt dies feſti, verum etiam quando rationabiliter, & opportune hoc exquirat eorum devotio, ideſt etiam ſaltem aliquo alio die præter dies feſtos infra hebdomadam.

Imo addunt, quod ſi populus numeroſus ſit, & fructus non ſint exigui, ad Epiſcopum pertinet Parochum adſtringere, ut aliquoties puta bis, aut ter in hebdomada celebret, præcipue ſi in oppido non ſint Eccleſiæ Collegiatæ, vel Conventuales, ad quas pro Sacrificio audiendo populus concurrere poſſit: ita Layman, Bonacina, qui refert in Conc. Provinciali Mediolan. I. part. 2. tit. *de frequenti divini Officii oblatione*, præceptum eſſe Curatis, ut poſt dies Dominicos, & reliquos feſtos, ter in hebdomada, aut etiam ſæpius, prout loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem uſum divini Sacrificii poſtulabit, Miſſam celebrent.

§. XIII.

De applicatione Miſſæ facienda a Parocho pro populo.

Solet hic inſuper inquiri, num Parochus præter celebrationem Miſſæ faciendam pro populi commodo ad implendum præceptum quod urget, vel aliquando pro ſatisfacienda eius devotione, teneatur ſaltem aliquando applicare ipſum Sacrificium pro populo, & quo iure. Et 1. certum eſt apud omnes, Parochum ex nullo iure, nec divino, nec eccleſiaſtico, ſpectato ſuo munere, teneri quotidie pro populo celebrare. Nam ſi Parochus nullo iure tenetur celebrare quotidie, igitur multo minus verum erit eum teneri quotidie applicare Sacrificium pro populo. Si enim cedit principale, cedit etiam acceſſorium. Item quia nec Summus Pontifex tenetur pro tota Eccleſia, nec Epiſcopus pro tota Diœceſi, nec Generalis ordinis pro ſuis Religioſis quotidie ſacrificare: Igitur nec Parochus pro ſuis Parochianis. Tota ſtat igitur difficultas, an teneantur Parochi iis ſaltem diebus, quibus celebrare tenentur, ut plebs ſibi ſubiecta ſatisfaciat præcepto, cui obſtringitur ad Sacrum audiendum, diebus nempe dominicis, & aliis feſtis. Negant permulti ad hoc Parochum præciſe ex

vi.

vi Beneficii curati, non extante contraria conſuetudine, lege, vel fundatione, pacto &c. teneri hiſce diebus ad fructus applicationem Sacrificii pro populo, ſed ſolummodo teneri celebrare, ut populus juxta præceptum quo obſtringitur, ſacrum audire queat. Opinio tamen contraria verior videtur, quam, ut propriæ conſcientiæ conſulant, Parochi ſequi debent, utpote quæ graviora habeat fundamenta, quibus fulcitur. Primo enim Conc. Trid. ſeſſ. 23. *de reform.* cap. 1. ſic ait: ***Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus cura animarum commiſſa eſt, ſuas oves cognoſcere, pro iis Sacrificium offerre***. Mihi videtur Concilium ita clare hic loqui, ut nequidem ſuſpicandum foret, num Parochi diebus, quibus pro populo eis celebrandum incumbit, teneantur etiam pro populo fructum Sacrificii applicare; nec generatim tantum ſicuti volunt qui contrarium ſentiunt ſed ſpeciatim, non ſecus ac fit quando celebratur Sacrificium pro eo, qui eleemoſynam pro tali celebratione elargitus eſt: Nam juxta communem morem loquendi, offerre Sacrificium pro aliquo, importat, fructum ſacrificii pro illo applicare. Et equidem ita mentem Concilii explicavit ſacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres, quæ quæſita de ſimili caſu reſpectu Parochi Urceani Itanenſis Diœceſis, ideſt num diebus, quibus ex proprio officio Miſſam celebrare tenetur poſſit pro eadem Miſſa manuales eleemoſynas recipere; eadem ſacra Congregatio die 1. Sept. 1629. reſpondit: ***Quibus diebus Parochi tenentur Miſſam celebrare, non poſſe manualem eleemoſynam recipere***, & declaratio relata eſt a Barboſa in cap. 1. ſeſſ. 23. Concilii Trid. Refert hanc eamdem declarationem Congregationis Cardinalium Gavantus Clericus Regularis S. Pauli, & ait: ***Qui tenetur alicubi celebrare abſque applicatione Sacrificii, ita debet ibi celebrare, ut nullo modo accipiat ſtipendium ab alio, ut ipſi applicet Sacrificium***: quod expreſſe vetuit Sacra Cardinalium Congregatio in declaratione Decreti ***de celebrat. Miſſar.*** ſub SS. Domino Noſtra Papa Urbano VIII. emanati.... Quod etiam notent Canonici & Curati, qui tenentur Miſſam Conventualem, ſeu Parochialem in propriis Eccleſiis ratione Canonicatus ſeu Lectoriæ celebrare, quia tenentur ratione Beneficii. Unde cum Parochus ratione ſui officii celebrare debeat Miſſam, quæ dicitur Parochialis, dominicis, aliiſque diebus omnibus feſtis, ut ſua plebs præcepto ſatisfaciat, debet etiam fructum ejuſdem Miſſæ pro ipſo populo applicare, ac ideo non poteſt eleemoſynam ab aliis recipere, ut pro ipſis fructum ejuſdem Sacrificii particulariter applicet. Poteſt quidem Parochus ait Reginaldus, qui ſtat pro hac ſententia, poteſt, inquam, dum generaliter eſt applicaturus, ſicut debet, fructum Sacrificii, generaliter recipere eleemoſynas a Parochianis oblatas, ut eos ſolummodo Deo commendet in ſancto Sacrificio ſine ullo præjudicio generalis oblationis pro tota Parochia, & plebe. His addi poteſt doctrina S. Thomæ in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 2. ubi examinans, num Sacerdos poſſit pro Miſſæ celebratione recipere ſtipendium ait: ***Si tamen non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare, poteſt accipere denarios, non quaſi pretium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ***. Unde cum Parochus vi ſui muneris juxta Concilii Trid. verba teneatur ſanctum Miſſæ Sacrificium offerre diebus dominicis, & feſtis pro plebe, iis diebus nequit accepto ab aliquo ſtipendio pro aliis particulariter offerre, & ita ſentit etiam Sylvius doctiſſimus S. Thomæ interpres, qui dicit, opinionem eorum, qui contrarium ſentiunt, eſſe rejiciendam. Sed quia de tali, Parochorum obligatione adhuc aliqui Parochi dubitant, an vi Concilii Trident. & ſacræ Congregationis ejuſdem interpretis deciſionum & decretorum applicare teneantur pro ſuis ovibus, & illi præcipue, qui tenues habent reditus, ut inde nec congruam habeant; eadem ſac. Congreg. die 10. Maii an. 1692. denuo idem declaravit, etiam reſpectu Parochorum, qui congruam non habent, ut conſtat ex dicto decreto, pro cujus majore vi ac robore & inviolabili obſervantia, confirmatum fuit ab Innoc. XII. ſua ſpeciali Conſtitutione emanata die 24. Aprilis 1699. quæ incipit: ***Nuper a Congregatione Venerabilium*** &c.

Verum cum adhuc non acquieſcerent præcipue tenues habentes reditus, & Vicarii, quibus deeſt ſufficiens congrua, & Scriptores ſuper re hac diſputarent, pro ultima deciſione declaratum tandem fuit, definitum ac firmiter ſtatutum a SS. ac ſapientiſſimo Pontifice feliciſſimæ recordationis Benedicto XIV. ſua Conſtitutione ſub die 19. Aug. anni 1744. quæ incipit: ***Cum ſemper oblatas nobis***. In hac enim ſapientiſſimus & prudentiſſimus Pontifex rem funditus explicat, & tandem obſervandum ab omnibus decernit, quod multoties dicta ſac. Congregatio, & ſuus Præceſſor Innoc. XII. confirmavit, ut Parochi omnes ſine ulla exceptione, & Vicarii ſive perpetui, ſive ad tempus, ſive red-

Deciſio Bened. XIV. de applicatione Miſſæ Parochia. in pro populo.

reditus ſufficientes habeant, ſive non, inviolabiliter teneantur offerre, ſeu applicare Sacrificium pro grege ſibi ſubdito dominicis omnibus & diebus feſtis : Imo iis etiam quibus per ſuam Conſtitutionem diſpenſavit ab obſervantia, ideſt ab operibus ſervilibus, remanente tamen obligatione ſacrum audiendi. Et ut tolleret omnem ſcrupulum circa obligationem quotidie celebrandi pro populo, de quo certabant Theologi, affirmantibus aliis reſpectu eorum, qui pingues habent reditus, declaravit, reſolvit, & ab hoc onere liberos prorſus ac ſecuros in conſcientia circa hoc eſſe voluit, declarando, ac expreſſe definiendo, non teneri ad quotidianam applicationem pro populo, ſive tenues, ſive pingues habeant reditus, ſicuti neutiquam tenentur quotidie celebrare, ſed ſatis eſſe ut ſatisfaciant oneri, cui iure divino tenentur, quod applicent fructum Sacrificii pro populo dominicis, aliiſque diebus feſtis, quibus populo incumbit aſſiſtere divino Sacrificio.

Quam vero hoc conveniens & iuſtum ſit ratio ipſa, qua ſuam firmant opinionem qui ita ſentiunt, patenter demonſtrat, nempe charitas ipſa Paſtoris, quam habere debet erga ſuum gregem, ac iuſtitia. Charitas enim Paſtoris, quam habere debet erga ſuas oves poſtulat, ut pro ipſis Miſſæ Sacrificium applicet diebus taltem dominicis & feſtis: Nam ſi quilibet ex charitate proximum ſuum ſpiritualiter iuvare debet, a fortiori tenebitur Paſtor, qui pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offeſat dona & Sacrificia pro peccatis. Poſtulat hoc & iuſtitia, cum æquum ſit, ut qui lac ovium comedit, & lanis operitur, oves paſcat, ipſiſque ſpirituale pro temporale rependat, & iam contraria opinio ſorditatem redolet, & Parochi ſuis rebus nimium intenti ſavent cupiditati. Ita Pontaſius.

Vicarii quoque ſive perpetui, ſive amovibiles, ſive ſæculares, ſive Regulares eamdem tenent obligationem celebrandi pro populo diebus dominicis, & feſtis de præcepto. Sic declaravit teſte Merati ſac. Congregatio Concil. 6. Iunii an. 1705. & confirmat praxis Romana Viſitationis Apoſtolicæ Parochiarum, in qua Parochi ſive ſæculares, ſive Regulares, ſive Vicarii perpetui, ſive amovibiles tenentur in libro ſeu regiſtro Miſſarum exhibere annotationem Miſſarum dominicalium & feſtivarum, quæ applicatæ fuere pro populo.

Licitum eſt offerre Sacri.

Licitum eſt offerre Sacrificium, tametſi nullus ſit qui communicet præter Sacerdotem: ita contra Lutherum definitum fuit a Concil. Trid. ſeſſ. 22. can. 8. Nec enim pertinet, ut iam vidimus, communio adſtantium ad eſſentiam, nec ad integritatem Sacrificii, nec uſquam prohibuit Chriſtus Dominus Sacerdotibus celebrare, quando præter eos non alii ſint qui communicent, cum hoc non conſtet ex ſcriptura, & multo minus ex Traditione, quæ imo contrarium docet. Nam SS. Patres hortati ſunt quidem Fideles, ut ſingulis dominicis diebus communicent; nullus autem eis præcepit, nec ut præceptum obiecit, quod quotidie id agerent, licet Sacerdotes ſingulis diebus celebrarent, ut conſtat ex S. Cypriano in ep. *ad Cæcilium*, ex S. Aug. epiſt 22. quæ eſt ad Bonifacium Epiſcopum, ex Innocent. I. in ep. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, ac aliis veteribus Patribus.

ficium quamvis nemo ſit, qui communicet.

Illicitum eſſe celebrare ſine miniſtrante.

Non licet vero Sacerdoti celebrare ſi nullus adſit qui miniſtret; quia vetant Canones, ne Sacerdos ſine miniſtro celebret, can. *protoſuiſti*, & ſeſſ. 21. Concil. Baſilienſis, ubi inter alios abuſus notatur mos quarumdam Eccleſiarum, in quibus Sacerdotes ſine miniſtro celebrant, prohibeturque ne in poſterum hoc fiat. Refert tamen Layman hunc morem viguiſſe ſuo tempore in Germania, & maxime in pagis. Hoc fieri vetuit etiam S. Carolus in quodam Concil. Mediolan. Ab hoc autem miniſterio feminæ excluduntur, ut habetur cap. 1. *de celebrat. Clericor. Nulla fæmina præſumat ad altare accedere, vel Presbytero miniſtrare*; & ita obtinuit uſus, qui pro lege habenous eſt. Addit hic Suarez conſultius eſſe, & ſatius ſine Miniſtro, quam miniſtrante fæmina celebrare. Hoc tamen non obſtante in Belgio, ut hic refert Habertus, fæminæ etiam ſine neceſſitate miniſtrant. Poſſunt quidem Moniales e choro reſpondere celebranti, & tunc ſatis eſt ſi adſit qui vinum & aquam Sacerdoti porrigat in altari. In urgenti neceſſitate adhiberi poteſt Miniſter, qui non valeat precibus Sacerdotis reſpondere. Refert Card. Bona lib. 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 13. nonnunquam conceſſum fuiſſe Eremitis perpetuo incluſis, ut ſoli ſine miniſtro celebrarent. Num vero urgenti gravi neceſſitate, puta audiendi Sacrum in die feſto, vel miniſtrandi Viaticum, licitum ſit celebrare ſine miniſtro, negat S. Antoninus contra Sotum, qui ſuſtinet licere, præcipue ſi agatur de miniſtrando ſacro Viatico in extremis laboranti.

§. XIV.

§. XIV.

De debito fidelium conveniendi ad divinum Miſſæ Sacrificium.

Si Sacerdotes tenentur neceſſario Sacrificium Deo offerre pro populo, eadem generatim neceſſitate tenentur fideles iure naturali, divino & eccleſiaſtico intereſſe, & ſuo modo illud quoque offerre. Iure quidem naturali, cum Sacrificium proprie dictum lege naturali Deo debeatur, & in recognitionem ſupremæ maieſtatis ſuæ & dominii, & in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, & pro novis, quorum quotidie indigemus impetrandis. Hinc eſt, quod in omni ſtatu, ut iam vidimus, ſemper oblatum fuerit ab iis omnibus, quibus a natura ipſa inditum fuit alicuius ſupremi Numinis lumen. Nullum autem aliud eſt in noſtra catholica Religione verum Sacrificium, quam incruentum Miſſæ, quod in memoriam cruenti Crucis offertur. Tenentur iure & præcepto divino: Nam quod ipſa lex naturalis ſuggerit ut debitum Deo, hoc ipſum divina lex præcipit, & hanc naturalem legem determinavit Deus ad unicum Miſſæ Sacrificium. Iure tandem tenentur eccleſiaſtico, quod ſtatuit, ut ſingulis dominicis, aliiſque diebus feſtis fideles divino Miſſæ Sacrificio intereſſe debeant; & de hoc præcepto plura habentur teſtimonia a ſacris Canonibus, & SS. Patribus, quæ, ſicuti alias circumſtantias reſpicientes huius præcepti obſervantiam, ommittimus, eo quia iam ſatis dictum ſit in explicatione huius præcepti, de audiendo ſacro Dominicis omnibus, aliiſque diebus feſtis.

Quæri poteſt num teneantur fideles aſſiſtere diebus Dominicis, & maioribus feſtis Miſſæ Parochiali. Tametſi inveterata conſuetudo dici poſſit quod eos eximerit ab hoc præcepto, quod olim vigebat, & innovatum fuit a Conc. Trid. contra quod pariter contraria invaluit conſuetudo; nihilominus tamen cum gravibus rationibus hoc olim Eccleſia præceperit in variis Synodis, & innovaverit in generali Trid. necnon Summi Pontifices in ſuis Conſtitutionibus graviter inculcaverint, præcipue Sixtus IV. labente ſæculo 15. in ſua Conſtit. incipiente: *Vices illius*; graviter certe reprehendendi ſunt, qui nunquam, aut valde raro ad Miſſam Parochialem conveniunt; unde ubi adhuc lex, aut conſuetudo viget, dimittendi ſunt a Confeſſario ſine abſolutione, & ubi contraria invaluit conſuetudo, ut iubet Concil. Trid. graviter admonendi ſunt, ut ſæpe Miſſæ Parochiali interveniant; & non ſunt ita facile abſolvendi, quando huic debito, qualecumque ſit, ſatisfacere prorſus ommittant: Nam præcipue genti rurali maxime refert, ut huic Miſſæ interſint ad audiendum verbum Dei, quod in hac Miſſa a ſuo Paſtore explicatur, nec alibi ita facile fiet, ut illud audiant, & ex hoc contingit, ut multi illorum ignorent divina myſteria, eorumque vim, & præcipua tum Dei, tum Eccleſiæ præcepta, ac vivant in damnabili ignorantia, & negligentia eorum, quæ ipſis neceſſaria ſunt ad æternam ſalutem.

Olim excludebantur a Sacrificio Miſſæ tum pœnitentes publici, qui nondum pervenerant ad conſiſtentiæ gradum, tum cathecumeni. Licebat his quidem intereſſe illis concionibus, & precibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia habebantur: ſed cum procedendum erat ad ea, quæ ſunt diſpoſitiva ad conſecrationem, intonante ſeu proclamante Diacono, *exite pœnitentes*, *exite cathecumeni* recedere cogebantur ac ideo hæc pars Miſſæ, cui licebat pœnitentibus, & cathecumenis intereſſe, dicebatur Miſſa pœnitentium & cathecumenorum.

Excommunicati publici, ac nominatim declarati per Iudicis ſententiam, qui ab omnibus vitari debent (ac ideo dicuntur excommunicati vitandi) ad Miſſam, cæteraque Eccleſiæ Sacramenta, & officia non ſunt admittendi, quia ita fert idea ipſa excommunicationis, quæ eſt privatio communionis ſeu ſocietatis cum fidelibus. Excommunicati non publici, ac tolerati, ideſt non vitandi, ex Decreto Conciliorum Conſtantienſis & Baſilienſis non ſunt eiiciendi, ac proinde poteſt Sacerdos ipſis præſentibus Sacra peragere.

Nullus vero peccator publice non excommunicatus eſt arcendus a Sacrificio Miſſæ, quantumvis graviſſimis criminibus oneratus; & hoc certiſſimum eſt, quia urget certis diebus præceptum de audiendo Sacro, & quia Sacrificium Miſſæ eſt excellentiſſimum Religionis noſtræ officium, quo tum Sacerdos offerens, tum omnes peccatores, pro quibus offertur, magna ad ſalutem adminicula reportare poſſunt, ſi cum debita animi præparatione ad illud acceſſerint.

§. XV.

De debito fidelium communicandi ſacramentaliter in Miſſa.

Lutherus eiuſque aſſeclæ volunt, fideles qui adſunt Sacrificio Miſſæ teneri iure divino oblationis participes fieri, quia & illi offerunt per Sacerdotem tamquam per publicum miniſtrum; & hoc probare credunt ex illis verbis Domini Lucæ 22. qui dum ſacram Eucbariſtiam inſtituit, ait: *Hoc facite in meam commemorationem*, & adſtantibus diſtribuit, ne quidem Iuda excepto: Unde Apoſtolus 1. Corinth. 11. reprehendens Corinthios, qui non communiter cœnam celebrabant: *Iam*, inquit, *non eſt dominicam cœnam manducare*. Item ex S. Chryſoſt. qui homil. 3. in epiſt. ad Epheſios increpat fideles, qui non ſunt participes myſteriorum, hiſce verbis: *Quiſquis myſteriorum conſors non eſt, imprudens & improbus adſtat ... an non ſatius fuerit eum, qui talis eſt non comparuiſſe?* Sed quidquid ex his teſtimoniis in ſenſu captioſo acceptis effutiant. Eterodoxi, conſtans remanet catholica veritas, nempe fideles adſtantes ad Miſſæ Sacrificium, non teneri divino præcepto Sacramentaliter communicare; ac ideo non illicitas eſſe Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos communicat, ideſt fit hoſtiæ oblatæ ſacramentaliter particeps; quod ultimum fide credendum definivit Conc. Trid. ſeſſ. 22. in can. 8. his conceptis verbis: *Si quis dixerit Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas, anathema ſit.*

Fideles non tenentur iure divino communicare in Miſſa.

Præceptum divinum debet conſtare vel ex Scriptura, vel ex Traditione divina. Præceptum vero de quo agitur, nullatenus habetur neque in Scriptura, neque in Traditione; ſiquidem nullum teſtimonium proferre poterunt adverſarii quo hoc probare valeant: Nam etiamſi illis verbis Lucæ 22. Chriſtus præceperit Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus in Sacerdotio, ut ex victima non ſolum comederent, ſed aliis etiam diſtribuerent; non ſequitur tamen miniſtrandam eſſe ſacram Euchariſtiam indignis, ut ſequeretur, ſi in omni Miſſa omnes de Hoſtia participes fieri deberent, cum non ſit ita facile, ut omnes qui conveniunt ad Miſſæ Sacrificium, diſpoſiti ſint ac mundi, ut requiritur ad participandum de Euchariſtica menſa. Hinc alio in loco, ideſt Matthæi 7. idem Chriſtus admonuit, ne ſancta darentur canibus, nempe indignis: *Nolite ſanctum dare canibus*; nec exemplum Chriſti patrocinatur errori adverſariorum: nam exemplum Chriſti cum Iuda docet ſolum, etiam indignis, quando ſunt occulti, ut erat Iudas, ſi publice accedant, non eſſe denegandam communionem, non vero quod ad eſſentiam, vel ad integritatem Sacrificii requiratur, ut adſtantes participes eſſe debeant victimæ Sacrificii. Et inter alios Patres S. Hilarius (cuius doctrina quanti facienda ſit teſtatur S. P. Hieronymus, qui iudicavit, ſcripta Hilarii inoffenſo pede percurri poſſe) non exiſtimavit illicite offerri Sacrificium, ſi adſtantes ſacramentaliter non communicent. Sed ſi communicare nolint, non evincitur ex textu Lucæ, quod Sacerdotes in hoc caſu abſtinere debeant a ſacrificando, ſed ad ſummum ex hoc textu colligi poſſet, Sacerdotum eſſe hortari, ac urgere fideles, ut ſacræ menſæ fiant participes, quod hodie facere ſolent animarum paſtores, ſicuti olim S. Chryſoſtomus, cuius auctoritate abutuntur Eterodoxi. Poſito vero quod non audiantur, ex hoc offerre non ommittunt, ſicuti nec adverſarii probare poſſunt propter hoc D. Chryſoſtomum a ſancta actione abſtinuiſſe. *Rogo vos* (ita populum alloquebatur S. Doctor) *non ut adſitis, ſed ut præſentia, & habitu vos reddatis dignos*. Quare ex iis colligitur S. Paſtorem adhortatum eſſe ſuum gregem ad communicandum, non vero illum a Sacrificio ceſſaſſe; quia non communicarent, cum vix ſemel, aut bis in anno ad ſacram Communionem accederent, ut eis obiiciebat.

Textum vero Apoſtoli nihil contra Eccleſiæ catholicæ ſenſum adverſariis favet, cum ibi Apoſtolus loquatur, non de ſacra Euchariſtia, ſed de cœna communi, in qua omnes ſimul diſcumbebant, pauperes cum divitibus, ac ideo Agapæ, ideſt convivium charitatis appellabatur, quod iam alias attigimus: multo minus favet adverſariorum errori traditio, ſive negative, ſive poſitive. Et aliis ommiſſis ſive Conciliorum, ſive Patrum, quæ catholicæ veritati patrocinantur, adducam præceptum Concilii Agathenſis ann. 511. quo ſtatutum fuit, ut fideles adeſſent Sacrificio ſingulis diebus dominicis, communicarent vero ter in anno, in Natali ſcilicet, Paſchate, & Pentecoſtes. Denique ſemper licitum fuit pluribus eodem die intereſſe Sacrificiis, atque ad hoc etiam idem Sacerdos ter Miſſarum ſolemnia celebrabat in Natali Domini, ut teſtatur S. Gregorius: vetitum vero fuit laicis ſæpius eodem die communicare. Igitur evidenter conſtat, fideles convenientes ad Miſſæ ſacrificium

Digitized by Google

cium non teneri ex præcepto divino quandocumque conveniant, ſacræ menſæ participes fieri, ac proinde non requiri ex divina Chriſti inſtitutione, nec ad eſſentiam, neque ad integritatem Sacrificii, ut præter celebrantem etiam adſtantes communicent, ita ut in caſu oppoſito nequeant Sacerdotes offerre.

§. XVI.

De Miſſa Conventuali in Cathedralibus Eccleſiis, Collegiatis, & Conventualibus, necnon de eius applicatione pro Benefactoribus.

Epiſcopi, & Prælati, Cathedralium Eccleſiarum Collegiatarum, & Conventualium tenentur curare, ut in prædictis Eccleſiis ſaltem una Miſſa ſingulis diebus in iis celebretur, ut ex cap. *cum creatura de celebr. Miſſar.* & eſt communis Doctorum. An vero ſi Prælati mortaliter peccent, ſi uno, aut altero die ſine legitima cauſſa ommitti permittant, non conveniunt Theologi. Sotus, Suarez, negant in caſu quo exiguus ſit numerus Sacerdotum contra Laymanum, & Coninckum. Alii vero, ut Palaus cum aliquibus aliis cenſent, non immerito attendendam eſſe circa hoc conſuetudinem, ita ut ſi conſuetudine firmatum ſit, ut quotidie in illa Eccleſia Miſſa Conventualis celebretur, graviter delinqueret Prælatus permittendo abſque publica cauſſa ut Sacrificii celebratio prætermittatur, quia illa conſuetudo vim habet legis, & huiuſmodi ommiſſio non ſine gravi ſcandalo fieret, ſi ſine cauſſa videret populus hoc contingere.

Quoad applicationem vero eiuſdem Miſſæ Conventualis, cenſet Amort recentior Theologus ex Marato p. 3. tit. 2. num. 2. Canonicos Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, præſertim inſignium teneri quotidie applicare Miſſam Conventualem pro Benefactoribus, *conſuetudine quacumque in contrarium minime refragante*, ait citatus P. Merati, ut ſæpe declaravit ſacra Congregatio Concilii, nimirum in una Elenſi 5. Martii 1646. in Tuſculana 16. Novemb. & 24. Maii 1661. in Cæſenatenſi in Alexandrina 26. April. 1663. & in pluribus aliis. Illud tamen conceſſum eſt a S. Congregatione, quod Canonici habentes valde tenues præbendas, quarum valor annuatim decem, triginta, quadraginta ſcuta non excedit, ſolum applicare teneantur diebus dominicis, & feſtis de præcepto. SS. Benedictus XIV. teſtatur hanc moderationem factam eſſe a ſacr. Congreg. Concilii 22. Iulii an. 1629. Idem tamen p. 3. tit. 11. n. 3. ex Pignatel. obſervat tolerari poſſe conſuetudinem, ut Miſſa Conventualis ſolum cantetur diebus feſtis, ſi numerus Canonicorum, & reditus ſint valde exigui.

Quod ſi Eccleſia Collegiata ſit etiam Parochialis, ſecundum citatum recentiorem applicanda eſt Miſſa Conventualis pro benefactoribus, & alia pro Parochianis.

Quid de applicatione Miſſæ Conventualis quoad Regulares.

Gravior difficultas eſt circa applicationem Miſſæ Conventualis quoad Regulares, an ipſi quoque teneantur hanc applicare pro Benefactoribus, poſito quod in Collegiatis Eccleſiis currat talis obligatio, cum Eccleſiæ Regularium habeantur ut Eccleſiæ Collegiatæ. Ad difficultatem reſpondet Meratus cum Gavanto, Eccleſias Regularium minus proprie dici Collegiatas; ex quo ſequitur, non teneri ad multa ad quæ tenentur Eccleſiæ Collegiatæ. Quoad applicationem Miſſæ Conventualis relate ad Regulares advertit Rotharius, quod licet Bonacina cum aliis ſuſtineat, Miſſam Conventualem Regulares quoque celebrare debere, necnon pro benefactoribus applicare; nihilominus ubi non adeſt huiuſcemodi conſuetudo, nec aliunde contracta ſit hæc oneroſa obligatio, ſecundum ſe Regulares libere eam applicare poſſunt. Ita tenet citatus recentior cum Pellizario, Diana, Corduba, aliiſve, quos ipſe citat. Et revera ait Rotharius, rigoroſa obligatio quotidiana & perpetua non ſine gravi fundamento admittenda eſt: unde cum ex nulla lege aut divina, aut humana expreſſe hæc obligatio evincatur, neque ex alia implicita obligatione cum benefactoribus (qui dum eleemoſynas Regularibus elargiuntur, eas libere facere cenſentur, & quando pinguem eleemolynam faciunt, explicare ſolent id quod pro ea imponunt) dicendum eſt quod cenſentur libere eleemoſynam impertiri pro participatione communium precum, quæ Religioſi pro ſuis benefactoribus facere conſuevefcunt, nec ulterius exigunt fieri per Miſſarum applicationem. Sic P. Merati. Verum alia videtur ratio circa Canonicos Regulares D. Auguſtini, D. Norberti, &c. utpote quorum Eccleſiæ proprie ſint Collegiatæ, & quorum primævæ fundationes plerumque factæ ſunt pro Sacerdotibus eſſentialiter divino adſcriptis officio in Sacrificio Miſſæ, & Choro. Quocirca ſi Beneficiati tenentur applicare pro ſuis fundatoribus, etiamſi obligatio applicandi non ſit expreſſa in fundatione, eiuſmodi Clericalia Collegia tanquam titulo Beneficii ad quotidianam Miſſæ applicationem tenentur.

§. XVII.

§. XVII.

De honorario, ſeu ſtipendio Miſſarum.

De more oblationum in primitiva Eccleſia.

In primitiva Eccleſia, ut fidelis populus melius oſtenderet ſe quoque concurrere ad incruenti oblationem Sacrificii, atque ſimul cum Sacerdote Sacrificium Deo offerre, mos erat, ut qui conveniſſent ad Miſſæ Solemnia, quiſque ſuam Sacrificii partem offerret, ut non obſcure huius ritus meminit S. Cyprianus lib. *de operibus, & eleemoſyna*. Sacrificia vero in Miſſa oblata a Fidelibus erant non ſolum eleemoſynæ collatæ in uſus pauperum, ſed panes etiam per Eucharistiam ſacrandi, ficuti ſupponunt nonnullæ, quæ etiam hodie de hoc extant in Miſſali, orationes ſecretæ, quæ olim dicebantur ſuper oblata. De hac oblatione quamplurima habentur apud veteres clara teſtimonia, & uſum hunc per plura ſæcula perduraſſe evincit vetus Ordo Romanus conſcriptus poſt S. Gregorii tempora, in quo ſic legitur: *Tranſit Sacerdos ad ſuſcipiendas oblationes. Interim Cantores cantant Offertorium cum verſibus, & populus dat oblationes ſuas, ideſt panem & vinum cum fanonibus candidis, primo maſculi, deinde fœminæ*: Ubi P. Mabillonius in ſuo Muſæo italico notat pag. 554. *fanones* hic accipi *pro panno oblongo ad offerendas, recipiendaſve oblationes*. Sancta fuit religio apud veteres huius ritus offerendi, unde cum ſæculo ſexto in deſuetudinem cadere cœpiſſet, Concilium Matiſconenſe cap. 4. iuſſit, ut in omnibus Dominicis altaris oblatio ab omnibus viris, ac mulieribus offeratur, tam panis, quam vini, ut per has oblationes & peccatorum pondere careant, & cum Abel ac cæteris iuſte offerentibus promereantur eſſe conſortes. Oblationes panis, & vini, quæ ſupererant conſecrationi, incidebantur in partes, quæ poſitæ in vaſe nitido benedicebantur, & diſtribuebantur populo, qui Miſſæ intererat, ut habetur in can. 9. Concilii Nanetenſis, quod celebratum creditur ſæculo nono, in quo canone huiuſcemodi particulæ panis benedicti dicuntur *eulogia*, quarum vices hodie in nonnullis Eccleſiis ſupplet panis benedictus, ut omnes agnoſcunt. Mos eulogiarum adhuc ſervatur apud Græcos teſte Cabaſila in expoſitione Liturgiæ cap. ult. Van-Eſpen.

Verum poſtquam confici cœperunt pro conſecratione formulæ rotundæ, & graciles, dictæ *Hoſtiæ*, ſicuti hodie etiam eſt in uſu, ac proinde cœpit non amplius adhiberi panis oblatus, Parochiani, aut unus pro omnibus cœperunt offerre panem, qui per Parochum benedictus Parochianis inter Miſſarum ſolemnia diſtribuebatur; & ubi adhuc hic uſus viget, diſtribuitur in ſignum communionis, quam Chriſtiani a ſuo Parocho accipiunt in ſignum fraternæ communicationis in fide, & charitate. Cum autem hæc unio ſpecialiter eſſe debeat inter fideles unius Parochiæ, utpote unam quaſi Eccleſiam conſtituentes, hinc hoc unionis ſymbolum & charitatis in ſolis Parochialibus ſub Miſſa Parochiali diſtribuendum eſt.

Deſiit populus panem, & vinum in Miſſa offerre, quod quando contigerit incertum eſt. Hoc certe conſtat, quod tempore Honorii Auguſtodonenſis moris iam eſſet loco panis, ſive farinæ offerri denarios, & credit Honorius mutationis huius originem rariori fidelium communioni adſcribendam eſſe, ut videri poteſt in eius *Gemma animæ*. Verum, ut advertit Chriſtianus Lupus Diſſert. 2. Proemiali ad tom. 3. Schol. in can. cap. 11. poſtquam Sacerdotes ſibi in proprium uſum appropriare cœperunt illos denarios oblatos, hinc ob avitam populi de Cleri avaritia, & nimiis proventibus calumniam, defecit paulatim etiam denariorum oblatio, contracta fere ad ſolam Miſſam in Exequiis Defunctorum. *Accedens*, (ſequitur Lupus) *Eccleſiarum, altarium in eadem etiam Eccleſia, Sacerdotum, plurium quotidie in eodem quoque altari Miſſarum multiplicatio, iſtam contractionem, ſeu deſuetudinem oblationum ſtrenue adiuvit*.

Hunc oblationum morem, & inſtitutum ab Apoſtolorum tempore ad nos devolutum, & iniuria temporum pene abrogatum variæ Synodi poſterioribus hiſce temporibus reſtituendum decreverunt, ut Synodus Colonienſis an. 1549. cap. 20. ubi declarat pene totum abire cœpiſſe in deſuetudinem; *hominibus piis cauſſam, & originem offerendi ad altare ignorantibus, & impiis cupiditate Sacerdotum uſum illum introductum calumnioſe aſſerentibus*. Sed præ omnibus hunc ſtuduit inſtaurari oblationum ritum S. Carolus, paternarum traditionum, ac canonicæ diſciplinæ zelantiſſimus inſtaurator, ut patet ex Actibus ſuæ Eccleſiæ, ſicuti patet in ſuo Concilio Mediolanenſi p. 2. cap. 15. ubi hoc graviter inculcat, utpote quod pertineat ad divinum cultum, & populis ſalutare ſit, & utile ad expianda peccata.

Commutato igitur more offerendi panem, & vinum in Sacrificio Miſſæ in denarios, iſtoſque in uſum ſolius celebrantis, viſum

eſt

Digitized by Google

eſt offerri poſſe ante, vel poſt Miſſam quod in ipſa offerre licebat. Itaque dum ſenſim oblatio inter Miſſarum ſolemnia ceſſaſſet, ac in Miſſis præcipue privatis oblatio parum nota eſſet, tunc qui pro ſe ſpecialiter tamquam offerente Miſſam celebrari, & orari volebat, id oblato denario a Sacerdote poſtulabat; atque hinc ortum habuit (licet incertum ſit tempus, quo hic uſus cœperit) illa denarii retributio pro Miſſæ Sacrificii applicatione, quam hodie honorarium, ſeu ſtipendium, ſeu honeſtius eleemoſynam Miſſæ appellamus, ut inter alios notat eruditiſſimus P. Mabillonius in præfatione ad 1. partem ſæculi 3. Benedictinorum n. 62. & ipſi videtur cœpiſſe hoc ſtipendium ſæculo 3. ſaltem in Miſſis privatis non tamen ubique paſſim ante ſæculum 1. Et de uſu talis eleemoſynæ in Miſſis privatis ſæculo 11. teſtatur etiam Petrus Damianus lib. 1. ep. 15. addens, eiuſmodi pecuniæ oblatæ admiſſionem & in Clero, & Monacho male oluiſſe. Hinc factum fuit notat cir. Mabillonius, ut dum antea Sacerdotis relinquebatur arbitrio, quod unum pro multis, vel ſingula pro ſingulis offerentibus Sacrificia celebraret nunc laici ob modicam ſtipem ſinguli ſingulas ſibi Miſſas arrogant.

Incertum eſt quando mos cœperit dandi pecuniam pro Miſſæ celebratione.

Hunc morem introduci cœptum reprehendere videtur Eugenius II. in Concil. Rom. c. 17. *Presbyteri nullis blandiantur, aut ſuadeant ſermonibus, ut non omnium ad ſe concurrentium, in quibuslibet ſacris locis oblationes ad Miſſarum ſolemnia recipiant, quia cum mediatores Dei, hominumque exiſtant in exercendis votis, relaxandiſque peccatis, largiſſimam debent orationem peragere.* Idemque repetit Leo IV. in Synodo Romana. Walafridus Strabo pariter eodem tempore naſcentem eiuſmodi morem erroris arguit in lib. *de rebus eccleſiaſticis* cap. 22. *Sed & in hoc error non modicus videtur, quod quidam putant ſe non poſſe aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, niſi ſingulas oblationes pro ſingulis offerant vel pro vivis, & defunctis; non ſimul exiſtimant immolandum, cum vere ſciamus unum pro omnibus mortuum, unum paſſum eſſe, & ſanguinem, quem univerſalis Eccleſia offert, fudiſſe. Quod ſi cui placet pro ſingulis ſigillatim offerre, pro ſolius devotionis amplitudine, & orationum augendarum delectatione id faciat, non pro ſtulta opinione, quod, putet unum Dei Sacramentum non eſſe generale medicamentum.*

Verbis hiſce Walfridi relatis ſubiungit Cardinalis Bona lib. 2. *Rerum Liturgicarum* c. 8. n. 7. cuiuſque Sacerdoris arbitrio, ſeu devotioni relinquens, unum pro multis offerentibus Sacrificium, aut ſingula pro ſingulis celebrare. Noſtrorum vero temporum alia conditio eſt, alii mores. Olim fideles ſua offerendo munera non poſtulabant Miſſam ſpecialiter pro ſe celebrari, ſed perſuaſi erant ſibi ſufficere, ſi Miſſæ Sacrificio devote coniungerentur, & una cum Sacerdote ipſum Sacrificium offerrent divinæ miſericordiæ confidentes Sacrificii fructum ſibi applicandum pro ratione Sacrificii, & diſpoſitionis. Verum cum ſucceſſerint antiquis oblationibus hodierna honoraria, ſeu ſtipendia Miſſarum, alia eſt offerentium intentio, nempe, non ſicuti olim, ut unum idemque Sacrificium pro pluribus offerentibus celebretur, ſeu pluribus applicetur; ſed ut tot Miſſæ, quot dant ſtipendia, ſpecialiter pro ſe, vel pro alio, quem nominant, celebrentur, & ſpecialiter applicentur. Quare licet Miſſæ Sacrificium ſit idem ac antea, ideſt valoris tam ampli, ac ingentis, ut ſufficiat ad ſatisfaciendum pro pluribus, ut tolleretur omnis via Sacerdotum avaritiæ, providit Eccleſia, ſicuti infra videbimus, ne Sacerdotes accepto honorario pro ſpeciali Sacrificii applicatione, audeant altero accepto honorario pro aliis etiam ſpecialiter idem Sacrificium offerre, ac applicare; quia, ut monet Gerſon tract. *de ſollicitud. Eccl.* Sacerdotes honoraria intentione, ac lege a fidelibus oblata accipientes, ipſius quaſi iuſtitiæ leges infringerent, ſuamque avaritiam proderent, ſi fidelium intentioni non ſatisfacerent. Hactenus Van-Eſpen.

Hiſce tamen non obſtantibus Miſſæ Sacrificium etiam hodie licet ratione accepti ſtipendii a Sacerdote pro aliquo particulari ſub ſtricta, ubi dicunt, intentione celebretur; tamen pro omnibus fidelibus Chriſtianis vivis, ac defunctis offertur, & aliquorum ſpecialem memoriam facere licite poſſunt, & revera faciunt Sacerdotes ex ipſo Miſſalis præſcripto, ubi ſubiicitur: *Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus*, &c. Igitur hodie quoque verum eſt, quod Miſſæ Sacrificium quantum eſt ex parte Chriſti primarii ſacrificantis, & Hoſtiæ oblatæ ſit eximii valoris, (etiamſi non eſſet infiniti iuxta aliquos contra communiorem) & fidelibus aſſiſtentibus cum proportione devotionis & fidei fructus illius communicetur æqualiter, ſive pauci, ſive multi aſſiſtant. Imo docet Petrus Soto, tantum percipere fructum devote adſtantes Miſſæ Sacrificio, ut

ut excedat fructum, quem participare poteſt ille pro quo ob ſtipendium collatum celebratur; *Melius*, ait, *& utilius eſſe fidelibus adſtare Sacrificio Miſſæ, & fide ac devotione illi coniungi, quam curaſſe, ut pro ſe ſæpius celebretur*. Notat enim Caietanus applicationem huius Sacrificii non ſola intentione, ſed devotione adiuncta perfici; *quia in Sacrificiis*, ait, *& oblationibus quantitas devotionis magis penſatur, quam rei oblatio*.

Inſtruendus igitur eſt populus (monet Van-Eſpen) 1. ſtipendium Miſſarum conſiderandum eſſe ut voluntariæ cuiuſdam oblationis ſpeciem in locum oblationis in Miſſa primitus fieri ſolitæ ſubrogatam. 2. Ne honorarium illud habeat tanquam pretium Sacrificii; ſed ut voluntariam oblationem, qua Deum tanquam rerum temporalium auctorem & Dominum recognoſcit, ut una cum Sacerdote Sacrificium offerre, & ipſius Sacrificii, ac ſignanter precum, quæ ab offerentibus funduntur, particeps eſſe mereatur. 3. Ne in numero, aut magnitudine honorariorum nimium confidat; quaſi eorum ſola oblatione virtutem Sacrificii conſequatur, cum non tam oblationum magnitudinem, quam offerentis affectum reſpiciat Deus. Unde poſt alios dicit Petrus Soto quoad Sacrificium Miſſæ lect. 7. intentionem Sacerdotis offerentis, & applicationem eius prodeſſe quidem, ſed iuxta diſpoſitionem illorum, pro quibus offertur. Non enim operatur quantum celebrans aut intendit, aut vult, ſed quantum ſua fides, & devotio digna, vel capax eſt. Hinc, ut notat Van-Eſpen Eccleſia ſuis primordiis rigide mandavit fidelibus, diebus dominicis, feſtiſve Miſſarum ſolemniis devote aſſiſtere, nullibi vero ut Miſſam pro ſe quis celebrari curet.

§. XVIII.

De iis quæ a Sacerdotibus in receptione honorarii ſunt obſervanda.

Hodiernum Miſſarum honorarium habet quoddam ſpecimen voluntariæ oblationis, utpote quod in oblationum locum ſucceſſerit, ut antea iam oſtenſum fuit; conſequenter, ſicuti laici illud tanquam Deo acceptam oblationem Sacerdoti offerre debent, ita Sacerdotes quoque non tanquam pretium Miſſæ, ſed ut voluntariam oblationem, & grato animo illud accipere tenentur, unaque ſignificare, ſe velle Deo voluntarie Sacrificium offerre. Et ſi quando nihil, aut aliquid minus liberali animo honorarii loco eis donatum fuerit, non in hoc contriſtentur, nullumque indignationis indicium exhibeant, quin potius oſtendant ſe magno, liberalique animo gratis dare quod gratis acceperunt. Nam prorſus indignum eſt quod honoraria Miſſarum habeantur ad modum pretii rerum profanarum ſupremi, medii, & infimi: Nihil enim hoc turpius, ne dicam abominabilius excogitari poteſt. Quocirca cavendum eſt Sacerdotibus, ne ſuo modo agendi eam ſe de Miſſarum honorario ideam habere oſtendant, conventiones directe aut indirecte ſuper hiſce ineundo.

Honoraria igitur Miſſarum habenda ſunt tanquam fidelium oblationes Deo factæ in ſuſtentationem Eccleſiæ miniſtrorum, ac proinde non ſecus ac aliæ oblationes, & decimæ bonis eccleſiaſticis ſunt numerandæ iuxta Boetium Epo olim apud Duacenſes primarium ſacrorum Canonum anteceſſorem ad caput 1. §. *de teſtam.* n. 80. Unde ſequitur ſtipendium Miſſarum acceptum a fidelibus, quibus miniſtratur, non ut pretium, quod eſt ſimoniacum, ſed ut pium eorum ſubſidium ad ſuſtentationem plane licitum eſſe; & inſuper ius habetur ad illud exigendum iuxta illud Lucæ 10. *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Id ſupponit Apoſtolus 1. Corinth. 9. dicens: *Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant.* Idemque traditur in Concilio Agathenſi cap. 36. Etenim æquum eſt, ut qui in alterius commodum occupatus eſt, ab eo ſuſtentetur, habita ratione temporis, in quo ſic occupatur, ſeu conditionis perſonæ, quæ occupatur. Sicuti autem ſub uno reſpectu ſuſtentationis, & minime pretii licet accipere honoraria Miſſarum, ita ſub eodem reſpectu illa in pactum deduci poſſunt. Et adhuc verum eſt gratis dare quod gratis accepit; non ſecus ac (aiunt hic Salmanticenſes) ſi quis habens gratiam gratis datam ad curandum aliquod morbi genus accerſeretur ad curiam Principis eo morbi genere laborantis ut eum curaret propoſitis magnis premiis, poſſet dicere ſe gratis dare quod gratis accepit, etiamſi peteret neceſſaria ad iter illud peragendum, & dum eſſet in curia, expenſis Principis aleretur.

Ex his infertur cum Salmanticenſibus, honoraria pro Miſſa accipere poſſe quemlibet Sacerdotem non ſolum pauperem, ſed etiam divitem, ſive dives ſit ex bonis patrimonialibus, ſive ex beneficiis eccleſiaſticis, ut docent cum D. Thoma quodlib. 6. art.

Honoraria Miſſarum habenda ſunt tanquam oblationes Fidelium non tamquam pretium Miſſæ.

Honoraria Miſſæ recipi poſſunt a quolibet Sacerdote ſive pauper ſit, ſive dives.

art. 10. Navarrus, Sotus, Suarez, Lugo, Gonnet cum permultis aliis. Et ratio eſt manifeſta, quia cum uterque in gratiam alterius offerat Sacrificium, ad quod exequendum non ſolum eſt neceſſarius panis, vinum, cera, &c. ſed etiam neceſſaria eſt perſona Sacerdotis ſuſtentata; uterque poteſt ſine læſione ulla æquitatis nolle ex ſuo dare illi quæ neceſſaria ſunt, ſed illa ab eo accipere velle, in cuius gratiam offerre debet Sacrificium: per accidens enim ſe habet, ſi Sacerdos ſit dives, ideſt aliunde habeat, ut vitam ſuam ſuſtentet. Unde

Stipendium Miſſæ non debet eſſe integra ſuſtentatio.

Nota cum Salmanticenſibus, aliiſve, quos hi ſequuntur, quod ſicut iuſtitiæ æqualitas non expoſcit ut Sacrificanti dentur integræ ceræ candelæ ad celebrandum, ſed ſufficit valor partis earum, quæ in Miſſa conſumuntur, ita etiam ſtipendium Miſſæ ſecundum æqualitatem iuſtitiæ non exigit, ut Sacerdotibus detur integra ſuſtentatio diurna pro ſola Miſſa, quæ non eſt integrum, ſed velut inadæquatum Sacerdotis miniſterium, cum alias etiam actiones ſacras exerceant, ratione quarum aliquid in ſuſtentationem recipere poſſunt, v. g. agendo funus, ſeu officium defunctorum &c. Et inſuper propter Miſſæ miniſterium Sacerdos non impeditur, quominus alia honeſta, ac decenti via aliquid aliud ad ſuſtentandam vitam lucrari poſſit. Neque Eccleſia vult, quod Sacerdos ex ſola Miſſa integram expectet diurnam ſuſtentationem, ut cap. *Cler.* 91. ac propterea ſtricte cavet ne quis ordinetur ſine Beneficio, vel patrimonio, ut in cap. *non licet*, cap. *Epiſcopus*, cap. *tuis*. Iſtum autem ſtipendium illud eſt, quod a lege, vel a probata conſuetudine conſtitutum eſt, quia tametſi tale ſtipendium non ſit vere pretium, ſervat tamen proportionem pretii, quatenus in eo ſervari debet ratio iuſtitiæ, ſcilicet ut ſicuti in pretio, in ſtipendio pariter non plus exigatur, ac accipiatur, quam lege taxatum, vel communiter conſuetudine receptum eſt; unde qui plus exigit, vel accipit, tenetur ad reſtitutionem, cum ille exceſſus non ſit debitus, nec ſponte, ac liberaliter dari cenſeatur. Quod ſi quis ex ignorantia iuſti ſtipendii plus ultra offerat, monendus eſt; quod ſi taxam honorarii non ignoraverit, præſumitur exceſſum ex liberalitate elargiri.

Quando tribuitur honorarium pro Miſſarum celebratione in tali numero, loco, vel tempore, pro tali cauſſa, &c. hæc omnia ſervanda ſunt. Qui enim dat, non intendit transferre ſtipendii dominium, niſi ſub tali conditione; & ſic recipiens hoc ipſo ſe obligat ad omne id quod exquiritur, ita ut peccet graviter Sacerdos, ſi in aliqua harum conditionum deficiat, nec ius habet ut ſtipendium retineat. Hinc ſi quis ab aliquo honorarium recipiat ut ſub tali die, vel plura intra tale tempus Sacrificia celebret, ſi differat, deficit in re gravi, quia interea iniuſte privat eum magno ſpirituali fructu, apud quem ſe debitorem implendæ ipſius voluntatis conſtituit. Imo ſi ideo Miſſa non profuerit ſecundum ſpecialem intentionem illius, qui honorarium præbuit, puta ad aliquem ſucceſſum, cuius occaſio ante celebrationem tranſierit, tenetur ad reſtitutionem, quia defraudavit intentionem, ob quam ſtipendium tributum eſt. Hinc non licet Sacerdoti plura ſtipendia accipere pro totidem Miſſis, dum prævidet eas nonniſi poſt multum temporis poſſe celebrare, niſi qui illas petit, expreſſe in id conſentiat; alias enim contingeret, illas non amplius celebrari poſſe iuxta cauſſam, ob quam optat, & intendit offerens, ut celebrentur, v. g. pro vincenda tentatione, pro infirmo qui antea convaluit, vel mortuus eſt, ut aliquod negotium proſpere, ſeu favorabiliter contingat, pro aliquo alio beneficio, cuius conſecutio non amplius locum habet, ideſt nequit amplius obtineri.

Illicitum eſt pro una eademque Miſſa iam promiſſa, ab aliis etiam honoraria pro eadem applicanda recipere.

Illicitum eſt pro una eademque Miſſa, quæ iam promiſſa eſt, plura recipere ſtipendia, ſive tenuia ſint, ſive pinguia, & pluribus receptis ſtipendiis cum onere pro ſingulis, ſingulas Miſſas celebrare, unius celebratione ſatisfacere. Ita ſtatuit Urbanus VIII. ſua Bulla, quæ eſt 43. in qua ſic habetur: *Præcipitur Sacerdotibus, ubi pro pluribus Miſſis, plura ſtipendia quantumcumque incongrua, & exigua collata fuerint, ut tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, etiamſi Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam iuxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum; ita ut alioquin ii ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.* Hoc confirmavit Alexander VII. qui damnavit hanc propoſitionem, quæ numero eſt 10. *Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre.* Nam licet valor unius Miſſæ ſit infinitus ſecundum rem, quam continet, ſcilicet Chriſtum, & eius merita; eſt finitus tamen ac limitatus ſecundum applicationem: Chriſti enim merita tametſi infinita, non applicantur ſecundum ſui infinitatem, ſed fini-

finito modo, quem Deus definivit. Et eſto etiam, quod Sacrificium pluribus applicatum prodeſſet ſingulis, ac ſi ſingulis applicaretur; nihilominus cum dantes ſtipendia intendant tot pro ſe fieri, & ſpecialiter ſibi applicari Sacrificia, & ſub hac tacita conditione, ac pacto dentur, & accipiantur, talis fert conditio, ac pactum, ut ex ſtricta iuſtitia teneatur Sacerdos tot Miſſas celebrare, quot percepit eleemoſynas, idque ut per iterata Sacrificia cultus divinus augeatur, & ſeu vivorum, ſive mortuorum animæ multiplicatis precibus, & ſuffragiis adiuventur.

Nec ullatenus ſuffragantur privilegia a Summis Pontificibus Regularibus conceſſa, quia huiuſmodi privilegia notat Lezzana, ſacram Congregationem auctoritate, & de mandato Summi Pontificis revocaſſe in ſuo Decreto, ut in ipſo §. 4. Id vero ut deinde obſervetur exactius, ſacra Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac locis piis tam ſæcularibus quam Regularibus cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti quacumque ex cauſſa conceſſa quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel anniverſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeu Orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfaciant.

Quid de eo qui ex pluribus minoribus ſtipendiis a pluribus acceptis reducit unum in ſtum honorarium.

Item nec dici poteſt, quod pluribus ſtipendiis vel ab uno, vel a pluribus acceptis iuſto minoribus, ſeu infra quantitatem iuſtam lege, vel conſuetudine taxatam, pro pluribus Miſſis, quis poſſit ſatisfacere unica Miſſa, vel reducendo illa inferiora ſtipendia ad iuſtam quantitatem paucioribus Miſſis, quæ ſtipendiis ad iuſtam taxam redactis correſpondeant; quia hoc graviſſime vetat ſuo citato Decreto ſacra Congregatio, ac declarat, hoc fieri non poſſe ſine gravi culpa, & debito reſtitutionis. Et ratio clàre hoc probat, quia hoc ipſo, quod quis minora accipit ſtipendia, iuri ſuo cedere cenſetur, & reliquum donare, ac tacite ſpondet ſe tot Miſſas dicturum. Obligatio autem ſervandi pacta gravis eſt; alias fides in humana ſocietate periret. Hinc qui aliquo titulo obligatus eſt applicare certis diebus Sacrificium, ut Beneficiarius ratione Beneficii, Curatus diebus Dominicis, ac feſtis, non poteſt pro illo Sacrificio honorarium ab alio accipere, ut etiam pro illo idem Sacrificium applicet, iuxta citata Decreta Urbani VIII. & ſacræ Congregationis, ac definitionem Alexandri VII. in proſcriptione antedictæ propoſitionis; ex quibus prohibetur multiplex, aut duplex ſtipendium pro eadem Miſſa recipere.

Item non poteſt Sacerdos duplici honorario a duabus perſonis accepto unica Miſſa ſatisfacere, applicando uni ſolitam partem, & alteri ſuam, ſeu fructum ſpecialiſſimum, qui correſpondet ipſi celebranti, cui ipſe renunciat, & cedit: hoc enim repugnat praxi Eccleſiæ, ac ſenſui, & intentioni fidelium. Inſuper hoc ipſo quod Sacri applicatio alteri eſt debita, ei debiti ſunt omnes fructus, quorum eſt capax. Tandem fructus ille, quod competit Sacerdoti ſacrificanti, non poteſt alteri applicari, ut patet ex Alexandro VII. qui anno 1665. damnavit hanc quorumdam recentiorum propoſitionem num. 8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.*]

Vetitum eſt accipere duo ſtipendia unum pro ſolita parte, alterum pro parte quæ reſpicit Sacerdotem.

Item declaravit Sacra Congregatio, ut habetur ex Fagnano, eum, qui ſtipendium recepit ad celebrandum pro mortuo, & aliud ſtipendium pro alio iam vivente, puta pro infirmo, non ſatisfacere per unius Miſſæ celebrationem utrique obligationi, applicando fructum ſatisfactorium mortuo, & impetratorium infirmo; quia cum Miſſa pro aliquo celebrari debet, totus fructus, cuius eſt capax, ei applicandus eſt. Fructus namque impetratorius defunctis quoque prodeſt, quia pœnæ debitæ peccatis expiari ac remitti poſſunt non tantum per modum, ſeu via ſatiſfactionis, ſed etiam per modum impetrationis.

Non poteſt Sacerdos duo accipere honoraria, unum pro fructu Sacrificii, alterum pro indulgentia.

Item vi ipſius Decreti non poteſt Sacerdos accipere duplex ſtipendium pro una Miſſa, unum pro applicatione fructus, qui tradenti eleemoſynam evenire ſolet, alterum pro applicatione Indulgentiæ altaris privilegiati, cui conceſſa ſit liberatio animæ Purgatorii, quidquid dicat Bordonus auctor, & patronus oppoſitæ ſententiæ, quia aliter agere, iuxta Bordonum, opponitur intentioni Summorum Pontificum huiuſcemodi Indulgentias concedentium; qui ſine dubio hoc non intendunt, cum multum a talibus lucris, & ſordidis negotiationibus abhorreant.

Sacerdos, qui Miſſas dicendas ſuſcepit cum eleemoſyna maiori ſolita, ſive reſpectu loci ubi eam recepit, ſive reſpectu alterius loci, ſi eas per alium Sacerdotem celebrare faciat, non poteſt aliquid de dicto ſtipendio ſibi retinere, dando alteri Sacerdoti eaſdem Miſſas celebranti ſtipendium iuſtum quidem, ſecundum morem loci, ubi celebrantur, ſed inferius accepto; cum vetitum ſit per citatum.

Digitized by Google

tum Decretum ſacræ Congregationis Concilii, ut omne damnabile lucrum ab Eccleſia removeatur. Ille enim partem ſtipendii ſine iuſto titulo retineret, quia non ei gratis, ac liberaliter a dante donatum eſt, ſed cum intentione, ut celebrans totum ſtipendium recipiat. Hinc Alexander VII. hanc damnavit propoſitionem quæ ordine eſt 9. *Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatiſfacere, collato ei minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.*

Permittit nihilominus Urbanus VIII. adminiſtratoribus Eccleſiæ, ut aliquid ex honorariis Miſſarum retineant pro expenſis cereorum, panis, vini, ornamentorum, dummodo tamen, ut declaravit ſacra Congregatio, *Eccleſia, & loca pia alios non habeant reditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licite poſſint, ac tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ; ac nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis ut ſupra deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur pro iis, qui talia ſtipendia dederunt.*

Non videtur tamen prohiberi in laudato ſacræ Congregationis decreto retinere exceſſum pinguis ſtipendii, ſi Sacerdos a viro ſibi amiciſſimo, non ſolum ad Miſſam attendendo, ſed etiam ad perſonam ſibi amiciſſimam, vel alia ratione coniunctam, quæ Miſſam celebrare debet, pingue honorarium accepit; ſecus vero ſi ſolo Miſſæ intuitu recepit. Sic Doctores communiter. Item non videtur adverſari præfato Decreto retinere exceſſum ſtipendii, ſi Sacerdos qui dicturus eſt Miſſas, id condonet, ſeu donet alteri Sacerdoti, qui earumdem Miſſarum celebrationem ordinat; ita tamen ut condonatio omnino ſponte, & libere fiat, non vero ex metu aliquo, quia forſan alias non ſibi darentur illæ Miſſæ, vel in futurum aliæ non dabuntur, vel quid ſimile, quod tamen in praxi ſine peccato vix fieri contingeret.

Rectores Beneficiorum ſatisfacere ſuæ obligationi Miſſarum cum conſueta eleemoſyna.

Diverſimode vero dicendum circa Rectores Beneficii. Quæſitum enim aliquando fuit a ſacra Congregatione ſub Urbano VIII. an Rector Beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redituum Beneficii. Et reſpondit, ſatis eſse, ut Rector beneficii, qui poteſt Miſsam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione Beneficii aliter cautum fuerit. Hæc ſunt verba ſacræ Congregationis: *Ad octavum non habere locum, ſed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam ſecundum morem civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione Beneficii aliter cautum fuerit.* Et hoc docent etiam Suarez, Layman, Barboſa, Bonacina. Id quidem ſpeciem iuſtitiæ præſefert, quia Beneficiarius præter Miſsarum celebrationem habet alia onera, inter quæ eſt recitatio Horarum canonicarum, cui quoties deficiat, tenetur reſtituere elargiendo in eleemoſynam pauperibus portionem fructus Beneficii, quæ diebus quibus talem recitationem ommiſit, ſive in totum, ſive in partem, correſpondet reditui talis diei, & parti Officii quod ommiſit: Et præter hanc altera etiam ratio eſt diverſæ deciſionis factæ a ſacra Congregatione in hoc, & in priori caſu de eo ſcilicet, qui eleemoſynam maiorem ſolita accepit, quia illi Sacerdoti eleemoſyna unice offertur pro celebratione Miſſarum. Unde ſi illam alteri committat celebrandam, nullus ſupereſt legitimus titulus, quo partem eleemoſynæ ſibi applicare poſſit, ac proinde tale lucrum ſacra Congregatio dicit *damnabile lucrum*. In altero vero caſu, ideſt Beneficiarii, non tenetur niſi ad traditionem eleemoſynæ iuſta morem loci, vel Provinciæ, quia fundator non aſſignavit reditus adnexos Capellaniæ præciſe ſtipendio, ſeu honorario Miſſarum, ſed ſimpliciter fundavit Capellaniam, eique aſſignavit dotem cum onere aliquot Miſſarum celebrandarum, atque ita videatur titulo Beneficii, exſoluto hoc onere poſſe fructus excreſcentes retinere. Et inſuper præter Miſſarum celebrationem alia onera incumbunt Beneficiariis, & præcipue Horarum canonicarum recitatio. Van-Eſpen.

Illicitum eſt anticipare miſſæ celebrationem pro daturis poſtea ſtipendium.

Non licet anticipare Miſſæ celebrationem pro iis, qui ſtipendium poſtea daturi ſunt pro Miſſarum celebratione. Cum enim Sacerdos in celebranda Miſſa habere debeat certam, fixam, determinatamque intentionem offerendi iuxta particularem intentionem perſonæ, pro qua offert, certe hoc fieri nequit, ſi pro ea offeratur, antequam ſtatuerit in animo velle pro ſe Sacrificium offerri, & beneficium, quod ex tali oblatione a Deo conſequi intendat; cuius occaſio fieri poteſt, quod nondum eſſet, quando oblatum fuit Sacrificium, puta nondum commiſſum eſſet peccatum, pro cuius dolore, ac remiſſione petat ſibi applicari Sacrificium, ac proinde hoc beneficium, ſeu effe-

ctum

ſtum Sacrificii obtinere non poſſet; quia ſicuti Deus non punit, nec remunerat anticipate ob ea quæ prævidet ſutura, ſic nec confert anticipate effectum Sacramenti, vel Sacrificii; & maxime in hoc caſu de propitiatione, & indulgentia peccati, quæ certe nonniſi pro commiſſis, minime pro committendis, obtineri poteſt. Hinc hanc praxim utpote redolentem cupiditatem, & avaritiam vetavit ſacra Cardinalium Congregatio, approbante Paulo V. die 5. Novembr. an. 1605. *citius quoque celebrando peccatur*; *anticipata ſcilicet applicatione Sacrificii*; quæ anticipatio, ait Gavantus, veluti avaritiæ fomes vetita fuit a Paulo V. in ſuo reſcripto ad ſuum Nuncium in Hiſpania, ubi hujuſcemodi abuſus contra antiquum Eccleſiæ morem, gravique fidelium ſcandalo, & incommodo invaleſcebat.

Quid de obligato celebrare titulo Capellæ in tali ſcilicet Altari ſi alibi celebret.

Sacerdos obligatus ex fundatione Capellæ, vel alio titulo celebrare Miſſam in tali Eccleſia, vel altari, peccat graviter, ſi abſque legitima, & iuſta cauſſa, vel diſpenſatione ſæpius alibi celebret, quia in re gravi defraudat fundatorem, vel dantem ſtipendium. *Neceſſe eſt*, ait S. Gregor. ep. 20. lib. 9. *ut defuncti diſpoſitio modis omnibus conſervetur*; nam talis ordinatio fundatoris non ſolum cenſetur ſpectare defunctorum animabus prodeſſe, ſed etiam intendere poteſt alicuius imaginis, & altaris cultum, devotionem, & commodum populi, nempe ut poſſit ibi Sacrum audire, vel memoriam ſuæ familiæ, ad quam illa Eccleſia, vel altare, vel quid ſimile ordinatur. Sic Navarrus, Azorius, Enriquez, Barboſa, & alii. Dixi *abſque legitima & iuſta cauſſa*, puta ob violationem Eccleſiæ, donec reconcilietur, vel ſi adſit inundatio aquarum, vel quid aliud ſimile; & tunc non peccaret, nec ulla adeſt obligatio ſupplendi, dummodo alibi celebret. Dixi *ſi abſque diſpenſatione intercedente iuſta cauſſa fiat*; quia Capellanus, qui iuxta onus expreſſum in fundatione tenetur celebrare ad certum locum, & in tali altari, aut in tali hora, puta ad auroram, ab huiuſmodi circumſtantiarum debito eximi poteſt diſpenſatione Epiſcopi iuſta de cauſſa, puta, ut qui verſatur in Academia ratione ſtudiorum ſatisfaciat oneri, celebrando in alio loco, tempore, & hora; quia in illa diſpenſatione ſolum voluntas teſtatoris ommittitur in accidentalibus, & altiori bono compenſatur. Ita docent Enriquez, Barboſa 2. part. *de Epiſc. poteſt.* allegat. 24. num. 36. Dixi tandem, *ſi ſæpius alibi celebret*; nam ſi raro id fiat, non ita facile erit gravis culpa propter parvitatem materiæ. Imo ſi raro contigiſset ob rationabilem cauſſam, non erit ne quidem venialis: non enim cenſendus eſt fundator cum tanto onore obligare voluiſſe ſuum Capellanum, ut recte advertit Lugo diſput. 21. ſect. 2. num. 36. Imo ſi Capellanos impediatur per paucos dies a celebrando, iuxta multos non tenetur ſupplere per alium, vel compenſare ob rationem iam allatam, nempe non præſumi hanc fuiſſe fundatoris intentionem, cum ne quidem famulo, ait P. Antoine, ob huiuſmodi cauſſam imminui ſoleat ſuum ſtipendium; ſecus vero dicendum, ſi diebus pluribus fuerit impeditus. Sic P. Antoine.

Quid de eo qui tenetur celebrare in Altari privilegiato.

Sacerdos obligatus celebrare in altari privilegiato, exiſtimans ſe liberare poſſe animam pro qua celebrare tenetur, e Purgatorio per modum ſuffragii privilegio imaginis, vel calculi benedicti, non ſatisfacit ſuæ obligationi alibi celebrando, quia infideliter agit cum damno alterius, cum magis ac ſecurius proſit Miſſa in altari privilegiato celebrata, quam recitatio alicuius brevis orationis cum privilegio imaginis, vel calculi. Sic Navarrus, Azorius, Bonacina cum aliis.

Sacerdos qui ratione ſtipendii prius accepti, Beneficii, Præbendæ, Capellaniæ, &c. tantummodo eſt obligatus celebrare tali die, in tali loco, Eccleſia, Sacello &c. pro cultu Eccleſiæ, commoditate populi, &c. relicta ſibi expreſſe facultate applicandi Sacrificium pro alio, a quo ſtipendium acciperet, tunc illud iuſte, ac licite accipere poteſt pro Miſſæ fructus applicatione, ut docent cum Suarez, Vaſquez, Leander, Cardin. de Lugo &c. contra Gavantum in Rubric. Miſſalis tom. 1. part. 3. tit. 12. n. 5. & Dianam, qui poſt decretum ſacræ Congregationis Concilii ſub Urbano VIII. ſuſtinet, non poſſe hunc Sacerdotem recipere alterum ſtipendium pro fructus Sacrificii applicatione. Decreti ſacræ Congregationis hæc ſunt verba: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, Capellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas etiam pro aliis Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere*. Verum ex verbis huiuſce Decreti nihil videtur declarare ſacra Congregatio circa præſentem caſum. Sacra enim Congregatio, ut ex ipſios verbis colligitur, non loquitur plane de tali Sacerdote, cui expreſſe relinquitur facultas a dante eleemoſynam, vel fundatore beneficii, ſeu Capellaniæ, expleto onere celebrandi in tali Eccleſia, Capella, tempore &c. applicandi Sacrificium cuicumque ipſe

Sa-

Sacerdos voluerit, contentis ipſis ſolummodo pro ſuo ſtipendio impletionis harum circumſtantiarum. Erenim ex dictis verbis Decreti præſumi nequit, velle ſacram Congregarionem gravare eum in Sacrificii applicatione, dum ii, qui ius haberent, eum ad tale onus obligandi, expreſſe eximunt; ac proinde hoc Decretum locum non habet in caſu noſtro. Valeret quidem ſacræ Congregarionis declaratio in caſu, quo qui dedit eleemoſynam, vel fundavit Capellaniam, ſeu Beneficium, non ſe explicaſſet circa applicationem Sacrificii, ac exinde dubium eſſet an hoc quoque vellet, vel non, quia in dubio non præſumitur datum, vel relictum Capellano pro cultu ſolummodo Eccleſiæ, ſed etiam pro applicatione Sacrificii, niſi aliud exprimatur. Sic Salmanticenſes hic cum aliis.

Quid de Capellano qui anticipat celebrationem Miſſarum, quas vi Capellaniæ celebrare debet ſingulis hebdomadis.

Capellanus, qui tenetur ſingulis hebdomadis Miſſas aliquas celebrare pro fundatore, vel aliquibus defunctis, regulariter loquendo ſatisfacit illas anticipate in præcedenti hebdomada celebrando, ut cum multis aliis tradit de Lugo diſput. 21. ſect. 2. n. 44. quia anticipata ſolutio regulariter melius proderit quam ſi dilata fuiſſet in hebdomadam ſequentem. Dixi *regulariter*; quia ſi forte fundator reſpexiſſet ad tempus illud determinatum propter aliquam ſpecialem cauſſam, vel quia nimirum pertinet ad honorem ſeu decorem ſuæ Capellæ, ut nulla hebdomada Sacrificium prætermittatur, vel quia determinavit certos ſtatutos dies, puta dies dominicos, ut facilius poſſent fideles implère præceptum audiendi ſacrum, dies Sabbati, ut propter devotionem B. M. Virginis habeant Parochiani Miſſam paratam, in tali caſu voluntas fundatoris tanquam lex habenda eſt; ſic Lugo, & alii. Itidem illa anticipatio admitti non debet, ſi cedat in alterius damnum, ut ſi Sacerdos celebrare debeat ſingulis hebdomadis pro defunctis alicuius Populi, vel Communitatis; nam ex tali anticipatione ſit, ut illi qui decedunt hebdomada ſequenti, careant illo ſuffragio, cum intenrio fuerit fundatoris omnibus ſucceſſive ſubvenire, ut advertit cit. de Lugo cum aliis.

Sacerdos, qui celebrare tenetur certis diebus, ut feria 6. & Sabbato, ſi fundator ſtatuit illos dies ſine myſterio, poteſt celebrare aliis diebus hebdomadæ, cum ea circumſtantia tunc ſit mere accidentalis; ſecus vero dicendum, ſi ex ſpeciali motivo, aut reſpectu dies deſignavit, puta feriam 6. in honorem paſſionis Domini, & ſabbatum in honorem B. M. Virginis. Advertit tamen de Lugo non ita facile contingere, ut hic graviter peccet, præcipue ſi cum cauſſa, & non multum frequenter id faciat.

Quid de Capellano qui tenetur celebrare ter, aut quater in hebdomada, ſi celebret diebus ferialibus.

Capellanus, qui tenetur celebrare ter, aut quater in hebdomada, ſatisfacit per ſe loquendo, ſi celebret etiam diebus ferialibus; non enim gravandus eſt ultra voluntatem fundatoris, qui non plus imponat quam celebrationem trium, aut quatuor Miſſarum in hebdomada, relinquendo Rectoris arbitrio eas qualibet die ſive feriali ſive feſtivo celebrare. Ita Bonacina & alii. Per accidens vero fieri poteſt, ut teneatur celebrare diebus feſtis, puta ſi fundator Capellaniam inſtituerit ubi nullum aliud celebratur Sacrificium. Ex hac, aliiſve circumſtantiis eſt fundamentum præſumendi, fundatorem intendiſſe non ſolum ſibi, ſed etiam aliis prodeſſe, nempe ut fideles ibi morantes implere facile valeant diebus feſtis præceptum audiendi ſacrum, niſi aliter tamen, ut advertit Bonacina, ex mente fundatoris colligatur.

Quando Sacerdos habeat Capellaniam, quæ obligat ad celebrationem diebus feſtis, nomine dierum feſtorum veniunt & intelligendi ſunt tum dies feſti præcepti ab Eccleſia, tum feſti fori, dummodo aliud expreſſe non conſtet, quia verba accipienda ſunt iuxta communem loquendi modum, ſecundum quem dies feſti dicuntur illi quoque, qui ſunt feſti fori.

Capellanus & Beneficiarius ſimplex, cui ex ſua Capellania, vel Beneficio incumbit Miſſarum celebratio, hanc ſupplere poteſt per alium, ideſt poteſt Miſſas debitas per alium celebrare: Nam iuxta commune effatum, *qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur*, niſi aliter in inſtitutione Capellaniæ expreſſe diſponatur, ſcilicet ut per ſe ipſum celebret. Dixi notanter *Beneficiarius ſimplex*, quia Rector Parochialis ſi ex. gr. propter infirmitatem, vel aliam gravem legitimam cauſſam abeſſe debeat a Parochia, non poteſt per Vicarium a ſe deſignatum ſeu ſubſtiturum ſatisfacere ſuo oneri, ſed deputandus eſt ab Epiſcopo, quia Rectori Parochiali præter Miſſæ celebrationem incumbit etiam onus curæ animarum; hinc a ſolo Epiſcopo ei ſubſtituendus eſt, quando opus ſit Vicario, qui ipſius vices parochiales gerat.

Quando Capellanus ægrotans teneatur

Capellanus ægrotans, ſi infirmitas in longum protrahatur, tenetur interim dare alteri ſtipendium, qui ſuppleat oneri Miſſarum, ne fundatoris voluntas defraudetur:

Digitized by Google

per a. lium ſa. tisfa. cere.

non tenetur vero, ſi infirmitas brevis ſit. Verum in definienda brevitate infirmitatis non conveniunt Theologi. Alii enim eam extendunt ad octo dies, alii ad quindecim, alii vero probabilius ad unum menſem; & huic extenſioni favet in aliquibus locis conſuetudo, & univerſim auctoritas Concilii Provincialis Mediolanenſis 7. tit. *de Miſſis*, ubi ſic habetur: *Si Capellanus ſaltem per annum functus ſit munere celebrandi in aliquo loco, ſi etiam per menſem ægrotet, adhuc integram eleemoſynam iudicio Epiſcopi recipere poteſt*. Alii vero extendunt dictam brevitatem ad duos menſes, ut Navarrus, Leander, Lugo cum aliis, quia, dicunt ipſi, ita præſumi poteſt de mente fundatoris, niſi in contrarium ſignificaverit. Et hoc honeſtum & iuſtum Doctoribus videtur; alias Sacerdotes peioris eſſent conditionis quam famuli conductitii.

Capellani obligati quotidie ad celebrandum, poſſunt in quolibet anno Miſſas quatuor, vel ſex ſecundum Salmanticenſes pro ſeipſis, vel pro aliquibus ipſis valde coniunctis ad ſpecialem aliquam gratiam obtinendam, vel pro anima ſui patris vel matris, vel chariſſimi amici, & benefactoris celebrare; quia creditur quod pius Miſſæ, vel Capellaniæ quotidianæ inſtitutor, ſi de tali caſu cogitaſſet, vel interrogatus fuiſſet, minime hoc negaſſet. Sic Salmanticenſes cum aliis, quos ibi citant. Et equidem currere non debet excellentiſſima Sacrificii actio cum aliis mundanis quotidianis operibus, quæ ab operariis locantur; nec Sacerdos æquandus eſt vili conditioni manualium mercenariorum. Poteſt etiam Sacerdos obligatus quotidie celebrare pro aliqua Capellania, maioris honeſtatis cauſſa ſecundum aliquos ſemel in hebdomada Miſſam prætermittere, dummodo tamen celebret pro Capellania, cui ex fundatione fuit electus: ut ſi dicatur in fundatione; volo ut Miſſa quotidie celebretur in tali Eccleſia, vel Capella, tunc aiunt Salmanticenſes cum Armilla, Sylveſtro, Tabiena, Suarez, aliiſve teneri celebrare quotidie ſine ulla intermiſſione; eo tamen die, quo ob maiorem honeſtatem ommittere poteſt Sacerdos celebrationem, non poteſt pro alio celebrare, & multo minus ſtipendium accipere; alias quolibet anno pro quinquaginta Miſſis recipere poſſet duplex ſtipendium, quod eſt contra decretum ſacræ Congregationis, & Alexandri VII. & non honeſtatis cauſſa, ſed ex motivo turpis, ac pernicioſi lucri Miſſam Capellaniæ contra fundatoris voluntatem ommitteret. Sic communiter Doctores.

Num vero ſimoniam committat Sacerdos qui certo die non habens ſtipendium ſtatuit non celebrare; & mox aliquo ſtipendium offerente ſeſe ad celebrandum determinat, res in gravi dubio verſatur. Nihilominus tamen ſi ſe ad hoc determinans, vere ac ſincere non moveatur ad celebrandum principaliter a ſtipendio, ſed ſtipendium fuerit occaſio quidem, non tamen cauſa primaria, qua impellatur ad ſacrum faciendum; unde Dei gloria ſit tamquam finis principaliter intentus, & occaſio ſtipendii tamquam res neceſſaria ad ſuſtentationem ſolum acceſſorie, & ſecundario intenta ſit, ſimoniacus non eſſet, ut quodlib. 8. art. 11. reſolvit S. Thomas de Canonico, ubi ad Eccleſiam properans reſpicit diſtributiones. Quiſque idcirco in caſu ſeipſum conſulat, ut deprehendat, quid principaliter eum ad celebrandum moveat: nam certe neſcio quomodo excuſari poſſit a gravi ſimoniæ ſuſpicione ille, qui ſi ſtipendium habeat, celebrat, ſi ſtipendium deſit, Miſſæ celebrationem ommittit. Quomodo huic quæſo non erit ſtipendium principaliter intentum? Et eo vel maxime quod, ut advertit D. Thomas opuſculo 1. *de officio Sacerdotis* cap. 1. illicitum eſt Sacerdoti celebrare ut habeat unde vivat; *non poteſt tamen*, ait S. Doct. *Sacerdos illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam conſequatur, quia peccat mortaliter*; ita Gennetus.

Quid de eo qui cum ſtatuerit non celebrare, dato ſibi ſtipendio celebrat.

Sacerdos, qui accepto ſtipendio ut unam Miſſam celebret, celebrationem illius ſcienter ommittit; controvertitur inter Doctores, num mortaliter peccet. Petrus de Navarra cum aliquibus aliis contendit pro parte affirmativa, eo quod unius Sacrificii privatione graviter concedens ſtipendium defraudatur, cum ſacrum ſit quolibet pretio temporali extimabilius; Et hoc confirmat a pari cum Sacrificio, quod ex voto, iuramento vel ex præcepto Superioris debitum eſſet, cuius ommiſſio profecto induceret in mortale. Verum melius reſolvere videntur, qui contrarium ſuſtinent, ut Thomas de Sanctio, Facundus, aliive, caſu quo tamen ſtipendium collatum non inducat culpam gravem in materia furti, quia cenſent eſſe parvitatem materiæ in ommiſſione unius tantum Miſſæ. Neque enim hic, aiunt, attendendum eſt ad damnum ſpirituale, ex eo quod Sacrificium quolibet temporali pretio ſit dignius, alias promittens quamlibet orationem, & poſtea ommittens peccaret mor-

Digitized by Google

mortaliter; ſed gravitas materiæ penſanda eſt iuxta gravitatem, ſeu quantitatem ſtipendii, quale pro unica Miſſa datum non attingit quantitatem ſufficientem ad mortale. Neque currit paritas de Sacrificio debito ex voto, iuramento, vel Superioris præcepto, quia in huiuſmodi caſu gravitas materiæ debitæ deſumenda eſt ex cultu, & honore, qui Deo per Sacrificium exhibetur, qui revera eſt graviſſimus; ac ideo illius ommiſſio grave peccatum inducit. Nihilominus tamen attendendæ ſunt circumſtantiæ perſonæ conferentis ſtipendium, num ſit in aliqua gravi neceſſitate, pro qua curet offerri Sacrificium, quia in tali caſu mihi videtur quod frauderetur in gravi; eo vel maxime quod ab alio Sacerdote beneficium optatum conſecuta fuiſſet, ac proinde ſi non quoad ſtipendium, ſaltem quoad gravem ſuam indigentiam in re gravi decepta fuiſſet, ac proinde non ſine gravi culpa decipientis: nam tunc hic æquiparatur ei, qui licet damnum leve in ſe inferat proximo, eſt tamen grave reſpectu perſonæ, cui infertur, ut ſi furetur modicam quantitatem pecuniæ perſonæ, graviter indigenti; quæ quantitas licet reſpectu alterius perſonæ eſſet levis, reſpectu tamen graviter indigentis eſt gravis, cum talis quantitas licet levis, tamen grave damnum tali perſonæ afferat.

Sacerdotes non poſſunt licite ſuſcipere plures Miſſas celebrandas accepto ſtipendio, quas infra modicum tempus implere nequeant. Sic ſtatuit ſacra Concilii Congregatio; ne aberretur in ſenſu verborum *infra modicum tempus*, intelligendo forſan plures menſes, eadem ſacra Congregatio circa hoc reſpondit, illud modicum tempus intelligendum eſſe ad ſummum extenſione unius menſis, ut conſtat ex eius Decreto ſub die 17. Iulii ann. 1655. ubi ſic habetur: *Sacra Congreg. reſpondit, modicum tempus intelligi intra menſem*: lib. 19. Decretorum pag. 409. Sic refert, & tenet Cardin. Lambertinus, qui fuit Pontifex feliciſſimæ recordationis Benedictus XIV. vol. 3. *Notificat.* 15. *& Inſtruct. eleemoſynæ Miſſæ, & retentione alicuius partis pro utenſilibus*, ita ut qui onus Miſsarum diu differt, graviter iniurioſus eſt dantibus ſtipendium, niſi ipſi ultro in dilationem conſentiant, ut declaravit etiam citata ſacra Card. Congregatio reſpondendo ad 12. quæſitum. Quinimo differendo celebrare Miſsas debitas, fieri poteſt, ut dans ſtipendium pro Miſsæ celebratione fraudetur fructu ipſius, ſicuti contingeret, ſi Miſsa petatur celebranda ad impetrandum aliquod a Deo, & Miſsa dicatur elapſo tempore neceſſitatis, vel ad impetrandam infirmo ſanitatem, vel pro anima defuncti, & dicatur quando unus iam obiit, & altera a pœnis Purgatorii iam eſt liberata; quo in caſu addunt Doctores, teneri Sacerdotem ad ſtipendii reſtitutionem. Hinc Urbanus VIII. in ſuo Decreto vetuit ſuſcipere alia onera Miſsarum, donec antea accepta expleta non ſint.

Sacerdos, qui ſtipendium accepit, Miſsam dicere tenetur ſicut offerens poſtulavit, videlicet Miſsam talem, aut talem, votivam, vel de Requiem, niſi obſtet ritus Eccleſiæ. Et quoad primum, quia alioquin virtus fidelitatis violaretur, ſimulque contingere poteſt, quod ob ſpecialem offerentis devotionem, necnon ſpeciales orationes magnus fructus impetrationis proveniat. Quoad alterum conſtat ex eo, quia voluntas, & ordinatio ſanctæ Matris Eccleſiæ prævalere debet privatorum fidelium voluntati; eo præſertim quod hi non intendant, nec rationabiliter intendere poſſint Eccleſiæ ritui contravenire. Iam Miſsa currente celebrata pro defunctis lucrari poſsunt Indulgentiæ altarium privilegiatorum pro animabus in Purgatorio exiſtentibus, ut declaravit Clemens VIII. ſpeciali Decreto die 23. Sept. 1599. emanato, quod incipit: *Cum felic. recordat.* quo ſoluta fuit Doctorum difficultas qui communiter contrarium ſentiebant.

Porro certum eſt, obligationem celebrandi Miſsam ratione ſtipendii eſse de genere iuſtitiæ commutativæ, habentem adnexum onus reſtitutionis, ſi non adimpleatur, quia ſtipendium alias iniuſte detineretur, ac proinde talis obligatio eſt gravis, ac obligans ſub mortali. Obligatio celebrandi Miſſam pro ſtipendio eſt de genere iuſtitiæ commutativæ.

§. XIX.

De incommodis quæ orta ſunt ex honorario pro Miſſæ celebratione.

De incommodis variis, quæ orta ſunt ex introductione ſtipendii pro Miſſarum celebratione diſerte agit inſignis, & erudiſſimus Canoniſta Lovanienſis Zegerus Bernardus Van-Eſpen. Ex hoc enim oſtendit, quam viluerit in hominum æſtimatione & Sacrificium, & Sacerdotium, cum & ſanctiſſimum hoc opus redactum ſit ad quamdam ſpeciem ſordidæ mercaturæ, & Sacerdos ad obiectionem vilis mercenarii, dum ſæpe non plus quæritur in Sacrificii cele-

S 2 bratio-

bratione, quam temporale lucrum, & utilitas. Si hodiernum, ait cit. Canoniſta, plurimorum Sacerdotum, præſertim tenuioris fortunæ inter ſæculares & Regulares, quorum Monaſteria hiſce Miſſarum honorariis viſitant, modum agendi etiam leviter attendamus, verendum eſt, ne hodie veriſſimum ſit, quod iam pridem deploravit Alvarus Pelagius lib. 2. *de planctu Eccleſiæ* art. 5. quod tot dicantur Miſſæ quæſtuariæ, ut apud Populum, & Clerum corpus Domini iam vileſcat, dum plurimi hodie conſpiciuntur Sacerdotes curſitare, ubi pinguiora ſe accepturos ſperant ſtipendia, non ſecus ac opifices, & mercenarii, quique operum ſuorum pinguiores mercedes venantur. E contra vero perdifficiles ſe præbent, ac renitentes, ut hora & loco quantumvis Populo valde opportunis, & ſubinde fere neceſſariis Miſſam celebrandam ſuſcipere velint, ſi honoraria deſint ſuæ congrua cupiditati, quaſi Sacerdotes non tam eſſent ordinati ad offerendum tanquam Eccleſiæ miniſtri divinum Sacrificium ad devotionem, ædificationemque fidelium, quam ut celebratione Miſſarum comparent honoraria, ſeu ſtipendia, ut ex his vivant. Quocirca huiuſcemodi Sacerdotes parum attendere ſolent num celebratio Miſſarum tempore, aut loco magis congruis fiat, dummodo hoc loco, aut tempore celebrando maius honorarium accipere poſſint, quæ apertiſſime indicant animum prorſus mercenarium in Miſſarum celebratione.

Et revera non pauci Sacerdotes conſpiciuntur tum in ſæcularibus, tum in Regularibus, more mercenariorum, & opificum commenſurare, ſeu computare Miſſarum ſtipendia pro menſura laboris præcipue, & temporis in earum celebratione impendenda. Immo aliquando talem ſordidam, indignamque taxam ex ipſis ſpiritualibus circumſtantiis inſtituunt, cum familiaris ſit maiora inſtituere ſtipendia pro illarum celebratione in hoc, vel illo altari, eo quod ob quamdam populi devotionem erga ſanctam imaginem, Sanctum, indulgentiam, plura ad illud altare petantur fieri Sacrificia. Quo fit ut pluribus Sacerdotibus ad celebrandum concurrentibus, cum nonnunquam ſit expectandum, ob talem moram expectandi Sacerdotes illi quaſi mercenarii Miſſæ celebrationem ſibi compenſari volunt ampliori ſtipendio. Hoc quoque more mercenario prætendunt pinguius honorarium, ſi Eccleſiæ utilitas exigat, ut certis deſtinatis horis Sacrum peragatur. Unde patet ad evidentiam, in oblatione Sacrificii non tam inſpici quod hic & nunc Eccleſiæ utilitas poſtulet, quam quod ſtipendii quantitas exigat.

Hinc ad hoc devenit hodie, ut advertit citatus Doctor Lovanienſis, mercenarius ille taxandi modus, ut ipſa Sacrificii ſolemnitas non a feſti ſolemnitate Eccleſiæque præcepto, ſed a quantitate ſtipendii perſoluti, aut perſolvendi deſumenda videatur. Nam frequentiſſime nunc videtur Miſſæ Sacrificium pro cuiuſque privato affectu, nulla publica cauſſa, aut feſti ſolemnitate occurrente, ſolemniſſime peragi, modo ſtipendium ratione ſolemnitatis modo mercenario a miniſtris conventum, & taxatum offeratur. E contra vero, ſi deſit huiuſmodi ſtipendium, occurrat quantumvis magna ſolemnitas, non ritus ſolemnis, ſed ritus ſimplicior leviori ſtipendio proportionatus habebitur, niſi etiam contingat, ut iam aliquando videtur (quia ſtipendium quod tribuitur iudicio eorum eſt exiguum) ritum truncari, ſeu mutilari, aut perfunctorie peragi. Nec mirandum, ſtipendia Miſſarum tam anxie a quibuſdam inquiri, cum vel ipſi, ſi Sacerdotes ſint ſæculares, vel eorum Monaſteria, ſi Regulares ſint, his honorariis, ſive ſtipendiis vivere cogantur. Quis igitur non horreſcet ipſum tremendiſſimum, diviniſſimum, atque Religionis noſtræ auguſtiſſimum Myſterium eo eſſe vilitatis redactum, ut ceu quoddam opificium quotidiano victui parando ſubſervire debeat.

Unde hinc contingit, quod Sacerdotes ex honorariis Miſſarum victitantes, ex humano potius affectu, ſeu conſuetudine, aut ſane ex neceſſitate vitæ ſubſidia conſequendi, quam devotionis affectu, & Spiritus ſancti impulſi quotidie ad Miſſam celebrandam accedunt. Immo ſi horum Sacerdotum agendi ratio proprius attendatur, verendum eſt, ne cum Patribus Concilii Colonienſis anno 1536. part. 2. cap. 10. noſtris quoque temporibus dicere debeamus: *terret, nec immerito nos ſermo Dominicus, qui vetat nos ſanctum dare canibus, & margaritas noſtras projicere ante porcos, dum quoſdam leviculos Sacerdotes illotis manibus pedibuſque, ut in Proverbio eſt, audacius in hæc ſacratiſſima Myſteria, quam in profana irrumpere comperimus, quales ſunt, qui humano affectu tantum, & potius ex more, quam devotionis ardore ad altare accedunt, quorum polluta eſt mens, & conſcientia.* Et revera non ſine magna Sacrificii irreverentia conſpiciuntur hodie Sacerdotes, vitam otioſam, imo multis

tis defectibus, ne dicam criminibus obnoxiam agentes, neceſſitate victum quærendi ex ſtipendiis ſacrorum quodammodo compulſos accedere ad quotidianum Sacrificium, non ſecus ſere ac opifices ad opus ſuum manuale lucri cauſſa in dies properare ſolent. Hi plerumque ſunt Sacerdotes, de quibus ſcribit Card. Bellarminus: *plurimi ordinari cupiunt pro utilitate ſua, non Eccleſiæ, & de celebratione Miſſæ faciunt artem de pane lucrando*. Hæc tamen non minus quam in ſæcularium Sacerdotum ordine, timenda ſunt etiam in ordine Regularium, prætertim illorum, qui ex ſtipendiis Miſſarum victum quærere ſolent, omneſque indiſcriminatim, dummodo ætatem habeant, ad Sacerdotium mittere conſueſcunt, & Sacerdotio initiatos lucrandi cauſſa quotidianum ſtipendium, ad quotidianam Miſſæ celebrationem adigunt.

Ex hoc mercenario agendi modo Sacerdotum contingit pariter, ut Sacerdotes ſubmittant ſe magnatibus & divitibus, quibus celebrandi cauſſa Capellanos ſe conſtituunt, quos hi ut ſervos admittunt, nec honeſtius plerumque tractant, quam opifices, qui ad opera ſua locanda ſpe mercedis invitantur; glorioſum autumantes inter famulos, ſeu pediſequos ſuos, non tantum vile aliquod hominum genus, ſed ipſos quoque Sacerdotes numerare. Profanationem hanc horreſcens, ac timens S. Franciſcus, ut ex Alvaro Pelagio, voluit, ut in quocumque loco Fratres contenti eſſent una Miſſa, præſciens Fratres ſe velle iuſtificare per Miſſas, & ad quæſtum eas reducere. S. pariter Ignatius Societatis Ieſu fundator part. 6. *Conſtitutionum* monet omnes qui ſunt ſub obedientia Societatis *ut meminerint ſe gratis debere quæ gratis acceperunt, nec admittant ſtipendium, vel eleemoſynas ullas, quibus Miſſæ, vel Confeſſiones, vel Prædicationes, vel lectiones, vel viſitationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas noſtra, noſtrum Inſtitutum exercere poteſt, compenſari videantur, ut ſic maiori cum libertate poſſint, & proximorum ædificatione in divino officio procedere*.

De hac infami mercatura quorumdam Sacerdotum valde conqueſti ſunt Patres Concilii Toletani an. 1324. can. 6. dolentes de nimia ſollicitudine in exigenda pecunia pro Miſſarum celebratione, ut iis, qui faciunt eas celebrare videantur tales miniſtri velle vendere divinam gratiam, quæ in Sacramento Miſſæ confertur, ac proinde diſtricte interdixerunt huiuſcemodi exactiones, præcipientes, ut gratis dent quod gratis acceperunt. Hunc deteſtabilem abuſum ex ſordida Sacerdotum avaritia promanantem exterminare, & eradicare volentes etiam Patres Tridentinæ Synodi in decreto *de obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſæ* ſtricte prohibuerunt cuiuſvis mercedis pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius quam poſtulationes, aliaque huiuſcemodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt. Haſtenus citatus Van-Eſpen.

§. XX.

De fundationibus Anniverſariorum, & Miſſarum.

Quid nomen Anniverſarii.

Anniverſarii vocabulum, licet late ſumptum importet quamcumque annualem commemorationem, vel celebrationem, ſecundum tamen communem uſum ſtricte accipitur pro annua commemoratione defunctorum fidelium cum ſuffragiorum, Miſſarum, vel Officiorum, aliarumque precum celebratione pro illorum animabus, ut ex Gloſs. in cap. *cum creatura de celebrat. Miſſar. dicitur quod pro defunctis fit anno revoluto a die mortis ſuæ*. Quare in communi, & ſtricto ſenſu ſumitur anniverſarium pro onere, ſeu pro adimplemento oneris impoſiti ad ſuffragia ſingulis annis pro defunctis impertienda eo anni die, quo accidit, & recurrit mors inſtitutoris.

Anniverſaria de requiem cani poſſunt licet occurrant in duplici maiori.

Anniverſaria, & Miſſæ de requiem, quæ ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis cum cantu celebrandæ ſunt, cantari poſſunt etiamſi ipſorum obitus dies inciderit in Feſtum duplex maius, ut decrevit ſacra Congregatio Rituum 22. Novembr. 1664. & Alexander VII. 22. Ian. 1667. in Decreto quod incipit *Credite*. Advertendum tamen eſt, Decretum loqui de anniverſariis, & Miſſis cantandis ex diſpoſitione teſtatorum, non autem ad placitum vivorum. Anniverſaria, & Miſſæ dici debent tertia die, ſeptima, & trigeſima, & ea impedita transferri poſſunt in ſequentem diem. Ita ſac. Congreg. Rituum 27. Sept. 1607. & 19. Maii 1614. Ut autem citius defunctus ſuccurratur, anticipari poſſunt, ut vult Raymundus cum aliis. Unde patet, nullimode cani poſſe Miſſam de requiem ad ſolum placitum vivorum in duplicibus, & quandocumque currit Officium excludens duplicia, cum ſatisfieri poſſit piæ eorum voluntati vel anticipando, vel transferendo in diem non impe-

impeditam, ne violentur Rubricæ, & Decreta hoc vetantia.

Celebratio extremi diei Defunctorum culta fuit etiam a primis ſæculis, ut teſtatur Tertullianus *de corona Militis* cap. 3. *oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*. Sic Caſſianus *collat.* 19. cap. 1. habet de ſolemni anniverſaria celebratione depoſitionis Abbatis. Eſt tamen incertum, an illa anniverſaria Officia fierent ſemel tantum, aut perpetuo, ut teſtatur Mabillonius in Præfat. in 1. partem ſæculi 3 Benedictinorum n. 101. Sæculo 9. nota fuere anniverſaria annuatim recurrentia. Anniverſaria Regum, & Abbatum celebrantur in Monaſteriis. Quo ritu vero celebrarentur incertum eſt. Quod ſatis conſtat, eſt, non eodem ritu, nec eadem celebritate fuiſſe ubique peracta: Nam ex Decreto Eiſilii Abbatis Fuldenſis anniverſarium celebrabatur cum Miſſa & Pſalmorum cantu, & ita celebratum fuit anniverſarium Sturmii Abbatis pariter Fuldenſis. Aliquando vero minus ſolemniter, cum una ſcilicet vigilia, & uno pſalterio. Et ſic celebratum fuit a Monachis Fuldenſibus pro eodem Abbate Sturmio ante Decretum dicti Abbatis Eiſilii, ut conſtat ex monumentis Fuldenſis Monaſterii, & præcipue ex ſupplici libello oblato Carolo Magno. Et hoc anniverſarium pro Abbate Sturmio annuatim celebrabatur, ut evincitur ex cit. ſupplici libello, ubi ſic habetur: *Pro Sturmio quoque Abbate in anniverſaria obitus die unam vigiliam, & unum pſalterium per ſingulos annos legimus*. Osbernus autem Abbas Uticenſis, ut habetur apud Uldericum Vitalem lib. 3. *hiſtoriæ*, ſtatuit fieri ſingulis annis anniverſarium pro patribus, matribus, fratribus, & ſororibus omnium Monachorum Cœnobii Uticenſis. In hiſce autem anniverſariis, ut habetur in decreto dicti Abbatis Osberni, ſigna dabantur cum campanis ſero, & mane, ad Officium defunctorum diu pulſabantur. Volumen mortuorum ſuper altare diſſolutum palam expandebatur, & prius deprecatio pro defunctis, poſtea pro vivis parentibus, benefactoribus, cunctis fidelibus offerebatur; & ab Eleemoſynario tot pauperes, quot Monachi ipſa die in Monaſterio colligebantur. Unde patet, non eſſe recens quod omnia ſigna, ideſt campanæ ſero & mane ante Officium pulſentur. Habetur ulterius, quod in die anniverſaria ſpecialiter eleemoſynæ in pauperes diſtribuebantur. In uſu pariter fuiſſe videtur, ut in die anniverſaria recurrente Fratribus amplior daretur refectio, ut habetur ex Decreto Synodi Piſtenſis; & de hoc ſi revolvantur monumenta Capitulorum Canonicalium, & Monaſteriorum, plurima invenientur exempla; immo ſæculo 11. uſitata fuere in Hiſpania convivia defunctorum, ad quæ tum Clerici, tum Laici conveniebant, ut colligitur ex Concilio Coniacenſi celebrato in Hiſpania anno 1050. ubi in can. 5. hoc pium habetur inſtitutum. In Collegiis Canonicorum poſteriori ætate hæ refectiones inter Canonicos anniverſario aſſiſtentes fere ubique converſæ ſunt in diſtributiones.

Incertus eſt ritus, quo olim Anniverſaria celebrarentur.

Antiquitus anniverſaria nonniſi pro fundatoribus, & benefactoribus agebantur, neque aliqua certa determinata ſumma, quæ celebranti, & miniſtris in honorarium cederet, aſſignari volebat. Poſtquam vero Miſſarum honoraria invaluere, etiam pro celebrandis anniverſariis honoraria Sacerdoti celebranti, & miniſtris aſſiſtentibus aſſignari cœperunt; & id pro ratione celebritatis, qua celebranda ſunt, inſuper & numerus aliquis fabricæ Eccleſiæ pro expenſis in Sacrificium, & ornamenta faciendis cœpit conſtitui. Celebritas porro anniverſariorum, nec non relictorum in pauperes, vel miniſtros Eccleſiæ, aliave pia opera diſtributio dependet ab arbitrio, & voluntate fundatorum, quæ illorum prima lex eſſe ſolet. Sicuti autem liberum tandem fuit cuique particulari, dato honorario, obtinere Miſſas ſibi ſpecialiter applicabiles, eadem quoque ratione invaluit, ut quiſque potuerit ſpeciale anniverſarium fundare, & ſic poſtremis hiſce ſæculis anniverſaria in immenſum crevere. Van-Eſpen.

Antiquitus Anniverſaria non celebrabantur niſi pro Fundatoribus, & Benefactoribus.

Multiplicationi anniverſariorum acceſſere ulterius crebræ Miſſarum fundationes, vel quotidianæ, vel plures per menſem, aut hebdomadam, vel annum pro ratione ſtipendiorum, & voluntate fundatorum, qui Miſſas requirunt. Fundationis Miſsæ quotidianæ mentio occurrit in cap. 11. §. *de præbend.* ubi exponitur inſtitutio præbendæ pro quotidiana Miſsæ celebratione de S. Maria facta a Præpoſito, & Capitulo Eccleſiæ collegiatæ Inſulenſis in Flandria, qui præbendam hanc dederunt cuidam Sacerdoti, ut quotidie, niſi infirmitate impediretur, Miſſam celebraret de S. Maria, & Eccleſiam nonniſi de conſenſu Præpoſiti, & Capituli non poſset deſerere, vel cuiquam anniverſarium illius præbendæ delegare. Quæ conceſſio, ſeu inſtitutio Sacerdotis in illam præbendam firmata fuit ab Alexandro III. addendo confirmationi circa quotidianam Miſ-

ſæ

ſæ celebrationem hanc exceptionem, ſeu reſtrictionem, *ſalva honeſtate ſua, & debita devotione*. Ratio hujus reſtrictionis, quæ notanda eſt, aſſignatur a Panormitano, ac Proſpero Fagnano his verbis: *Quia talis inſtitutio præberet multoties occaſionem, ſeu materiam peccandi; cum facile non contingat Sacerdotem quotidie devotum exiſtere ad celebrandum*. Animadvertit hic citatus Doctor Lovanienſis, quod ſi Epiſcopi & Prælati bene attenderent huic rationi, certe agnoſcerent ſimiles Miſsarum quotidianarum fundationes non facile admittendas, & multo minus Sacerdotibus quibuſcumque eſse committendas, cum pauciſſimi reperiantur, præſertim inter illos qui ſolent huiuſmodi Miſſarum celebrationem ſuſcipere ea devotione ac pietate, ut quotidie diſpoſiti ſint digne Sacris altaribus adſtare, & tremendum Sacrificium offerre; eo vel maxime, quod huiuſcemodi certas ſecuraſque quærunt proviſiones quotidianæ Miſsæ officiaturæ animo mercenario, ut tanquam ab opificio neceſsaria habeant ad vitæ ſuſtentationem. Hinc ignota eſt pluribus ſæculis huiuſcemodi quotidianarum Miſsarum celebratio uni iniuncta Sacerdoti. Habetur quidem ex antiquis formulis fundationum, ac dotationum Monaſteriorum, & Eccleſiarum, quod fundatores ſolerent bona ſua in Monaſteriorum fundationem, aut dotationem pro remedio animæ ſuæ, aut parentum ſuorum offerre, nullum tamen Miſsarum numerum prioribus illis ſæculis expreſsum invenire contingit. Immo nec reperitur priſtinis ſæculis Eccleſiæ, vel in Monachorum regulis, vel in aliqua Epiſcoporum Synodo impoſitum fuiſse Sacerdotibus Miſsam quotidie offerendi.

Primaria lex de lata Sacerdotibus quotidie celebrandi fuit in Concilio Compoſtellano.

Quod primum de hac celebratione Miſsæ habetur, occurrit in quodam Concilio Compoſtellæ celebrato anno 1056. in quo inter alia ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia præcipitur Epiſcopis, & Sacerdotibus omnibus, ut quotidie celebrent. De hoc Concilio habet Baronius ad eumdem annum, & prout ibi expreſsum fuit, legitur tom. 9. Conciliorum Generalium pag. 1087. Fides tamen huius Concilii unice innititur ſchedis Antonii Auguſtini, ut notat hic cit. Doctor Lovanienſis. Ad ſtatum huius Concilii Compoſtellani animadvertens Mabillonius in Præfat. ad 2. partem ſæculi 6. Benedictinorum n. 95. ait: *Hec prima de hac re Conſtitutio legitur. Et quidem id maxime probandum, ſi modo Sacerdotum omnium mores tanti myſterii dignitati, ac ſanctitati reſponderent, abeſſet ſordidus quæſtus, & lex conſuetudinis, quæ in trivialem uſum degenerat*. Et revera quia onus quotidie celebrandi gravius viſum fuit, Cæleſtinus Pontifex illam ſupradictam præbendam in duas diviſit, ut teſtatur Innocentius III. lib. 2. Regiſt. pag. 487. his verbis: *Verum prædeceſſor Papa memoratus uni Presbytero eſſe nimis oneroſum oſtendens divina ſingulis diebus celebrare, præbendam ipſam in duas diviſit*. Van-Eſpen tit. 5. part. 2. cap. 7.

Varia exponuntur circa onera Anniverſariorum.

Verum ut quoad anniverſaria meliori modo quo breviter fieri poteſt ſatisfiat, varia hic elucidanda ſunt, quæ circa ea occurrere poſſunt. Habens iniunctum onus faciendi celebrare anniverſarium certi numeri Miſſarum, puta quindecim, aut ſexdecim pro anima fundatoris, non tenetur facere celebrare Miſſam cantatam, quia niſi aliter exprimatur in fundatione, tale anniverſarium intelligitur de quindecim aut ſexdecim Miſſis privatis eadem die anniverſaria celebrandis in loco hæredi, ſeu beneficato. Sic ſac. Congregatio Concilii in Placentina 13. Ian. 1691. Ipſæ tamen Miſſæ anniverſariæ legi poſſunt *de requiem*, ſi earum dies anniverſaria incidat in duplici, vel quando ſit Officium excludens duplicia. Sacr. Congreg. 28. Aug. 1627. & 21. Ian. 1670.

Anniverſarium ordinatum a Teſtatore pro anima ſua ſine declaratione, an pro una vice tantum, an in perpetuum, præſumendum eſt pro perpetuo, quia in diſpoſitione indefinita, quando diſpoſitum eſt iterabile, non intelligitur de una vice, ex Leg. *cum quid ff. de annuo legat.* prout explicat Cumanus in Leg. *Eum qui Kalendis in principio de verbor. ſignificat.* Sic etiam tenent Lancellotus, Barboſa in L. *divortio* §. *quot in anno* 11. ff. *de ſolut. matrim.* Et ſic non ſemel in ſimili quæſtione definitum fuit, ut teſtatur Perez *de anniverſ. & Capell.* l. 1. cap. 3. n. 9. & ſeq. & alii plures ab ipſo citati.

Onera in fundo impoſita pro anniverſariis tranſeunt cum eodem fundo, quia teſtator, ex quo fundum illum aſſignavit pro onere anniverſarii, ut ex eius fructibus, ſeu reditibus onus eiuſdem perſolvatur, intelligitur fundum illum obligaſſe: per illam enim aſſignationem talis fundi quodammodo ſeparavit ipſum fundum a corpore ſuorum bonorum, ſeu hæreditatis ſuæ, ut firmiori vinculo fundum illum obſtringeret, ne obligatio anniverſarii facile dilaberetur; & hoc conſtat a pari cum fundo aſſignato a teſtatore pro alimentis alicui præſtandis; tunc

enim fundus ille intelligitur hypothecatus pro eiuſdem alimentis, ut notat Gloſſ. in L. *Lucius de alimentis legatis* text. in L. 2. ff. eodem tit.

Anniverſarium relictum a teſtatore, ut celebretur pro anima ſua in Eccleſia, in qua ſtatuit ſepeliri, ceſſat ſi teſtator culpabiliter ſeipſum occiderit, aut in puteum ſe proiecerit, cap. *pro obeuntibus* 13. q. 2. ubi pro impiis, qualis eſſet qui culpabiliter ſe interficeret, expreſſe prohibetur orare his verbis: *Non tamen pro .... quamvis Chriſtiani fuerint, tale quid agere licebit*. Ex quo autem per hanc ſanctionem Gregorii Papæ oritur prohibitio orandi, & implendi legatum, legatum ipſum deſinit L. *cum tale* §. *falſum ff. de conditione & demonſtrata* ex L. *ſi quis legaverit* §. *finali* ff. *de alimento legato*. Sic Suarez *de anniv. & Capell.* l. c. cap. 11. fere per totum Turricremata, Covarruvias, & alii. Quod ſi teſtator ordinaverit legatum pro anima ſua, & animabus ſuorum, non ceſſat, quamvis ſeipſum occiderit, quia tametſi tale anniverſarium habere nequeat ſuum effectum in favorem talis teſtatoris, poteſt tamen effectum ſuum conſequi in favorem aliorum, in quorum quoque ſuffragium eſt inſtitutum.

Anniverſaria vero fixa, & alia ſimilia, quæ ex expreſſa teſtatorum, & fundatorum voluntate prohibentur dari abſentibus ex quacumque cauſſa, & iubentur dari ſolummodo ipſis phyſice, & corporaliter intereſſentibus, non participantur ab habentibus indultum a Papa, ut etiam in abſentia poſſint participare omnes & quaſcumque diſtributiones ordinarias, & extraordinarias, & quocumque ordine nuncupantur. Teſtator enim hanc legem, & conditionem in ſuo teſtamento legatis, & rebus dare, & apponere vult L. *in re mandata* cod. *mandat.* L. *ex facto* ff. *de hæred. inſtitut.* quæ non minus quam leges iuris communis ſervandæ ſunt L. *plane* 94. §. 1. *de legat.* & contra eas non præſumitur Papa voluiſſe diſpenſare, ut ſentit Lotter. *de re beneficiar.* lib. 2. q. 43. n. 63. Immo Papa potius adhæret piæ teſtatorum voluntati, quam præiudicet, ut notat Rota Rom. p. 7. deciſ. 158. n. 24. nec obſtant verba illa generalia Indulto appoſita, ſcilicet: *omnes & quaſcumque diſtributiones ordinarias & extraordinarias, & quocumque nomine nuncupentur*, quia hæc reſtringenda ſunt ad ea ſolummodo, quæ debentur ex proviſione iuris communis, non autem ex proviſione hominis, quæ facit proviſionem legis; & dum Papa huic hominis proviſioni ſpeciatim, & expreſſe non derogat, eius reſcripta, & indulta ſecundum diſpoſitionem iuris communis ſemper interpretanda ſunt cap. *cum dilectis*, & ibi Gloſſ. verb. *iure communi de conſuetud.* Gonzalez, Paſſerinus, Pignatellus, Rota part. 3. deciſ. 194. n. 3. & alibi; & ita pluries decitum fuit a ſacr. Congreg. Concilii, & ſignanter in Neapolit. indulti, quod fuerat conceſſum Canonico Neapolitano cauſſa ſtudii 20. Febr. 1677. & ſic alias ſemper declaravit.

§. XXI.

De Miſſarum reductione.

Vidimus, quod inducto Miſſarum honorario, quo factum fuit, ut ſinguli offerentes velint pro ſe Miſſam ſpecialem fieri, valde excrevit anniverſariorum, & Miſſarum numerus. Hinc tempore Concilii Trid. in tantum fundationes anniverſariorum, & Miſſarum excreverant, & Eccleſiæ, atque Monaſteria tot Miſſis onerata, deprehendebantur, ut his omnibus perſolvendis non ſufficerent. Immo ex hac nova diſciplina, quod tot celebrandæ eſſent Miſſæ, quot tribuerentur ſtipendia, quia multi requirebantur Sacerdotes, & Miniſtri, qui illis fundationibus ſatiſfacerent, numerus Sacerdotum valde excrevit. Verum cum ſucceſſu temporis fundationum reditus vel eſſent deperditi, vel decreſcente pecuniarum valore, & e contra rerum pretio excreſcente imminuti; & cum maior pars Sacerdotum ex huiuſmodi Miſſarum ſtipendiis ſuſtentationem caperet, ut nunc etiam fieri videmus; ob tenuitatem ſtipendii ad eorum ſuſtentationem multum inſufficientis vix inveniri poterant Sacerdotes, qui fundationum onera ſuſcipere vellent. Unde duplici hoc titulo contingebat, ut deplorabant Trid. Patres ſeſſ. 25. cap. 4. *de reformat. ut deperirent piæ teſtantium voluntates, & eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio daretur*. Hinc tanto malo occurrere ſtudens S. Synodus, ut piis teſtantium voluntatibus meliori modo quo fieri poteſt, ſatisfieret, facultatem fecit Epiſcopis, ut in Synodo Diœceſana, & Abbatibus & Generalibus Ordinum in ſuis Capitulis Generalibus, re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem expedire viderint. Hinc conformiter ad Decretum Concilii in variis Diœceſibus proviſum fuit per earumdem Miſſa-

Conceditur a Tridentino Epiſcopis in Synodo Diœceſano Abbatibus, & Generalibus in Capitulo Generali facultas reducendi onera Miſſarum.

Digitized by Google

Miſſarum reductionem, ut ita excreſcente Miſſarum ſtipendio facilius invenirentur Sacerdotes, qui teſtatorum voluntates implerent, & piis Miſſarum inſtitutionibus ſatiſfacerent. Unde ex Trid. Concilio conſtat Epiſcopos nonniſi in Diœceſana Synodo, Abbates, & Generales Ordinum nonniſi in Capitulis Generalibus, reducere poſſe Miſſarum onera. Decretum tamen Concilii Tridentini in aliquibus Diœceſibus non fuit receptum; ita ut Epiſcopi ſine Synodo fundationes Miſſarum reduxerint, & reducant; quia, ait Diana tom. 1. tract. 14. reſolut. 3. & 4. Epiſcopi id facere poſſunt ex iure communi, neque quoad eos Concilium ſtatuit ius novum, ſed antiquum ius ſtatuit ſervari. Quod vero ad Abbates, & Generales ius novum conſtituit.

Verum cum in Curia Romana aliter ſentiatur, ut advertit citatus Diana, nempe non competere Epiſcopis ex iure communi facultatem reducendi pias Miſſarum fundationes, ut contendit Fagnanus in explicando ſuper cap. *ex parte* num. 20. & ſequent. hinc ſacra Congregatio Concilii iubente SS. Urbano VIII. ſub die 21. Ian. 1625. declaravit, ac decrevit, non poſſe amplius Epiſcopos, ne quidem in Diœceſana Synodo, Abbates & Generales in Generalibus ſuis Comitiis, reducere, ac moderari Miſſas fundationum poſt Concilium Trid. receptas, nec impoſitas in limine fundationis, ideſt quæ impoſitæ ſunt Capellis erectis in titulum Eccleſiaſtici Beneficii, ſive ex prima fundatione teſtatorum, ſive quacumque alia ex cauſſa; ſed pro his omnibus reducendis, ac moderandis, ſeu commutandis recurrendum eſſe ad ſanctam Sedem, quæ diligenter perſpecta id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur ut legi poteſt in Bullario tom. 4. pag. 315. & hoc confirmatum fuit etiam ab Innocentio XII. 23. Dec. 1697. Poterit tamen Epiſcopus onera, & Miſsas reducere, ac moderari, ſi id ei conceſsum ſit in fundatione Beneficii, ut conſtat ex reſponſione ipſius ſacræ Congregationis.

Multo minus igitur reducere poterunt, aut moderari, aut commutare Miſsarum fundationes, & onera Presbyteri quicumque ſint, ſive ſimplices, ſive Beneficiati, neque aliquis alius, etiamſi fructus fundi aſſignati deteriorati fuerint, ac tenuiores evaſerint ſine propria culpa; quia ex eadem ſacra Congregatione pro talibus reductionibus omnino adeunda eſt Sedes Apoſtolica, ut patet ex ſuis reſponſionibus, quæ brevitatis gratia hic non afferuntur.

Abrogantur Regularium privilegia, Miſſas quomodocumque reducendi.

Regulares quicumque nullo modo uti poſſunt, ut antea dictum fuit privilegio Iulii II. Conſtit. 7. Leonis X. Conſtit. 8. apud Confectum in Collectione privilegiorum ex tit. 19. *de divinis officiis* cap. 3. quo Generalibus Ordinum Mendicantium conceditur facultas diſpenſandi cum ſuis Religioſis, ut celebratione unius Miſsæ cum novem Collectis ſatisfacere poſſint pro novem Miſſis, etiamſi particulariter *de Requiem*, vel *de Sanctis* eſsent celebrandæ. Nec parvas eleemoſynas acceptas pro Miſſis coniungere poſſunt ad ſummam unius Iulii, & per unicam Miſsam omnibus ſatisfacere, cum in ſupra laudato Decreto Urbani VIII. & Innocentii XII. hoc vetitum ſit.

Quid de his qui faciunt ſatiſfacere onera Miſſarum minori eleemoſyna, quam ipſi receperunt.

Qui Miſſas celebrare faciunt ab aliis minori eleemoſyna, quam ipſi receperunt, pro ſe eiuſdem parte retenta, ſi ſint laici, excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt, & ſi ſint Sacerdotes ſuſpenſionem Papæ item reſervatam, quamvis Sacerdos, qui eas tali minori eleemoſyna celebrandas ſuſcipit, expreſſe in id conſentiat. Sic noviſſime declaravit felic. record. Benedictus Papa XIV. Conſtit. quæ incipit: *Quanta cura*.

In hæreditate univerſim gravata locum non habet reductio Miſſarum.

Non habetur locus reductioni Miſſarum, ſi univerſa hæreditas gravata fuit, nec hæredi prodeſt fundi aſſignatio, quam ille ultro fecerit, ſi progreſſu temporis impares oneri reddantur eius proventus: ſacr Rom. Rota in Roman. 16. Ian 1602. §. 13. coram Cardinali Caprara, & alias ſacra Congregatio Concilii in Roman. reductionis oneris Miſſarum 18. Aprilis 1633. apud Theſaurum Reſolutionum ſacræ Congregationis Concilii tom. 6. ubi alia huiuſcemodi Decreta afferuntur.

Non conceditur Miſſarum reductio, quoties pro earum celebratione non fuit aſſignatus certus fundus, ſed gravati fuerunt hæredes certam pecuniarum ſummam ſolvere. Sacr. Congreg. Concilii in Roman. reduct. oner. Miſſar. 22. Martii 1632. & alias.

Locum non habet reductio Miſſarum, ſi per contractum receptum fuit earum onus; ſed agendum eſſe coram iudice ordinario, ut cognoſcat, num contractus ob læſionem, & iniuſtitiam reſcindendus ſit, pluries ita reſpondit ſacr. Congregatio Concilii, & ſignanter in Bononien. die 1. Martii 1687. Contrariam tamen ſententiam ſecuta eſt eadem ſacr. Congreg. Concilii die 8. Iulii 1724. in una Ordinis B. Mariæ de Mercede, ubi præciſe reſpondit in reductione ab Indulto permiſſa comprehendi etiam onera per contractum acceptata. Eamdemque declaratio-

nem

nem edidit 19. Aug. eiuſdem anni 1624. quoad Patres Congregationis Reformatæ S. Bernardi, ut refertur in Theſauro Reſolutionum ſacr. Congregat. Concilii tom. 6. in Rom. reductionis oner. Miſſar. 18. Aprilis 1683. quamvis ibi referantur aliæ contrariæ reſolutiones. Itaque (ut ibi dicitur) non ſatis certum eſt, quid ſacra Congregatio ſentiret circa interpretationem Indulti in ſe conſiderati; ac proinde in dubiis pro huiuſmodi interpretatione ad ipſam recurrendum eſt, quæ iuxta diverſas caſuum circumſtantias diverſas etiam edere ſolet reſolutiones, ut videri poteſt in cit. Theſauro, & ſignanter in reſolutionibus anni 1633. & 1639.

§. XXII.

De fructu applicando a Sacerdote ei, a quo ſtipendium accepit, & de ipſius Sacrificii applicatione.

Nota Miſſæ Sacrificium non ſecus ac orationes, & merita iuſtorum tripliciter valere, ſeu prodeſſe, nimirum triplicem habere fructum, ut ſupra diximus, ſcilicet generalem, ſpecialem, & ſpecialiſſimum. De fructu generali participes ſunt fideles omnes tam vivi quam defuncti ab unitate Eccleſiæ non præciſi, unde prodeſt toti Eccleſiæ. Celebrans non ſecus ac orans neminem excludere debet, ſed ex intentione ſaltem habituali omnes includere. Et revera, ſicuti hoc divinum Sacrificium Deo offertur nomine totius Eccleſiæ, ſic pro tota etiam Eccleſia offertur, & in ipſo fit deprecatio. Fructus ſpecialis, ſeu medius, qui relictus eſt liberæ applicationi Sacerdotis, hic eſt fructus ille, quem Sacerdos applicare debet perſonæ, a qua ſtipendium recepit, ut Miſſa ei applicetur. Fructus tandem ſpecialiſſimus proprius eſt, ac perſonalis Sacerdotis ſacrificantis. Sacerdos igitur non ſolum fructum generalem pro univerſis fidelibus, ſed ſpecialem quoque, ſeu medium Sacrificii applicare debet vel animabus Purgatorii, vel ſecundum mentem & intentionem eorum, qui impetiuntur ſtipendium pro Miſſæ celebratione; & hic ſolus, nempe ſpecialis applicatur eis, pro quibus offertur Miſſæ Sacrificium. Fructum vero proprium, ſeu ſpecialiſſimum, ac perſonalem nullo alteri, ut iam notavimus, poteſt, vel debet applicare. Applicatio Sacrificii nihil aliud eſt quam intentio miniſtri, ſeu Sacerdotis applicare volentis Sacrificium, quod celebraturus eſt pro tali perſona, anima, familia, &c. quibus applicat miniſterialem fructum medium, ſeu ſpecialem, ideſt

Quid applicatio ſacrificii.

Sacrificium ipſum. Hæc autem applicatio Sacerdotis neceſſaria eſt, ut obtineatur effectus ſpecialis. Et hæc eſt ſententia communis. Nam ad eum ſpectat applicare hunc fructum Sacrificii, ad quem ſpectat ſacrificare; & poteſtas applicandi involvitur; ac certe fundatur in poteſtate offerendi: Unde cum ad ſolum Sacerdotem celebrantem ſpectet offerre ſacrificium, utpote qui ſolus in perſona Chriſti Sacrificium pro aliis offert, fructus quoque euſdem Sacrificii ſolus ille applicare poteſt, & debet. Dixi *poteſt, ac debet applicare*, quia ſi Sacrificium quoad fructum ſpecialem nemini applicetur, nemini in particulari ex opere operato prodeſt, ſed communiter creditur, quod cum Deus nolit Sacrificium iſtud inutile remanere, in tali caſu vel profit ipſi celebranti, ſi per inoxiam diſtractionem applicare omiſerit, vel ſi ſcienter, & mala voluntate applicare noluerit, a Deo acceptetur, & reponatur, ut aiunt, in theſauro Eccleſiæ ſuo tempore fidelibus applicando per Indulgentias. Et quidem fas eſt concedere hoc fieri.

Idemque dicito, ſi is, cui Sacerdos hunc fructum applicat, capax non ſit, ut de eo participet, eo quod v.g. ſit damnatus. Quocirca optimum eſt, ſi Sacerdos ſub conditione quod Sacrificium non poſſit prodeſſe ei, pro quo offertur, nec aliud requirat intentio illius, qui oblatione ſtipendii petit, ut Sacrificium offeratur, ſpecialem fructum Sacrificii applicet ſibi, ſuis, vel aliis, qui capaces ſunt, ne vel forte cum grandi irreverentia ſpeciali ſuo effectu excellentiſſimum opus deſtituatur.

Quomodo, ſ generе debeat Sacerdos in applicatione fructus ſpecialis, ut alicui profit.

Ex his igitur infertur, quod Sacerdos etſi obligatus ex voto, iuſtitia, charitate, vel obedientia, applicare Sacrificium certis perſonis, valide tamen, ſed illicite, idem Sacrificium applicare poſſit alteri contra intentionem, & applicationem Superiorum, vel Eccleſiæ. Ita Herinez, aliive communiter, quos hic citat Reiffenſtuel contra Traxinellum, qui, ut refert Gavantus tom. 1. *Comment. in Rubricas* part. 3. tit. 12. n. 18. contendit, Prælatum Regularem poſſe irritare ſubditorum intentionem in Miſſæ celebratione, ſi hanc contra ipſius Prælati intentionem applicarent, ita ut valeat applicatio Superioris, & non ſubditi. Verum communis ſententia ex eo patet, quia applicatio Miſſæ eſt actus poteſtatis Ordinis, qui non dependet a poteſtate Superioris Regularis, utpote quæ eiuſdem poteſtati non ſubiaceat. Idcirco licet peccet ſubditus agendo contra obedientiam ſuo Superiori debitam, eius tamen applicatio irritari nequit per Prælatum, non

Prælatus Regularis irritare nequit applicationem ſacrificii factam a ſubdito.

non ſecus ac alia irritari nequeunt, quæ Ordini Sacerdotali ſunt adnexa, ut patet in intentione conficiendi Sacramenta.

Applicatio ſacrificii ſufficit ut ſit virtualis.

Applicatio Sacrificii non eſt neceſſe quod ſit actualis, licet hæc optima ſit, & idcirco optandum foret quod ſemper haberetur; ſed ſufficere poteſt applicatio virtualis procedens ex actuali intentione, quæ ſuo loco dicitur ſufficere etiam ad Sacramentorum confectionem.

Applicatio ſacrificii facienda eſt ante conſecrationem utriuſque ſpeciei.

Intentio, ſeu applicatio Sacrificii fieri debet ſaltem ante conſecrationem utriuſque ſpeciei; quia cum iam ex dictis Sacrificii eſſentia conſiſtat in conſecratione, ut verificetur Sacrificii applicatio, hæc fieri debet ante conſecrationem, vel ſaltem priuſquam compleatur, nam ea completa fructus Sacrificii ſtatim obtinetur qui ſuſpendi nequit per celebrantis arbitrium non ſecus quam in Sacramentis, quibus utique poſitis ſtatim quando nihil obſtet, confertur effectus. Unde.

Invalida applicatio poſt conſecrationem.

Qui accepto ſtipendio ut pro aliquo celebret, non ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi ſpecialem fructum Sacrificii applicet poſtquam conſecravit, quia tunc applicatio nulla eſt. Quocirca Sacerdos, præſertim quando ſtipendium accipit, ut pro aliis celebret, conſultiſſimum eſt, immo iuxta aliquos etiam tenetur, facere applicationem, ſeu formare intentionem applicationis ante Miſſæ inchoationem, ut iis, pro quibus celebrat, obveniat etiam fructus precum, quæ per Miſſam nomine Eccleſiæ peraguntur, & hoc certiſſimum eſt, ac tutiſſimum.

Valida applicatio ſub conditione de præſenti vel præterito, non de futuro.

Valida eſt applicatio ſub conditione de præſenti, vel de præterito, v. g. applico pro Ambroſio, ſi vivat, ſi deceſſerit, &c. eo quia iam habeat obiectum ad quod determinate dirigatur, & evadit iam abſoluta. Non valet autem ſub conditione de futuro, puta ſi Antonius menſe venturo Religionem ingrediatur, ſi iter fecerit, ſi obierit, quia deberet Deus tenere effectum ſuſpenſum, donec impleatur conditio, quo nihil abſurdius, cum Deus non revelaverit ſe ita acturum; nec inſipienter recurrendum eſt ad Dei præſcientiam, cui futura omnia præſentia ſunt, & manifeſta, nam ſicuti Deus de præſenti non punit aliquem propter eius peccata certe prævifa, neque præmiat de præſenti propter bona eorum opera certo futura, ſed ſuo tempore quando erunt: Ita nec effectus Sacramentorum, & Sacrificii conceditur illis, qui vel Sacramenta ſuſcipiunt, vel pro quibus Sacrificia offeruntur, propter futura eorum opera, ſed iuxta diſpoſitionem quam habent in præſenti. Idcirco teſtantur auctores cum Gavanto Clementem VIII. & Paulum V. damnaſſe talem modum applicandi & Concilium Trid. ſeſſ. 22. in principio illum reprobaſſe, ut conſtat ex Barboſa ad eamdem ſeſſionem. Itaque non implet ſuam obligationem, qui pro futura opportunitate Sacrificium applicat.

Fructus generalis haberi poteſt ſine applicatione celebrantis.

Fructus, ſeu effectus, generalis obtineri poteſt ſine perſonali determinatione, ſeu applicatione Sacerdotis celebrantis cum Eccleſia illum applicet, prout ex verbis ipſis Miſſæ non obſcure colligitur. Idemque dicito de fructu ſpecialiſſimo, qui celebrantis proprius eſt, & quem quodammodo ex ipſa rei natura percipit, dum digne ſanctum hoc miniſterium peragit.

§. XXIII.

De Altari privilegiato.

Quid Altare privilegiatum.

Altare privilegiatum illud intelligitur, cui a Summo Pontifice conceſſum fuit, ut per Miſſam ad ipſum altare celebratam pro anima cuiuſcumque fidelis, quæ in charitate Chriſti Deo coniuncta ex hac vita migraverit, de thesauro Eccleſiæ per modum ſuffragii indulgentiam conſequatur, ut eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum meritis illi animæ ſuffragantibus a pœnis Purgatorii liberetur, ut habet in Bullis conceſſionis huiuſcemodi privilegii. Hoc altaris privilegium, vel altare privilegiatum concedi ſolet a ſummis Pontificibus ad tempus vel in perpetuum, pro uno, vel pro pluribus, aut ſingulis hebdomadæ diebus iuxta numerum Miſſarum, quæ celebrari ſolent in Eccleſia, in qua habetur altare illud, cui privilegium conceditur; & circa hoc attendendæ ſunt literæ conceſſionis, pro cuius intellectu hic ſupponitur documentum Bullæ Clementis XII. tale privilegium ad tempus concedentis.

Clemens Papa XII. ad futuram rei memoriam.

Volentes Eccleſiam veſtram, in qua altare privilegiatum erectum non eſt, dummodo in ea ſeptem Miſſæ quotidie celebrentur, & in ea ſit Sancti vel Sanctæ N. N. nuncupatum, hoc ſpeciali dono illuſtrare, Dei miſericordia confiſi quandocumque Sacerdos aliquis Miſſam & ad præfatum altare celebrabit, ut anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii indulgentiam conſequatur; ita ut Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuffragantibus meritis a Purgatorii pœnis libere-

retur, concedimus præſentibus ad ſeptenium tantum valituris. Datum Romæ, &c.

Tempus ſeptenium quod conceditur, ut in ſupradicto exemplari, incipit a die datæ Brevis, quidquid dixerint Theologi antequam ſuper hoc definitum fuiſſet a ſacra Congregat Indulgentiarum ſub die 18. Maii 1611. & hic eſt tenor Decreti: *Septennium incipere non a die publicationis, ſed a die datæ Brevis: & facta relatione SS. Domino Noſtro per me Secretarium die 20. eiuſdem menſis Sanctitas ſua Congregationis ſententiam approbavit. N. Cardinalis Gabrielus Præfectus: Raphael Coſmus de Ieronymis Secretarius. Romæ typis Cameræ Apoſtolicæ* 1611.

Clauſula in Brevi apponi ſolita, *dummodo in dicta Eccleſia tot Miſſæ quotidie celebrentur*, intelligenda eſt iuxta declarationem datam de mandato SS. a ſacra Congreg. Concilii ad ſequentia dubia.

1. *An abſentibus Religioſis cauſa prædicationis tempore Quadrageſimæ, & Adventus, vel quando occaſione Feſtivitatum, vel Funerum, aut ſimilium, a Superioribus ad celebrandum alibi tranſmittuntur, Indulgentiæ conceſſæ cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent, vel pro eo tempore quo dictus numerus Miſſarum non fuerit adimpletus ſint ſuſpenſæ, vel potius remaneant in ſuo robore.*

2. *An idem ſit ſtatuendum, deficiente prædicto numero miſſarum ob infirmitatem Sacerdotum tam Regularium, quam ſecularium.*

3. *An pariter idem ſtatuendum ſit deficiente prædicto numero miſſarum ob abſentiam ab Eccleſiis ſæcularibus Cannonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & menſes.*

Sacra Congregatio Concilii Trid. &c. 30. Iulii 1601. reſpondit;

Ad primum quoad primam partem pro tempore adventus, & Quadrageſimæ remanere ſuſpenſas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat.

Ad ſecundum, remanere ſuſpenſas.

Ad tertium, proviſum in primo.

Sub generali Indulgentiarum ſuſpenſione non comprehenduntur Altaria privilegiata.

Sub generali Indulgentiarum ſuſpenſione, quæ fit anno Iubilæi, non comprehenduntur altaria privilegiata, nec aliæ Indulgentiæ pro ſolis defunctis conceſſæ. Sacra Congregatio Indulgentiis ſacriſque Reliquiis præpoſita 24 Ian, 1700. *Altaria privilegiata pro defunctis non comprehenduntur ſub clauſula illa: volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus, aliqualis Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum durata conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint, nec ſub alia clauſula conſimili*. Sacra Congregatio 13. Iulii 1666. Quod decretum utpote alia comprehendens, & editum de mente SS. Innocentii XI. huic per extenſum afferre brevitatis gratia omittimus, ea ſolum offerendo, quæ ad propoſitum noſtrum faciunt. Sic enim habetur in Decreto reſpectu citatæ ſuſpenſionis Indulgentiarum anno Iubilæi: *Ea minime continere altaria privilegiata pro defunctis, neque Indulgentias aut certo perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus ut Litanias, aliaſve huiuſmodi preces recitantibus, aut iis, qui in chriſtiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui ſanctiſſimi Eucharistiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione 40. Horarum interſunt, nec Stationum Urbis, & ſeptem altarium Indulgentias inſtar ſeptem altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas, nec demum quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum, ſi alia Indulgentia ſive plenaria ſive non &c.... ob adiectam clauſulam eſſe prorſus irritas, ac nullas.* Dat. die 23. Iun. 1676. *De his autem facta relactione ad SS. Dominum noſtrum die 16. Maii 1677. ſententiam Congregationis approbavit. Card. Maximus, Michael Angelus Riccius Secretarium.*

Miſſæ celebratæ de Feſto in Altari privilegiato habent vim eamdem ac illæ *De Requiem*.

Miſsæ celebratæ de Feſto currente in altaribus privilegiatis, diebus, quando non licet Miſſas *de Requiem* celebrare, habent eamdem vim & Indulgentias, perinde ac ſi eſſent celebratæ Miſſæ de requiem, ſeu Defunctorum; & hoc ſive altaria ſint privilegiata in perpetuum, ſive ad tempus, ſive pro omnibus, ſive pro aliquo ſolo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, ſive ex obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione diebus impeditis Miſſæ de feſto celebrentur: & per huiuſmodi Miſſas celebratas de Officio currente in altaribus privilegiatis ſatisfit obligationibus, ac ſi ipſis privilegiatis altaribus celebratæ fuiſſent Miſſæ *de requiem*, ſeu defunctorum. Sic expreſſe fuit definitum ab Innocentio XI. die 4. Maii 1688. in ſua Conſtitut. quæ incipit *Alias*, ſicut iam declaratum fuerat ab Alexandro VII. ſua Conſtitutione quæ incipit *Credite* & a Clemente IX. Conſtitutione, quæ incipit *Cum felicis*,

Altare privilegiatum conceſsum fuit quotidie, & in perpetuum a Benedicto XIII. Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus omnibus Eccleſiis ſua Conſtitutione quæ incipit *Omnium ſaluti*, data die 20. Iulii 1724. Translato altari privilegiato legitima auctoritate de loco ad locum, adhuc durat

rat

rat Indulgentia, ſi ipſa conceſsa ſit altari in reverentiam alicuius Sancti, vel myſterii, in cuius honorem dedicatum fuit, ita ut cenſeatur idem altare, licet tranſlatum: Immo etiamſi imago ſit alia eiuſdem myſterii, vel Sancti, quia renovatur, vel reſtauratur repræſentatio; moraliter enim cenſetur eſse idem altare. Ita Gobat cum aliis, qui addunt privilegium remanere, etiamſi deſtruatur altare, dummodo tamen deſtruatur paulatim, & ſimul paulatim reficiatur, & ſemper perſeveret eadem dedicatio, ſeu denominatio v. gr. *Crucifixi*, *Annunciationis*, *S. Antonii*, &c. præcipue ſi Indulgentia fuerit conceſsa in reverentiam illius Myſterii, vel Sancti, quia formaliter ſemper remanet idem altare.

Quid de Sacerdote qui tenetur celebrare ad altare privilegiatum, ſi omittat.

Sacerdos, qui tenetur celebrare in altari privilegiato, & advertenter in eodem celebrare omittit, ut probabilius ſentiunt Doctores peccat mortaliter, ac tenetur ad compenſationem: Quia quoad primum, ut patet, proximum in re gravi decipit; & quoad ſecundum, quia proximo voluntarie damnum certe intulit. Igitur damnum compenſare debet ſaltem applicando animæ defuncti, pro qua omiſit celebrare in altari privilegiato, Indulgentias plenarias pro defunctis conceſſas, devotione qua poterit maiori, ut adæquet meliori modo, quo fieri poteſt certitudini Indulgentiæ, quæ confertur per celebrationem Sacrificii. Sic Bonacina cum aliis.

§. XXIV.

De diſpoſitionibus requiſitis in celebrante ad Miſſæ celebrationem.

Cum in Sacrificii celebratione eſſentialiter concurrat cum conſecratione etiam Sacrificii, nempe Hoſtiæ, ſeu Sacramenti Euchariſtiæ ſumptio, procul dubio ad participationem Sacrificii, nempe ad Sacramentalem Communionem requiruntur ſuæ diſpoſitiones in ipſo celebrante, ut digne, ac laudabiliter ante Deum actionem tanti Myſterii peragat, ac de ipſo participet. Tres autem ſunt præcipuæ diſpoſitiones quæ in Sacerdote celebraturo requiruntur, videlicet ſanctitas, pietas, affectus devotionis, ſeu Religionis in ſacrum altaris miniſterium reſpectu animæ; puritas, ſeu mundities; & naturale ieiunium reſpectu corporis. Si enim in percipientibus ſolummodo ſacram Euchariſtiam triplex requiritur diſpoſitio, multo magis plane neceſſaria erit in Sacerdote ſacra facturo, ac de ipſo Sacrificio participaturo. Et quia de his iam antea ſatis dictum

Tres diſpoſitiones Sacerdotis celebraturi.

fuit, difficultas, quæ hic diſcutienda occurrit, verſatur circa Sacerdotem, quæ remordeat conſcientia lethalis peccati, cui ex officio ei ſacrificare incumbet, nec copiam habeat Confeſſarii, cui confiteatur; num poſſit ſine prævia confeſſione licite celebrare, & circa illud mandatum Tridentini, quo præcipitur, ut ſi talis Sacerdos cum tali conſcientia in neceſſitate celebret, quamprimum confiteatur, quomodo illud *quamprimum* intelligendum ſit, an ſcilicet de prima quæ ei occurrat Confeſſarii occaſione, an dum Sacerdos ſuo tempore confitebitur, ſicuti quidam recentiores conati ſunt oſtendere, non ſecus de quærenda ſtatim Confeſſarii copia, nec de ea, quæ paulo poſt ſeſe ultro offerat. Unde ſit.

Sacerdos, cui ex officio (puta Parochus) die feſto, ut populus Miſſam audiat, incumbit ſacrum facere, dum gravatur conſcientia lethali, nec habet copiam Confeſſarii, cui confiteatur, urgente neceſſitate, ſi conteratur de ſuo peccato, cum propoſito quanto citius confitendi, licite celebrare poteſt, ut declaravit Concilium Trid. ſeſſ. 13. de Euchariſtia cap. 7. ubi poſtquam ſtatuit, quemcumque accedere volentem ad ſacram Euchariſtiam prius debere ſeipſum probare, ita ut nullus peccati mortalis conſcius accedere audeat, ſed prius Sacramentali Confeſſione animam ſuam expurgare ſtudeat, etiamſi ſit Sacerdos, cui ex officio celebrare incumbat, *modo illi non deſit copia Confeſſarii. Quod ſi, neceſſitate urgente abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

Sed pro clariori intelligentia duo hic notanda ſunt. Primum quoad neceſſitatem in textu expoſitam, ipſam nempe repeti debere vel ex circumſtantia diei feſti, quo urget præceptum audiendi Sacrum, vel ex caſu quo deſint Hoſtiæ conſecratæ, & aliunde haberi nequeant pro communicando infirmo in extremis laborante, vel ex ſcandalo quod præberi poteſt a Sacerdote non celebrando, quod præcipue in domibus Religioſis facile contingere poteſt. Alterum vero, illud *quamprimum* Concilii Trid. non merum conſilium, ut aliqui opinarunt, ſed verum præceptum includere; & præceptum intelligendum, non, ut alii conati ſunt explicare, dum Sacerdos tempore ſuo confitebitur, cum contrarium utrique ſententiæ interpretatus ſit Alexander VII. qui duas ſequentes propoſitiones 38. & 39. inter alias permultas damnavit. *Mandatum Concilii Trid. factum Sacerdoti ſacrificanti in neceſſitate cum peccato mor-*

Quamprimum Tridentini non eſt merum conſilium, ſed præceptum.

to mortali confitendi quam primum, eſt conſilium, non præceptum: Illa particula, quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

Quamvis graviter peccet Sacerdos, grandeque ſacrilegium committat, Miſſam ſcienter celebrans cum conſcientia peccati mortalis, adhuc tamen gravius peccat, qui alia peragit, & conſecrationem tantummodo ſimulat; ſic declaratum habemus ab Innocentio III. cap. *de homine de celebrat. Miſſar.* ubi refertur caſus de Sacerdote quodam incauto, *qui propter conſcientiam peccati mortalis, quo gravatum ſe noverat, nec Miſſam ob urgentem neceſſitatem omittere poterat, cæteris ritibus expletis, ſed verbis omiſſis conſecrationis, finxit ſe vere celebrare: Nam alter ſacrilege celebrans cum conſcientia mortalis peccati in ſolius miſericordiæ Dei manus incidit; iſte vero* (ficte celebrans) *non ſolum Deo, cui non veretur illudere, ſed populo, quem decipit; ſe obſtringit.*

§. XXV.

De diſpoſitionibus, quæ ex parte audientium Miſſam requiruntur, & quinam arcendi ſint.

Prioribus Eccleſiæ ſæculis, quando vigebant pœnitentiæ canonicæ, ſimul cum Cathecumenis excludebantur a Sacrificio Miſſæ etiam pœnitentes, qui nondum ad gradum pervenerant conſiſtentiæ. Poterant quidem tum Cathecumeni, tum Pœnitentes ſiſtere, donec fierent conciones, & preces, quæ intra Miſſarum ſolemnia habebantur. Hiſce vero expletis, antequam deveniretur ad Corporis Chriſti conſecrationem, Diaconus altiori voce proclamabat, *Exite pœnitentes, exite cathecumeni:* Hinc illa pars Miſſæ, cui & pœnitentes, & Cathecumeni intereſſe poterant, dicebatur Miſſa pœnitentium, & Cathecumenorum. Hoc autem fiebat ab Eccleſia cum huiuſcemodi hominibus ex neceſſitate, non quaſi perſuaſum ei foret, neceſſarium eſſe ſtatum iuſtitiæ, ſeu charitatis actualis, vel habitualis ad Miſſam digne, ac legitime audiendam, cum ad hoc ſanctiſſimum Religionis officium invitet, & admittat etiam peccatores improbiſſimos, ſed hoc agebat ex quadam diſciplinæ ſeveritate. Nunc vero non admittuntur, immo ex lege Eccleſiæ excluduntur excommunicati publici, ac nominatim denunciati, & ab omnibus vitandi, a ſancto Miſſæ Sacrificio, & cæteris Eccleſiæ Sacramentis, ut dicetur ſuo loco, quando de Cenſuris. Hoc enim fert ratio ipſa excommunicationis, utpote quæ privat communione, ſeu ſocietate cum fidelibus. Si vero non ſint publice, nec nominatim per Iudicis ſententiam denunciati, ex decreto Concilii Conſtantienſis, & Baſilienſis tolerandi forent, ac poſſet Sacerdos coram ipſis ſacra peragere.

Nullus vero qui ſimpliciter eſt peccator, ideſt non publice excommunicatus, & vitandus, repelli debet ab intereſſendo Sacrificio Miſſæ, licet graviſſimis oneratus criminibus. Verum quidem eſt, quod ſi interfuerit cum voluntate firmata in malo, & cum affectu actualis peccati, ideſt ſine ſaltem aliquo deſiderio reſipiſcentiæ ſine debita reverentia, novum contrahit peccatum. Et equidem certiſſimum eſt, quod nullus, quantumvis perditiſſimus peccator, non excommunicatus, a divino Sacrificio eſt arcendus, & ob præceptum, quod aliquando urget Eccleſiæ intereſſendi Sacro, & quia Sacrificium eſt excellentiſſimum Religionis opus: Unde & Sacerdos qui offert, & peccatores homines, pro quibus offertur, valde utilia reportare valent ad ſalutem adiumenta, quando cum pia animi præparatione ad illud accedant.

Si ita eſt, dicet aliquis, quod novum grave peccatum incurrat peccator Miſſam audiendo cum voluntate firmata in malo, & cum actuali affectu peccati, magis expedit peccatori obſtinato, ac præparato ad malum, non intereſſe Miſſæ Sacrificio, quia ſic ſe abſtinet a novo peccato, non ſecus ac magis expedit peccatori taliter affecto tempore Paſchatis ad ſacram menſam non accedere. *Reſp.* huiuſcemodi illationem valde abſurdam eſſe, ac imprudentem, quaſi ab oratione Dominica retrahendus eſſet, qui eo ipſo quod animo pervicaci, ac rebelli divinæ reluctatur, & contradicit voluntati, ac ſuis ſcandalis tremendum, ſanctumque Dei nomen blaſphemiis exponit, petit ut fiat eius voluntas, ipſius nomen ſanctificetur, cum mendaciter, & veluti mimice, ſeu illuſorie hoc dicat, ut obſervat Bellarminus lib. 2. *de bonis operibus* cap. 6. & ſic dicito de aliis ſpiritualibus officiis. Rectius igitur concluditur, ac verius; Eccleſiæ præceptum eo modo implendum, quem Eccleſia imperat, ac Deum humiliter precandum, ut eum animi affectum inſpiret, qui neceſſarius eſt ad dignam præcepti obſervantiam; non enim ideo inculpandum eſt præceptum, aut negligenda eius obſervantia, dum peccat qui præceptum Eccleſiæ indebite exequitur, ſed potius inculpanda eſt ac caſtiganda perver-

ſitas,

Digitized by Google

ſitas, & malitia peccantis. Non enim propter abuſus reiicienda ſunt optima præcepta, ſed emendandi, & tollendi ſunt abuſus.

Nihil autem facit ad propoſitum exemplum Paſchalis Communionis, a qua conſultius eſt abſtinere, quam indigne ad eam accedere, quia præceptum Communionis Paſchalis ita huic tempori eſt alligatum, ut differri queat, & debeat iudicio prudentis Confeſſarii. Non ſic vero res ſe habet de præcepto audiendi Sacrum, quod ſingulis diebus dominicis, & feſtis ſtricte obligat, ac proinde non poteſt differri. Item ſacrilega Communio Euchariſtiæ nunquam Dei gratiam conciliare poteſt: e contra obſervantia præcepti eccleſiaſtici de audiendo Sacro, licet pure externa, mediantibus Eccleſiæ precibus Deum movere poteſt, & flectere, ut peccatori indurato ſpiritualis gratiæ impertiatur. Tandem nunquam definit Eccleſia, permanente affectu peccati, Sacro intereſſendo peccatum eſſe: e contra certiſſimum eſt ex Apoſtolo, indigne Corpus & Sanguinem Chriſti ſumentem, iudicium ſibi manducare, & bibere. Incidit quidem in novum ſcelus, qui irreverenter Miſſam audit, ſed hoc peccatum non eſt neceſſario connexum cum habituali affectu ad peccandum, quo obſtrictus ſupponitur peccator, ſicuti peccatum ſacrilegii ob indignam ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem a tali communione eſt prorſus inſeparabile. Ita difficultati reſpondet Tourneleius.

Conditiones animi & corporis, ut cum fructu Miſſa audiatur.

Verum ut reverenter, & cum fructu quis Miſſæ interſit, nonnullæ tum ex parte Corporis, tum ex parte mentis diſpoſitiones requiruntur, & ſunt ſequentes.

Is, qui Miſſæ audiendæ ſiſtit, opus eſt ut externum corporis decenter componat, id eſt modeſte ſe conformet in vultu, in habitu, in veſte: *Satis apparet*, ait Trid. Synodus ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis, *ne patiantur*, (*locorum Ordinarii*) *ſanctum hoc Sacrificium peragi, niſi prius qui interſint, decenter compoſito corporis habitu declaraverint, ſe mente etiam, ac devoto cordis affectu, non ſolum corpore adeſſe*. Intendit Concilium, ut fideles omnes, qui Sacro interſunt, externo corporis ſitu, mentis attentionem, & pium cordis affectum probent. Hoc pariter monuit S. Carolus in ſuo Concil. Mediol. IV. tit. 10. *de iis quæ ſpectant ad ſacrum Miſſæ Sacrificium*, ut clericus Sacerdoti inſerviens circumſpiciat modeſte adſtantes, & ſi quempiam videat marem vel fæminam incompoſito corporis habitu, aut alias contra præſcriptas regulas a Provincialibus Conciliis, & cum iniuria, vel irreverentia illius ſanctiſſimi Sacrificii intereſſe, moneat graviter, ut opus erit, neque Sacerdos ante Miſſæ initium faciat, quam omnes qui adſunt, decenter corporis habitu declaraverint, ſe mente etiam, ac devoto cordis affectu, *non ſolum corpore adeſſe*. Sic cautum fuit a Concilio Turonenſi habito anno 1583. poſt Concil. Trid. quod vetat deambulationes in Eccleſia, inanes confabulationes, mundanum in mulieribus ornatum, & multo magis virorum, dum actioni divini Sacrificii interſunt. Imo Concilium Generale Conſtantinopolitanum habitum in Trullo decrevit excommunicationi eos ſubiacere, qui capillos ad videntium detrimentum nexibus adornarent, ac componerent, & infirmis animis eſcam ea ratione obiicerent. *Utinam* (ait P. Iuveninus in ſuo Commentario *de Sacramentis*) *ad eos Canones attenderent Presbyteri, qui abſolutionem his mulieribus, ac adoleſcentulis impendunt, qui eodem cum apparatu, eodem immodeſto veſtium, & capitis ornatu ſiſtunt ſe præſentes Sacrificio, ac ſi in choræis, & ludis, mundaniſque cœtibus verſarentur*. Nec generaliter tantum agunt Concilia de externa corporis diſpoſitione, ſeu ſitu, quo Miſſa audienda eſt, ſed explicant inſuper ſpeciatim qualis eſſe debeat. Concilium enim Toloſæ celebratum anno 1590. cap. 6. declarat, & ſtatuit, in Miſſis privatis toto tempore celebrationis orandum eſſe capite detecto, & genibus flexis: Rhemenſe habitum 1483. tit. *Euchariſtiæ* n. 20. ait, morem fere communem eſſe apud catholicos, ut procumbentes divinam adorent Euchariſtiam, & hortatur, ut ſi alicubi aliter ſit, in uſu ponatur, *& ſtando Chriſti corpus in hoc Sacrificio adoret, procumbat deinceps, dum ſacra myſteria proponuntur*. In Miſſis vero ſolemnibus ſatius eſt, ut fideles ſitum externum ad normam chori componant, id eſt ſedeant quando chorus ſedit, ſurgant quando ſurgit, dum legitur Evangelium (ita Concilium Rhemenſe), vel Præfatio, omnes ſurgant.

De Veterum habitu ac ſitu, dum Miſſæ intereſſebant.

Veterum habitus ſeu ſitus corporis, dum intererant Sacrificio, erat, ut ſederent, dum is qui præerat inter Lithurgiam concionabatur, & completa concione, omnes aſſurgebant, ut Hymnos Deo perſolverent, & Sacrificium offerrent. Sic rem deſcribit. S. Iuſtinus Martyr. *in Apologia* II. Loquitur hic tamen S. Iuſtinus de Sacrificio, quod celebratur die Dominico, qui dies Solis dicitur,

tur, nam in feriis, exceptis, quæ ſunt a Paſchate ad Pentecoſtes, veteres ſi ad Sacrificium his diebus convenirent, precari ſolebant genibus flexis, non flectebant genua die Dominico, & tempore Paſchali, (ſicut hodie nunc ad plura Eccleſiæ officia adhuc mos ſervatur) ait idem S. Martyr quæſt. 115. in ſignum, & deſignationem Reſurrectionis Domini; Et hanc conſuetudinem, ait ibidem, a tempore Apoſtolorum invaluiſse.

Solebant etiam veteres fideles urgenti aliqua gravi calamitate ſtrati in terra precari, cuius ritus exemplum habetur in illa Legione Chriſtianorum, quæ ſub Marco Aurelio Antonino (ut teſtatur eiuſdem epiſtola ad Senatum) ſic Deum precata hoſtibus internecionem, & Romanis militibus ultimo laborantibus diſcrimine ſalutem obtinuit. Solebant quoque iidem antiqui fideles expandere manus, & in altum tollere cum precabantur; & hoc ſimiliter ex Apoſtolica inſtitutione: *Volo viros*, (ait Apoſt. ad Timotheum) *orare in omni loco, levantes puras manus*. De hoc ritu loquitur etiam Tertullianus *de corona militis* cap. 11. *Nos vero*, ait *non attollimus tantum manus, ſed etiam expandimus, & Dominicam paſſionem modulantes, & orantes confitemur Chriſto*. Addit hic etiam Iuveninus, ſedendo orare extra diſciplinam eſſe.

Circa Templi partem, qua oporteat ſtare laicos Miſſæ Sacrificio intereſſentes, ſi ad priora Eccleſiæ ſæcula recurramus, quiſque ſibi perſuadere poteſt, nemini laico, dum ſacra peragebantur, ſive apud græcos, ſive apud latinos chori ingreſſum tunc temporis patuiſſe, & iam reliquias illius antiquitatis nunc etiam in græcorum Eccleſiis ſervari conſpicimus. Poſterioribus vero, corruptiſque ſæculis, ut fere communiter nunc videmus in Eccleſiis latinis, Sacerdotum ſedilia occupant multis in locis viri indiſcriminatim, & mulieres, ipſique etiam Sanctuario cum altaris miniſtris ſeſe aſſociant. Concilium Turonenſe anno 1583. huic incommodo occurrere volens, ſedulo cavit, graviterque prohibuit, ne deinceps hoc fieret. Sancivit enim primo, ne mulieres ad chorum admittantur. 2. ne laici intra cancellos altaris remaneant. 3. ne his etiam altaribus, quæ ſepta non ſunt, inhæreant mulieres. Sic enim tit. 15. de Chriſti fidelibus laicis: ait: *Ab ingreſſu chori non tantum Cathedralium, ſed etiam Collegiatarum, Monaſteriorum, & aliarum quarumcumque Eccleſiarum arceantur*; & paulo ante ſic laudata Synodus edixerat. *Ut enim in Eccleſia ſeſſionum decens ordo ſervetur, ſancimus, laicis dum divina peraguntur officia, non licere chorum præcipue Cathedralium Eccleſiarum ingredi, & inter eccleſiaſticos ſedere, minuſque dum Sacerdos ſacris operatur, altaris ambitum, cancelloſque ingredi, aut altaribus minime ſeptis & ambitis hærere*. Idem ſtatutum eſt anno 1585. in Concil. Aquenſi tit. *de celebrat. Miſſæ*. Sic Iuveninus in ſuo *Comment. hiſtorico Sacramentorum*.

Quoad mentis vero, ſeu animæ diſpoſitionem in audiendo ſacro, certiſſimum eſt non requiri, ut cum fructu Miſſam quis audiat, quod ſit in ſtatu gratiæ ſanctificantis, unde etiam graviſſimis peccatoribus licet ſiſtere ſe præſentes huic Sacrificio: Immo monendi ſunt ut frequenter interſint. Conari quidem debent, ut in ſe excitetur converſionis deſiderium; Deum ut hoc eis concedat, deprecentur, ac de ſuis peccatis pro viribus doleant, quæ eſt pœnitentia ſaltem inchoata, quam dicunt Theologi requiri, ut cum fructu Miſſæ interſint Sacrificio, & eſt ille devotus cordis affectus, recta fides, metus, atque reverentia, quibus ad divinum Miſſæ Sacrificium audiendum vult Concilium Trid. ſeſs. 22. cap. 2. accedere peccatores, ut ſicuti Sacrificium hoc eſt propitiatorium, *divinam miſericordiam conſequantur, & gratiam inveniant in auxilio opportuno*. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Hoc etiam docet Concilium Mediolan. III. tit. *de iis quæ ſpectant ad Sacrificium Miſſæ*. Ille vero pius affectus eſse nequit in obſtinato peccatore, qui nullo pacto de peccatis conteritur. Et quod exquirant Patres Trid. Concilii in peccatore, qui Miſsæ Sacrificio interſit, ut fructum ex eo percipiat, & ne novam culpam aliter ipſum audiendo incurrat, conſtat etiam ex eo, quod oblatio Sacrificii ſit ſpecies quædam tum orationis, & quidem præſtantiſſimæ, tum externæ ſatisfactionis Deo pro offenſa illi irrogata. In peccatum vero, & meram irriſionem vertitur oratio, & ſatisfactio illius qui quem orat, & placare vult, offendere, ac irridere cogitat. Vere enim non orat, ſed illuſorie ille cui nulla ratione peccatum diſplicet, ac proinde magis ad iracundiam, quam ad indulgendum Deum ſic accendit, ac provocat. Conſtat pariter, quia Eccleſia imponendo ſuum præceptum de audiendo ſacro, non tantum merum opus externum, ſed & modum internum quod illud ſit implen-

plendum, directe quidem opus externum, ſed indirecte internum præcipit. Hæc Iuveninus loco cit. Tournely, & alii.

APPENDIX.

De Ritibus Miſſæ.

§. I.

De tempore, & loco, quibus liceat Miſſam celebrare.

INter alia, quæ in Miſſæ celebratione attendenda ſunt, tempus profecto & hora ex Eccleſiæ præſcripto & inveterata conſuetudine ſunt præcipue obſervanda. In prioribus naſcentis Eccleſiæ temporibus, quando acriter ſæviebant Gentilium perſecutiones contra chriſtianam Religionem, in nocte metu perculſi conſueverunt convenire fideles ad divina officia peragenda: Unde Tertullianus *de corona militis* illos *antelucanos* vocabat, & a Gentilibus, ſicuti habetur apud Felicem Minutium in Octavio, dicebantur *latebroſa & lucifugax natio*. Cæterum & ipſi antiqui fideles indicabant ſuos Eccleſiaſticos congreſſus ad ſacra facienda, ubi hoc fieri poſſit, horis diurnis celebrandos; idcirco exprobrabat Tertullianus Valentinianis nocturnas initiationes, quæ ab ipſis fiebant. Et equidem pace reddita Eccleſiis, Miſſæ publice agebantur hora tertia, ſexta, & nona, paucis exceptis diebus, in quibus noctu celebrabantur, ideſt in Nativitate Domini, Sabbato ſancto, in Feſto S. Ioannis Baptiſtæ, in collatione ſacrorum Ordinum, in ſabbato quatuor temporum; & in his quoque ſicuti in aliis nunc diverſa conſuetudo ſervatur. Ioannes Beleth *de divinis officiis* c. 10. Micrologus cap. 58. ac alibi, illis horis Miſſam, dicunt, celebrandam eſſe; quia *hora tertia* Chriſtus linguis Iudæorum Crucifixus fuit, *hora ſexta* mortis ſententiam ſubiit, & *hora nona* ſpiritum emiſit. Paludanus vero in 4. diſt. 3. q. 2. ex hoc inferebat Miſſam celebrandam etiam in aurora; quia tunc Principes Sacerdotum concilium fecerunt adverſus Ieſum. Miſſa olim peragebatur diebus ieiunii hora nona ob ieiunantium communionem, & ſtatim veſperæ ſequebantur, ut conſtat ex Concil. Moguntino apud Ivonem p. 4. decreti cap. 35. quem morem hodiedum quoque, quoad Veſperas, ſervat Eccleſia in Quadrageſima exceptis diebus dominicis, quia his diebus non currit ieiunium: cæteris vero diebus Miſſa celebrabatur ante meridiem, ut fideles ſacro peracto domum ad prandium adirent. Nunc autem iure communi Miſſa abſolvi non debet ante auroram, vel poſt meridiem inchoari. Ita S. Pius V. in ſua Conſtitut. quæ incipit *Sanctiſſimus*, in qua etiam Miſſas veſpertinas interdixit. Et ſic etiam habetur in Rubricis Miſſalis.

Dixi *iure communi*. Nam cap. *Nocte ſancta de Conſecr. diſt.* 5. licitum eſt nocte Natalis Domini a galli cantu Miſſam celebrare, uti fit per univerſam Eccleſiam in memoriam, ac reverentiam tanti Myſterii, & alicubi noctis initio ex Apoſtolico indulto, ut in quibuſdam Eccleſiis Venetiarum, necnon in aliquo alio loco. Item ob neceſſitatem vel præveniri poteſt hora, puta ſi æger reficiendus eſſet ſacro Viatico, & deeſſent particulæ conſecratæ, aut populus peregrinaturus expectare non poſſet auroram; quam ob cauſſam præcipue Regulares ex Superioris licentia celebrare poſſunt integra hora ante diluculum, ſeu ante primam aeris illuſtrationem, quæ ſolet præcedere ortum ſolis per horam alteram, & ſemihoram, plus, minuſve; & hæc fuſius videri poſſunt in Rotario l. 1. *de Sacramentis* cap. 2. punct. 11. n. 9. Vel differri poteſt poſt horam meridianam, ut ſi concio publica producta fuerit ultra meridiem; vel ſi Sacerdos die feſto viarum difficultate detentus non potuit, ut ſperabat, pervenire ante meridiem ad locum, ubi ſacrificium erat facturus. Epiſcopus tandem ex rationabili cauſſa diſpenſare poteſt, ut licite hora præveniatur vel differatur; & talis præſumitur diſpenſatio expreſſa, vel tacita, aut conſuetudo quibuſdam in locis, ubi Miſſa celebratur tribus, aut etiam quatuor horis ante lucis ortum in gratiam opificum, aut ſimilium. Nomine vero auroræ intelligitur initium crepuſculi diei, ſeu prima lucis irradiatio, quæ, excepto tempore utriuſque æquinoctii, durat per horam cum dimidia, & aliquando per duas horas pro diverſis menſibus. Unde una hora cum dimidia ante ſolis ortum celebrari licite poteſt. Nec merito poſſunt Novatores nobis apponere exemplum Chriſti, qui ſero; ideſt poſt cœnam ſacrificium hoc inſtituit, & obtulit; quia nulla lege nos voluit Chriſtus obligatos, ut quæcumque ipſe obſervavit in ultima cœna, nos quoque obſervaremus; ſemper enim ea lex viguit, ut non niſi a ieiunis, generaliter loquendo, celebraretur, ac ſumeretur. Hanc Novatorum obiectionem prævenit D. Auguſtinus in Epiſt. 54. alias 118. cap. 6. *Siquidem apparet* (in-

quit) *quando primum acceſſerunt diſcipuli, corpus & ſanguinem Domini non eos accepiſſe ieiunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a ieiunis ſemper accipiatur? Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani prius corpus Domini intraret, quam cæteri cibi: nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur.*

Quid de recitatione Matutini ante Miſſam

Num vero Miſſæ celebrationi præcedere debeat recitatio Matutini; ita ut qui aliter faciat peccet mortaliter, non una eſt Theologorum ſententia. Rigidiores, ut Genetus, & alii dicunt peccare mortaliter Sacerdotem, qui ſine rationabili cauſſa Miſſam celebret, non prius recitato Matutino cum Laudibus, utpote quod in Rubricis Miſſalis hoc expreſſe tribus in locis præſcribatur. Et hoc dicunt eſse conforme conſuetudini ſemper ſervatæ in Eccleſia. Reifenſtuel vero cum Leſſio, & pluſquam triginta aliis negat abſolute; ideſt etiam non interveniente rationabili cauſsa mortaliter delinqui celebrando Miſsam ante Matutini recitationem; quia nihil in iure circa hoc ſtatutum reperitur, cum ſive ex vi legis Eccleſiaſticæ, ſive conſuetudinis, communiter conceditur obligatum ad horas Canonicas, in privata recitatione eximi a mortali, quando ante mediam noctem diei currentis eas perſolverit; neque contraria conſuetudo ſub tali obligatione ac tanta recepta eſt. Immo veriſimile eſt, hunc pium morem inductum fuiſse ex mera devotione, & minime cum voluntate ſe obligandi. Nec obſtat, quod Rubricæ Miſsalis tit. *de præparatione Sacerdotis celebraturi* tribus in locis memorent Miſsam celebrandam eſse Matutino ſaltem, & Laudibus abſolutis; cum verbum nullum contineant præcepti ad tam grave onus imponendum. Immo licet velit Gobat, non ſine rationabili cauſsa, ad praxim reducendam eſse mitiorem ſententiam, eo quod recitatio officii ſit optima præparatio ad ſacrum peragendum, ne quidem tamen venialem culpam per ſe loquendo hic intervenire cenſet. Amort item recentior Theologus, & non ex benignis, iudicat nullum committi peccatum, niſi paſſim fiat ex negligentia, nihil definiendo de qualitate peccati, num mortale ſcilicet ſit, vel veniale. Verum quidem eſt, quod prioribus ſæculis, ut notat P. Chardonus in ſua hiſtoria *de Sacramentis*, iuxta antiquam diſciplinam non celebrabatur Miſsa niſi prius celebratæ fuiſsent nocturnæ vigiliæ: ſed hoc erat quoad publicam recitationem: immo quoad privatam, quam diſciplina illorum temporum iniungebat Clericis, qui ob aliquam cauſsam publicæ intereſſe non poterant, nihil eis præſcribebat circa horam, non diſtingendo Clericos a Sacerdotibus, quorum erat celebrare.

§. II.

De quotidiana Miſſæ celebratione.

Circa quotidianam Miſsæ celebrationem notant eruditiſſimi viri P. Mabillonius in præfatione ad ſæculum ſecundum Ordinis Benedictini §. 4 n. 30. & P. Martene tom. 1. *De antiquis Eccl. Ritib. art.* 3. quod primis Eccleſiæ temporibus die dumtaxat Dominico Miſsæ Sacrificium celebraretur, ut latis innuit etiam S. Iuſtinus Martyr *in Apolog.* II. & S. Epiphanius in *Expoſit. Fidei Catholicæ* tradit, tres dies in hebdomada ſtatutos fuiſse ab Apoſtolis; Dominicam nempe 4. & 6. Feriam; & hoc confirmat Tertullianus l. *de oratione*; & S. Baſilius his adiecit etiam ſabbatum in Ep. 289. ad Cæſaream Patritiam. Tempore tamen S. Auguſt. variæ in variis Eccleſiis inductæ erant conſuetudines. Nam ut conſtat ex ipſo S. Auguſt. ſerm. 58. *de orat. Domini ad competentes* in Africa uſus quotidiani Sacrificii invaluerat; ſicuti etiam in Hiſpania, ut colligitur ex Concil. Tolet. I. anno 400. Can. *Presbyter*; ſic in Eccleſia Conſtantinopolitana ut patet ex S. Chryſoſtomo in Epiſt. ad Epheſ. Idemque aſserit P. Martene contigiſse ſæculo V. in aliis Eccleſiis, & Monaſteriis, ut habetur ex pluribus Patruum teſtimoniis allatis a Cardinale Bona l. 5. cap. 14. Conſtat igitur, ſæculis præſertim V. & VI. Miſsæ celebrationem a piis Sacerdotibus frequentatam fuiſse; immo Miſsas etiam privatas, ſi tamen excipias Fer. 6. & ſabbatum maioris hebdomadæ apud Latinos, & omnes Ferias 5. Quadrageſimæ in Eccleſia Mediolanenſi; ac totum Quadrageſimæ tempus præter Sabbatum, Dominicas, & Feſtum Annuntiationis apud Græcos. Verum poſt ſæculum VI. hæc conſuetudo celebrandi quotidie univerſalis fuit omnibus Sacerdotibus, ut aſſerit P. Martene l. 2. *de Monachor. Ritib.* cap. 6. §. 3. Immo non ſolum licita fuit olim quoque quotidiana Miſſæ celebratio; ſed pluries etiam in die permiſſum erat celebrare pro cuiuſque Sacerdotis arbitrio, ac devotione; ita ut alius bis, alius ter, alius quoties ei libebat Miſſas eadem die iteraret; credebant enim tanto magis Deum ad miſericordiam flecti, quanto crebrius paſſio Chriſti commemoraretur, ut tradit

Quotidie prioribus ſæculis non ubique celebrabatur.

Poſt ſæculum 6. invaluit conſuetudo quotidie celebrandi.

dit

dit Walfridius Strabo lib. *de reb. Eccleſiaſt.* cap. 25. qui refert, Leonem III. novies aliquando eodem die celebraſſe. Verum huic Sacerdotum devotioni limites poſiti fuere a ſacris canonibus, & prius limitaverunt ad tres tantum; & Alexander Papa II. qui obiit an. 1073. decrevit, ne plus quam ſemel in eodem die a Sacerdote celebraretur, ut habetur in decreto Gratiani *de conſecrat. diſt. 1. can. 53.* ubi etiam rationem addit Pontifex; *quia ſemel Chriſtus paſſus eſt, & mundum totum redemit. Non modica res* (ſubiungit) *unam Miſſam facere, & valde felix eſt, qui unam Miſſam dignam celebrare potuit*. Addit tamen idem Pontifex ibidem. *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die ſi neceſſe ſit*. Hodie tamen neque pro defunctis, præter aliam celebratam eodem die, celebrare, præter ſolemnem diem Nativitatis Domini iuxta antiquum morem, permiſſum eſt. Ritus enim ſemper fuit pro hac die ut quilibet Sacerdos tria peragere valeat ſacrificia, ritibus & cæremoniis a S. Congreg. præſcriptis. Et hæc praxis eſt communis utriuſque tum orientalis, tum occidentalis Eccleſiæ.

Cæterum olim ex ipſius Eccleſiæ ritu non ſolum in Nativitate Domini (qui ritus in hac die iuxta Walfridium *de rebus Eccleſiaſtic.* cap. 21. alioſve quamplurimos derivat a Teleſphoro 2. Eccleſiæ ſæculo, & eſt plane antiquiſſimus ut conſtat ex homil. 8. S. Gregorii M. quæ incipit: *Quia largiente Domino, Miſſarum ſolemnia ter hodie celebraturi ſumus*) ſed etiam aliis diebus Feſtis plures Miſſæ eodem die celebrabantur a Sacerdotibus. Nam in die Circumciſionis Domini, ſeu Kalendis Iannuarii in vetuſtiſſimo Gellonenſis Monaſterii Sacramentorum libro tres reperiuntur Miſſæ aſſignatæ 1. & 2. inſcribitur in octava Domini; tertia inſcribitur *ad prohibendum ab Idolis*. Secunda tamen eſt de Sancta Maria, ut indicant orationes. Frontonus in ſuis prænotatis ad Calendarium ab ipſo editum §. 10. aſſerit, In die quoque Paſchatis tres Miſſas celebratas fuiſſe. Primam ſabbatinam de nocte; ſecundam de die; tertiam in conceſſione Ordinum, quæ non adnotatur; quia erat de communi. Verum editor S. Leonis in 6. diſſertatione ad opera eiuſdem S. Pontificis prætendit demonſtrare, in Paſchate collatos non fuiſſe Ordines. In veteri Miſſali Gallicano in lucem edito a Cardinali Thomaſſio per totam octavam Paſchæ adnotantur duæ Miſſæ, una matutinalis pro Neophytis, altera de die. Tempore S. Auguſtini bis celebrabatur Fer. 5. in Cœna Domini, ſemel mane a ieiunis, & ſemel ſero a refectis. Verum in antiquo Codice Rhemenſi S. Remigii, & in Nonomenſi S. Mariæ, necnon in ordine Gelaſiano tres aſſignantur Miſſæ in Cœna Domini. Prima pro reconciliatione pœnitentium, 2. pro Chriſmatis confectione 3. ad Veſperum de ſolemnitate; & etiam quarta additur in veteri Codice Bibliothecæ Regiæ Gallicanæ annorum circiter 900. Item ex P. Martene eruitur, quod in optimæ notæ M. S. libro Sacramentorum Eccleſiæ Turonenſis annos ante 800. exarato; tres pariter Miſſæ deſcribuntur in Vigilia Aſcentionis Domini præter eam, quæ eſt de Litania Maiori, ideſt in Rogatione 1. die una, in 2. duæ, & duæ tertio præter eam quæ eſt de Vigilia Aſcenſionis. Præterea in aliis quoque ſolemnitatibus Domini, necnon Sanctorum reperiuntur plures Miſſæ, quæ eodem die ab uno eodem Sacerdote decantabantur, ut in Feſtivitatibus S. Ioannis Baptiſtæ & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ut refert Strabo *de Eccleſiaſticis officiis*, cap. 21. Amalarius Fortunatus eodem titulo.

In media nocte Nativitatis Domini non poſſunt: celebrari aliæ duæ Miſſæ ſucceſſive.

Nota 1. quod poſt Miſſam decantatam in media nocte Nativitatis Domini non poſſunt ſucceſſive celebrari aliæ duæ Miſſæ, nec in ipſa miniſtrari poteſt Euchariſtia: ſic declaravit S. Congregatio 7. Decembris 1641. bene quidem id fieri poteſt poſt auroram.

Nota 2. celebrationem trium Miſſarum in die Nativitatis Domini privilegium eſſe non præceptum ac proinde liberum eſt Sacerdotibus unam tantum celebrare, quæ tamen debet eſſe conformis tempori, quo celebratur, ideſt ſi in nocte, debet eſſe prima, ſi in aurora ſecunda, ſi in die tertia. Et qui unam vult tantum celebrare, ſive primam, ſive ſecundam, ſive tertiam, ſemper facere debet commemorationem S. Anaſtaſiæ. Dixi *ſi celebret in nocte Nativitatis*, quia quilibet Sacerdos poteſt in illa nocte unam Miſſam celebrare; *de conſecr. diſt. 1. cap. Nocte Sancta*. In ipſa die Nativitatis ſatisfacere poteſt Sacerdos tribus obligationibus ex Decreto S. Congreg. Conc. *in Nullius* 18. Aprilis 1654. lib. 19. Decretorum fol. 336. Hinc obligatus quotidie pro Capellania, non tenetur niſi unam tantum Miſſam applicare pro Fundatore.

Hæ tres miſſæ tandem celebrari poſſunt etiam in Oratoriis privatis, ubi ſolemnibus diebus permittitur una miſſa celebrari in gratiam infirmorum, qui e domo egredi nequeunt.

In aliis vero diebus Feſtis nunc præter Natalitios Domini fas non eſt Sacerdoti Miſſam iterum celebrare, neque ob deferendum Viaticum infirmis in deficientia particularum conſecratarum, neque in commodum iter agentium, neque ob celebrationem nuptiarum; cum huiuſcemodi caſus abſolutam neceſſitatem non afferant. In Regno tamen Aragoniæ viget mos, quem ſequuntur etiam Regna Valentiæ, & Catalauniæ, ut in die commemorationis omnium fidelium defunctorum Sacerdotes ſæculares duas Miſſas, tres Regulares celebrent; quod alii affirmant ſibi conceſſum a Iulio III. alii a Paulo III. Petierunt alii, ut Epiſcopus Pragenſis, huiuſmodi indultum a S. Sede ſub Clemente XI. ſed cum res revocata eſſet ad examen a Conſultoribus S. Congregationis Concilii iuſſu ſummi Pontificis die 4. Martii 1711. petitio repulſam habuit.

In caſu tamen neceſſitatis plures miſſæ eadem die celebrari poſſunt; puta ſi quis haberet duas, vel tres valde diſſitas Parochias. Si pauci eſſent Sacerdotes ut in terris hæreticorum in Anglia, Olandia &c. quando id exigat Catholicorum ibi morantium neceſſitas; quod tamen licitum non eſt, niſi in diebus Feſtis, quando urget præceptum audiendi Sacrum. Minime vero in alio quovis caſu licitum eſt miſſam pluries una die celebrare. Qui autem ſunt in ſupradictis caſibus pluries in die celebrandi, debent ſe ieiunos ſervare, ut in die Nativitatis Domini uſque ad ultimam miſſam.

Qualibet die licet celebrare, excepta Fer. 6. Maioris hebdomadæ, quæ dicitur in Paraſceve. Illicitum eſt enim ſub mortali ſive publice, ſive private hac die celebrare; quia cum Eccleſia tali die veluti præſens ſub oculos exponat ſacrificium cruentum, non videtur conſentaneum per incruentum ſacrificium illius commemorationem facere, tamquam rei præſentis. Feria vero 5. in Cœna Domini, licet olim vetitum non eſſet celebrare, ut docent Soto, & Suarez, & dicunt ſtandum eſſe conſuetudini Diœceſium; nunc tamen non obſtante quocumque privilegio, aut conſuetudine prohibentur celebrari miſſæ privatæ; ita ut dici nequeat niſi unica tantum publica ſolemnis, ideſt Conventualis in ſingulis Eccleſiis: Sic ex praxi Eccleſiæ, & ſummorum Pontificum decretis, præcipue noviſſimo edito a S. R. E. iuſſu Clementis XI. 20. Aprilis 1707. & tandem eiuſdem vivæ vocis oraculo confirmatum die octava Auguſti 1713. Occurrente vero Feſto de præcepto, ut populus ſatisfaciat præcepto, conceduntur celebrari aliquæ miſſæ. Notat P. Ferrari in ſua Bibliotheca art. 5. n. 29. non poſſe hac die celebrari in Eccleſiis, ubi non aſſervatur SS. Sacramentum, & in ſepulcro, ſeu capſula ad hoc decenti loco, & decenter ornato parata ſervari debere hoc auguſtiſſimum Sacramentum, ut declaratum fuit a S. Congregatione in una Neapolitana die 24. Iunii 1659. Pariter ob eamdem rationem ac Fer. 6. in Paraſceve, non eſt conſentaneum celebrare Sabbato Sancto uſque ad noctis crepuſculum, quo ſtella in cœlo apparere incipit; tunc enim ſolemnitas Reſurrectionis Dominicæ, quæ nocte contigit canticis lætitiæ, & Miſſæ Sacrificio celebretur, ut ex ordine Romano, Rabano, Hugone Victorino, aliiſque. Verum cum poſterioribus ſæculis refriguerit Fidelium devotio, Eccleſia ad evitanda incommoda, quæ contingebant, ritum quoad tempus immutavit, ſeu anticipavit celebrare, ut etiam nunc facit, ſolemnitatem Reſurrectionis, circa meridiem Sabbati Sancti, ut ſtatuit ſuis decretis; ac præcipue die 20. Aprilis 1707. prohibuit, ne ullæ Miſſæ privatæ eo die celebrarentur.

De ritu Eccleſiæ Orientalis circa celebrationem in aliquibus diebus.

In Eccleſia vero orientali, ſeu apud Græcos Sacrificium non offertur ieiuniorum diebus, ſed in his utuntur Liturgia, quæ dicitur *de præſanctificatis*. Talis vero Liturgia complectitur ritus omnes, qui adhiberi ſolent in celebrando, excepta conſecratione, quæ in Quadrageſimalis tantum peragitur in hebdomada, in Sabbato ſcilicet, & Dominica. *Præſanctificatum miniſterium* (ait Theodorus Balſamon ad can. 52. Trullanum) *incruentum Sacrificium non dicimus, ſed oblationem prius oblati, & perfecti ſacrificii ſacrique Myſterii*. Hic ritus adhibetur ab Occidentalibus tantummodo Fer. 6. in Paraſceve, ad quem finem Celebrans Fer. 5 in Cœna Domini duas conſecrat hoſtias, unam in actione illius diei ſumendam, alteram ſervandam pro die ſequenti ad miſſam de præſanctificatis, quam vocant etiam *miſſam ſiccam* eo quia in ea non ſumatur vinum conſecratum, ut habetur in ritibus Liturgiæ Latinæ Eccleſiæ. Huiuſcemodi Ritus Præſanctificatorum diebus ieiunii iam obtinuiſſe ſæculo ſeptimo apud orientales clare demonſtrat Canon. 52. Concilii Trullenſis celebrati an 692. *In omnibus ſanctæ quadrageſimæ diebus præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annuntiationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum miniſterium*. Eumdem ritum ineunte 4. Sæculo præſcribit Concilium Laodicenum.

Non-

De inſtitutione ritus præſanctificatorum. Nonnulli apud Græcos arbitrantur, hunc ritum præſanctificatorum inſtitutum fuiſſe ſi non ab Apoſtolis, ſaltem ab eorum diſcipulis, & hoc coniiciunt tum ex eo quod Laodicenum Concilium non novum videatur ritum inſtituere, tum ex eo quod notus videatur ex Fidelium etiam Laicorum communione, quæ fiebat diebus etiam ieiunii; cum enim hiſce diebus Sacrificium non offereretur, antiqui ut populum ad devotionem excitarent, Liturgias, ac preces conſueverunt recitare. Igitur, (ait Leo Allatius, qui ſecutus eſt hanc ſententiam in diſſertatione *de miſſa præſanctificatorum* n. 15.) circa Apoſtolorum, vel Diſcipulorum ſubſequentium tempora cum omnes communicare ſolebant, Liturgia iſta Præſanctificatorum peragebatur,

Græci ieiuniorum diebus non celebrant Miſſam perfectam, ſeu quæ præter preces ac communionem, conſecrationem quoque complectatur, eo quia miſſa quovis Eccleſiæ ſæculo habita ſit apud Græcos ſolemnitas hilaritatis, & gaudii; ieiunia vero mœrorem & luctum importent. Hinc Orientalium Conciliis ſemper cautum fuit, ne feſti dies in quadrageſima peragerentur. Sic Iuveninus in ſuo commentar. Hiſtor. *de Sacram. Eucha.* & alii.

§. III.

De loco ad Miſſam celebrandam.

Tempore Apoſtolorum celebrabantur ſacra in privatis domibus. In Eccleſiæ primordiis tempore Apoſtolorum non ſtatim extitere loca, ſeu Templa ad Sanctum Sacrificium, aliaque divina officia celebranda, ſecundum morem illius prioris temporis, deſignata, ac ſtatuta; ſed illa celebrabantur in aliqua privata domo, ad quam Fideles conveniebant, ut illis intereſſent, ſacram communionem reciperent, ac Dei verbum audirent; ut habet S. Lucas in Apoſtolorum Actibus cap. 20. de S. Paulo hoc Troade peragente in cœnaculo cuiuſdam privatæ domus. Non tamen multo poſt circa medietatem primi ſæculi excitari cœperunt præcipue Romæ a divitibus Fidelibus templa, ſplendida opulentaque Templa, ut narrat Euſebius citatus a P. Tomaſſino P. 3. l. 3. cap. 37. n. 7. & probat Baronius teſtimonio SS. Pii, & Evariſti Romanorum Pontificum, ut narrat P. Chardon in ſua Hiſtoria Sacramentorum; & alibi refertur, domus Praxedis, & Pudentianæ in Eccleſiam a Principe Apoſtolorum converſas fuiſſe. Nec Romæ tantum; ſed alibi quoque tum in Occidentali, tum in Orientali Eccleſia illis temporibus erecta erant Templa & ſacrata ad Dei cultum, & in ſacris hiſce locis celebrabantur ſacrificia, ſicuti habetur etiam ex S. Ignatio Martyre in ſua Epiſtola ad Magneſianos ad an. Chriſti 57. quem dictus P. Chardon ibi citat, ubi de Euchariſtiæ Sacramento l. 3. cap. 19. Et equidem ædes, ad quas Apoſtolorum ætate conveniebant Fideles ad ſacra, a privatis domibus diſtinguebantur. Et Philo apud Euſebium l. 2. *Eccleſiaſt. Hiſtoriæ* cap. 17. de Alexandrinis ad Chriſtum converſis tradidit, habuiſſe in ſingulis locis *conſecratam orationi domum ac celebraſſe caſtæ vitæ myſteria*. Non multum tamen perduravit hæc Eccleſiæ felicitas; quia ſæviente Gentilium Tyrannorum perſecutione, & præcipue Diocletiani, diruta fuere illa Templa, & complanata, ac vetitum Chriſtianis tanto rigore convenire ad celebrationem huiuſce myſterii, aliorumve Religionis officiorum, ut graviſſimis ſuppliciis cogerentur pateſacere, ſi umquam ad huiuſmodi exercitia fierent inter ipſos congreſſus, ut conſtat ex actibus, & Martyrio S. Saturnini, & Sociorum, ubi narratur, S. Tedicam Martyrem confeſſam fuiſſe, ſe celebraſſe collectam; nomine autem *Collectæ* illis temporibus Conventus ſignificabatur Fidelium ad celebrandum ſanctæ miſſæ myſterium, & nomen *Dominici* ipſam miſſam ſignificabat. *Templa Chriſtianorum diruta ſæviente perſecutione, præſertim Diocletiani.* Quare dum perdurarunt hæc difficilima tempora compellebantur Fideles agere ſuos cœtus ad Liturgiam celebrandam in quibuſcumque locis, quæ oculis paganorum eſſent impervia; videlicet vel in privatorum ſuperioribus partibus domorum, ubi erant cœnacula, vel in earumdem ſubterraneis, in cryptis, ideſt ſubterraneis ſpeluncis, vel cæmeteriis, iiſque locis, quæ ſive a Græcorum more *iuxta tumbas*, quia in hiſce locis ſepeliebantur Fideles, & præcipue Martyres, vel a Latinorum cymba quia ad inſtar Navigii eſſent curva, & longiora, ſive tandem Sabinorum Camba, unde cenſet Feſtus derivari cubiculum, Maiores noſtri appellarunt, & hodie num appellantur ab eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptoribus *Catacumbæ*. De hoc teſtantur acta S. Stephani Papæ, ex quibus colligitur, quod in latebris Martyrum frequenter celebrabantur miſſæ, & Concilia, ubi etiam celebrando caput ei abſciſum fuit. Immo celebratio ſacri habebatur etiam in Carceribus, in quibus Chriſti confeſſores includebantur, ut colligitur ex Epiſt. S. Cypriani ad Sacerdotes & Diaconos.

Templa denuo erigi cœperunt ſub Conſtan. tino Magno.

Reddita tandem Eccleſiæ pace ſub Conſtantino Magno, denuo erigi cœperunt, & conſecrari Templa, & ædes ad Fidelium cœtus peragendos, Miſſaſque celebrandas, quibus ſacris ædibus veteres nomen appoſuere Baſilicarum & Dominicorum; quia in cultum ſupremi rerum omnium domini conſtruebantur. Templum etiam vocavere Oratoria Martyriorum, quæ nomina ſuam etymologiam deduxerunt a loco, qui cernitur, ac contemplatur ex omni parte, in quo oratur, & habetur Sanctorum memoria; tametſi Baſilicæ communiter dicantur quaſi ob magnificam, regiamque ſtructuram ampliores Eccleſiæ, ut Vaticana, Lateranenſis, quæ & *Aurea* dicta eſt propter ornatum, ſacrorumque donariorum valorem, & numerum, atque amplitudinem. *Oratorii* tamen titulus hodie ad privata, & anguſtiora ſacella arctari ſolet. Item *memoria* hæ ſacræ ædes vocatæ fuere; quia in memoriam Sanctorum Martyrum erigebantur. *Titulus*, quia Chriſtiani ſolebant demonſtrare aliquo ſigno, nimirum Crucis, hanc domum divino cultui eſſe mancipatam, quemadmodum locus Fiſco addictus, aliquo titulo puta immagine Imperatoris, aut inſcriptione denotabatur. *Templum*, licet hoc nomen potius Paganorum ſacris, quam Chriſtianorum ædibus iuxta Codicem Theodoſianum convenire videatur. Numquam tamen dictæ fuere *Fanum*, vel *Delubrum*. Tandem communiter, ac frequentius *Eccleſia* vocantur, per quam vocem ſumitur contentum pro re continente; Eccleſia enim idem eſt, ac Fidelium Congregatio, quæ apud Iudæos dicitur Sinagoga.

Eccleſiæ conſe. crantur ab Epi. ſcopo.

Hæc autem loca erecta in Dei cultum pro Sacrificiis, & fidelium Conventibus, merito ab Epiſcopis conſecratione dedicantur. Nam ſi Templum Salomonis in lege veteri, quæ umbra erat, & figura novæ dedicationis, cœremonia Deo ſacratum fuit, multo magis dedicandæ ſunt Eccleſiæ noſtræ, in quibus dignior ara ſtatuitur (ait hic P. Berti) & immolatur Sacrificium longe veteribus præſtantius. Et hic mos cœpit temporibus ipſis Apoſtolorum, cum S. Petrus Romæ in exquiliis ſacraverit, ut habetur ex Hiſtoria Eccleſiaſt. & teſtantur vetera Micrologia; nec non ab eodem Apoſtolo conſecratæ fuere in Eccleſiam ut iam diximus, Domus S. Praxedis, & S. Pudentianæ, & S. Urbanus domum S. Cœciliæ dedicavit. Poſt redditam vero Eccleſiæ pacem Euſebius l. 10. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* cap. 3. p. 370. commemorat Feſtivitates dedicationum per ſingulas urbes Oratoriorum recenter (ideſt poſt reſtitutam Eccleſiæ pacem) ſtructorum, & l. 4. *de vita Conſtantini* cap. 43. narrat dedicationem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ad quam Auguſtiſſimus Imperator invitavit omnes Epiſcopos, qui ad Synodum Tyrii convenerant. Et alia habentur huiuſcemodi de Eccleſiarum dedicatione vetera monumenta. In his igitur locis, nempe in Eccleſia, vel Oratorio dicatis a ſæculo pacis Eccleſiæ non promiſcue in omnibus, divina myſteria peragenda ſunt, ſicuti præcipitur tum a vetuſtiſſimis canonibus collectis *de conſecratione* a Gratiano diſt. 1. tum a Concil. Toletano 16. an. 698. c. 8. Romano an. 826. quibus acceſſere etiam Principum catholicorum Conſtitutiones Novella 57. Iuſtiniani, Capitularia Caroli M. an. 789. n. 901. aliorumque; nec non Canones proximis temporibus Concilii Tridentini, a quo hoc inviolabiliter ſervandum iubetur; itaut ſecluſo privilegio, non licet ſub mortali ob materiæ gravitatem celebrare, niſi in loco conſecrato, vel auctoritate Epiſcopi benedicto, vel in Oratorio ad divinum cultum tantummodo dicato, ac per Epiſcopum deſignato. Ita Trident. ſeſs. 22. & cap. 12. *de conſecrat. diſt.* 1. idque confert ad reverentiam tanto myſterio debitam, & ad Fidelium devotionem augendam.

Nec miretur aliquis, quod cum Deus ubique ſit, ac proinde in terra univerſa in Spiritu & veritate coli poſſit Sacrificiis, & aliis Religionis, ac pietatis operibus; in ſolo nihilominus templo cum cœremoniarum pompa & apparatu, Sacrificium offerre, ac cultu publico ipſum adorare licitum ſit, cum Templa ſint ea loca, quæ ſpecialiter divino cultui ſunt dicata. Sic in veteri lege in uno ſolo templo Ieroſolymitano Iudæi celebrare poterant Paſcha, offerre Sacrificium, aliave, quæ ad publicum Religionis cultum pertinebat officia adimplere. Cum autem omnia veteris legis, ſicuti ipſa lex, eſſent figura & umbræ legis gratiæ, non minori ratione conveniens erat, ut in hoc ſtatu quoque legis novæ ſeu Evangelii, & gratiæ, quæ eſt figuratum, haberent fideles ſua Templa, ſeu ſacras ædes Deo dicatas; quibus cum ſpeciali modo aſſiſtat Numinis ſupremi maieſtas; *Domus mea* (ait Chriſtus Dominus Matth. 21.) *Domus orationis vocabitur*, in his ipſi redderent Chriſtiani ſuum cultum, & Sacerdotes divinum Sacrificium offerrent.

Fines re. cenſen. tur, qui. bus Ec-

Quatuor ob fines templa eriguntur, ex quo varie etiam denominantur. Videlicicet 1. ad ſacrificandum Deo, & hinc dicuntur *Tem-*

cleſiæ ſeu Templa conſtruuntur.

pla 2. ad orandum; & hinc dicuntur *Oratoria* 3. ad reliquias Martyrum honorifice conſervandas, & hinc etiam dicuntur *Baſilicæ*, ſeu *memoriæ*, & *Martyria* 4. ad populum verbo Dei, & Sacramentis ſpiritualiter alendum, & hinc dicuntur *Eccleſiæ*. Ex his finibus nonniſi quarrum agnoſcunt Novatores. Putant enim nunc nullum dari Sacrificium, quod publice Deo offeratur. Anabatiſtæ vero, & Valdenſes neqnidem ad populum verbo Dei, & Sacramentis paſcendum, templa erigenda eſſe impie autumant.

Templa non ſecus ac Altaria, & Sacrificia, cum ſint proteſtativa ſupremi dominii, nonniſi Deo, qui eſt ſupremus Dominus duo priora erigi poſſunt, & dicari, & alterum offerri, ſine graviſſima Idololatriæ, labe. Quocirca Templa, & Altaria, quæ vulgo excitata dicuntur ſanctis, & Sacrificia ipſis oblata vere, & proprie priora dicata ſunt, ac poſteriora oblata ſemper & ſingulariter ipſi Deo; Sanctis vero tantummodo in eorum honorem.

In neceſſitate celebrari poteſt etiam in locis non conſecratis.

Quamvis tamen divinum Sacrificium ordinarie loquendo celebrari nequeat nonniſi in Eccleſia, vel altero loco Deo dicato; poteſt tamen celebrari in caſu neceſſitatis publicæ, puta dum Eccleſia eſt diruta vel deeſt, ne populus ſacro careat, in Caſtris, in litore maris &c. cap. 30. *eadem*; immo nunc etiam in mari celebratur de licentia Papæ.

Miſſa licite celebrari nequit in Eccleſia violata.

Non poteſt Miſſa licite celebrari in Eccleſia violata, ſeu polluta; quia vetitum eſt ab Eccleſia. Violata autem cenſetur Eccleſia, quando eius ſanctitas violatur, quod in quinque caſibus contingit: videlicet primo periurioſam, & moraliter malam ſanguinis effuſionem. Dico *effuſionem* ideſt copioſam: nam aliquæ guttulæ Eccleſiam non polluunt; & ſufficit ad hoc, quod homo ſit graviter vulneratus in Eccleſia, licet extra ipſam ſanguinem fundat. Ita ſi e contra percuſſio fiat extra Eccleſiam, licet effuſio fiat in Eccleſia, non erit violata 2. caſus eſt homicidium voluntarium, & iniurioſum; nam ſi omnino caſuale ſit non polluitur. 3. eſt Adulterium, & voluntaria ſeminis effuſio (involuntaria enim Eccleſiam non polluit) immo etiam copula coniugalis, quæ ibi fieri nequit. Hæc tamen debent eſſe nota & publica: quia per occulta non fit pollutio 4. per ſepulturam Infidelis, vel Hæretici, vel cuiuſcumque alterius nominatim excommunicati cap. *Conſuluiſti de conſecrat. Dico nominatim denuntiati*; quia licet vetitum ſit etiam ſub pœna anathematis, ut in Concil. Turronenſi an. 1583. ſepelire in loco ſacro Hæreticum, ſi iſte tamen non ſit nominatim denuntiatus, illius ſepultura Eccleſia non polluitur. Non deſunt qui prohibitionem hanc extendunt etiam ad Infantes non baptizatos, niſi tamen mortui ſint in utero matris, & non extract. cum ipſa ſepeliantur; quia tunc ab ipſa non diſtinguuntur. Eccleſia violata Cœmeterium quoque, ſi contiguum ſit, violatum cenſetur; ſecus vero ſi fuerit diſtans, ut paries interpoſitus illud ab Eccleſia disiungat. Econtra vero violato Cœmeterio violata non cenſetur Eccleſia, quia quod minus eſt, ut cœmeterium reſpectu Eccleſiæ, non trahit ad ſe maiorem; cap. *unico de Conſecrat. Eccle. in* 6. Quintus caſus eſt, ſi Eccleſiæ parietes magna ex parte igne abſumantur, aut aliter funditus deſtruatur, vel ſi omnino non ſint deſtructi parietes, omnis cruſtatio, aut eius maior pars deſtruantur; in utroque enim horum caſuum Eccleſia cenſetur violata; idcirco non licet in ea celebrare; quia conſecratio conſiſtit in exterioribus parietum cruſtis; cum in his fiant cruces & Chriſmatis unctiones, nec eadem remanere cenſetur Eccleſia, ſi parietes maxima ex parte ruerent, ac deſtruerentur. Non ita tamen res eſſet, ſi his remanentibus, tecta, vel aliqua ligna comburantur, aut corruerent: cap. *ligna de conſecrat.* Innocentius III. definivit, neque ſi maior pars parietum, aut cruſtarum ſubſiſteret; quia tunc Eccleſia eadem ſubſiſtere cenſetur.

Hic tamen duo ſunt obſervanda: primum, diſcrimen eſſe inter pollutionem Eccleſiæ, & execrationem: nam polluta eccleſia polluuntur etiam altaria in ipſa erecta, & fixa; ſicut e contra non poteſt Altare pollui, niſi Eccleſia quoque polluatur. Si vero execretur, combuſtis ſcilicet, aut deſtructis parietibus, non exinde execrantur Altaria, quæ integra ac illæſa remanent: ſic Altari per fractionem execrato non execratur Eccleſia. Alterum, quod vetitum eſt dirutam Eccleſiam, quæ conſecrata fuerat, ad profanos uſus convertere: quia eſt regula generalis, ad uſus profanos convertendum non eſſe, quod ſemel fuerat conſecratum. Cap. *ligna de Conſecrat.* ubi ſic habetur: *Ligna Eccleſiæ dedicatæ, vel igne eſſe comburenda, vel ad aliam Eccleſiam ad profectum Monaſterii eſſe adhibenda.* Sed de his fuſius ubi hæc materia ex profeſſo expendetur.

§. IV.

De Forma antiquorum Templorum ſeu Eccleſiarum.

Incertum eſt, in quam figuram ſacræ ædes prioribus ſæculis deſinerent. Nam ſcriptores ſive Chriſtiani, ſive Gentiles illorum temporum, qui de Templis, de quibus hic agitur, locuti ſunt, ut Lampridius in Alexandrum Imperatorem, Euſebius, nihil ſcriptis mandarunt, ex quo eorum figura colligi queat. Baronius ad annum Chriſti 57. ex eo quod in piorum Chriſtianorum ædibus eadem peragenda eſſent officia, & miſteria, eædemque exercendæ functiones, conicit fuiſſe einſdem formæ, ac ea quæ in ædificatis poſt pacem Eccleſiæ a M. Conſtantino conſtructa fuere. Situs Templorum omnium prioribus ſæculis talis erat, ut ad orientem ſolem verterentur, ut habetur ex his, quæ nomine Clementis I. inſcribuntur l. 2. cap. 61. Hoc tradit etiam Tertullianus lib. *adverſus Valentinianos* cap. 2. Idemque probat mos veterum Chriſtianorum, qui converſi ad orientem precabantur, ut tradit Tertullianus I. Apologetico cap. 16. Et Iſidorus l. 15. originum cap. 14. ita ſcribit: *Antiqui quando templum conſtruebant, Orientem ſpectabant Equinoctialem, ut qui deprecaretur, rectum reſpiceret orientem.*

Quatuor partibus conſtabant veteres Eccleſiæ.

Veteres Eccleſiæ quatuor conſtabant partibus, Porticu nimirum, Navi, ſeu Narthecæ, Ambone, Sanctuario. Porticus tectus erat humilioris ſitus, ab Eccleſiæ tecto, quod ſublimius erat, diſtinctus, non muris quidem, ſed arcubus, aut columnis ſuffultus. Hinc patebat ſolaribus radiis, aeriſque iniuriis erat pervius. In eo ſtabant pœnitentes, quos flentes vocabant. Nonnulli cenſent, priorem partem Templorum merum fuiſſe atrium, ſpatium ſcilicet muris clauſum, amplum, & quadratum, cuius medium apertum erat aeri. Verum præter tale atrium erat etiam Porticus templo adiacens; iis ſimilis, quæ Romæ hodienum ante pleraſque ſacras Baſilicas cernuntur. Navis ſeu Narthex illa pars eſt, quæ a Templi foribus expanſa erat ad altiorem locum, quem veteres ambonem vocabant: in hanc vero partem a foribus tranſibant Pœnitentes qui *Audientes* tunc dicebantur. Poſt Audientes accurrebant *Proſtrati*, ii nempe, quibus ad emundationem criminum in ſynaxibus manus imponebantur, quique ante offertorium edicente Diacono: *Sancta Sanctis*, cum energumenis, & Catechumenis e templi limine pellebantur. *Proſtratos* proxime præcedebant *Conſiſtentes*, ſeu Pœnitentes, qui donati abſolutione, ad Sacrificium quidem, non vero ad participationem Euchariſtiæ admittebantur. Tandem immediate ſanctuarium verſus poſt Conſiſtentes ſuam ſtationem habebant Fideles ſeu *participantes*.

Mulieres in Eccleſiis antiquitus ſeparatæ erant a viris.

Ex monumentis Antiquorum habemus, viros a mulieribus, cum Sacri cœtus fierent, in Eccleſiæ Navi ab invicem ſeparatos fuiſſe: aliquot nimirum cubitis a primis Eccleſiæ foribus ad Ambonem uſque, tabulatus, ſeu murus aſſurgebat: Sic Philo Hebræus *de vita Contemplativa*, nec non Auctor Conſtitutionum, quæ adſcribuntur Clementi Papæ I. l. 2. cap. 57. ubi hanc ſeparationem deſcribit: Ex utraque parte ianua occurrebat, cuius præfectura ex parte, mulierum oſtiariæ Diaconiſſæ incumbebat; ex parte autem virorum ianuæ cuſtodia erat penes Clericos oſtiarios. Immo adeo mirabilis erat ordo, ut non ſolum pœnitentes a fidelibus eſſent diſtincti, ſed virgines quoque ac viduæ a nuptis, Monachi a cæteris. Virgines nempe ex parte mulierum ſtationem occupabant ſanctuario proximiorem, ſicuti ex viris Monachi, cum nondum ipſis conceſſum fuiſſet indultum, ut in privatis oratoriis ſoli ſacras ſynaxes agerent. Ut plurimum in Ambonibus erant portæ geminæ, ex quibus ad navim patebat aditus, reſpicientes ſanctuarium, & dicebantur *portæ Sanctæ*: Horum cuſtodia Subdiaconis credita erat: ut conſtat ex Concil. Laodiceno can. 22. in quo ſic habetur; *Miniſtrum non oportet Oraria, nec Oſtia delinquere* Sic ex P. Thomaſſino *in ſua Diſciplina*. Quarta demum Eccleſiæ pars dicebatur vel Sanctuarium, Tribunal, vel ſecretarium, vel ſancta Sanctorum, vel Presbyterium cancellis diviſum a reliqua Templi parte, ut habemus ex Concil. Chalcedonenſi actio: 1. & ex Euſebio l. 10. *Hiſtor. Eccleſiaſtic.* cap. 4. agente de Baſilica, quam Paulinus Epiſcopus Tyri conſecraverat.

In ſanctuarii meditullio Altare primarium ſub abſide, ſeu fornice eminebat; in eo Sacerdos facie ad populum converſa Sacra peragebat. Eodem ſitu Altaria præcipua in quinque Baſilicis Patriarchalibus etiam nunc videntur, nempe in Lateranenſi; S. Petri in Vaticano, S. Pauli in via Oſtienſi, S. Mariæ Maioris in exquiliis, & S. Laurentii in agro Vatano. Præter inter medium Altare duæ aliæ menſæ ad latera principalis collocatæ erant: in ea, quæ erat ad lævam,

rccon-

Digitized by Google

recondebantur vaſa ſacra cum ſuis velis, panis, & vinum pro conſecratione, & communione fidelium deſtinata; in altera vero, quæ erat ad dexteram, Epiſcopi, aut Sacerdotis Sacrificaturi ſacræ veſtes reponebantur. Earum autem menſarum acceſſu Subdiaconos prohibitos fuiſſe probat Cabaſutius ex can. 21. Concilii Laodiceni: ſed canon ille, notat P. Iuveninus in ſuo comment. Hiſtor. *de Sacram.* potius intelligendus eſt de Paſtophoriis, ut vocat Clemens in ſuis Conſtitutionibus, ſeu ut aiunt Latini de Sacriſtiis in Sanctuarii frontibus poſitis; Prior quarum erat locus Sacrorum vaſorum, & veſtium, quæ ad Sacrificium adhibebantur, in poſteriore vero recondebantur Sacri libri. In interiori Sanctuarii circuitu erant ſubſellia Clericorum, & Presbyterorum, pro cuiuſque gradu & dignitate. Epiſcopalis in medio ſeu intimo Sanctuario emyrido altior eminebat. Ex ea tamen Cathedra, quæ inſerviebat pro celebrandis divinis officiis non habebat Epiſcopus ſermonem ad populum, ſed mobilem parabant excelſiorem gradum Altaris contra Ambonem, & Navim, ideſt coram populo. Hoc colligitur ex Gregorio Nazianzeno oratione 150. ubi ait, Sanctuarii Cancellos vim paſſos fuiſſe dum concionaretur.

§. V.

De Oratoris privatis.

Certum eſt, ab ipſis Apoſtolorum temporibus, ut paulo ante dicebam, fuiſſe loca ſpecialiter deſignata celebrandis Miſſarum ſolemniis, ut non obſcure indicat Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 11. ubi deſcribit ritum ſumendæ Euchariſtiæ, & conventum populi ad celebrandum ram Sanctum myſterium: *Convenientibus* (ait) *vobis in Eccleſiam iam audio ſciſſuras eſſe inter vos*: & paucis interiectis. *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Hic *Eccleſiam* accipi pro loco, ubi congregabantur fideles ad ſacra myſteria celebranda, & hanc ibidem privatis domibus apponi, non obſcure indicatur, & ita illum exponunt S. Baſilius *in regulis brevioribus* interroga: 301. & S. Auguſtinus q. 57. in Leviticum & alii. Unde in eumdem locum conveniebant Fideles, ut in unam quaſi Eccleſiam coadunati; & qui ſe ab hoc publico deputato conventu ſeparabant, unitatem Eccleſiæ ſcindere cenſebantur. Hinc olim vetitum fuit, præcipue a Synodo Gangrenſi can. 6. & a Synodo Laodicena can. 58. extra publicum conventum ad Miſſam convenire. Sic enim habetur in cit. Canone Laodiceno: *quod non oportet in domibus fieri oblationes ab Epiſcopo, vel Presbytero.* Et hoc ſtatuit etiam Imperator Iuſtinianus ſeculo 6. in ſuis Conſtitutionibus Novellis, & ſignanter Novella 58.

Cum vero ſenſim labentibus ſæculis continuo excreſceret Sacerdotum numerus, ac Miſsæ multiplicarentur, ditiores cœperunt habere Capellanos domeſticos, ut tamquam alteri famuli mercede conducti, pro eorum nutu, & commoditate in aliquo ſacello ſuis domibus propinquo celebrarent, male ferentes incommoda intereſſendi tali data hora Miſsæ parochiali cum reliquo vulgo, ibique per longiorem temporis moram in Miſsarum ſolemnibus, in quibus concio etiam habebatur, permanere. Quantum frequentes fuerint ii Sacellani domeſtici, & quam indigne habiti a ſuis dominis ſæculo 9. S. Agobardi Epiſcopi Lugdunenſis teſtimonium evincit, qui in tractatu *de privilegio, & iure Sacerdotii* cap. 11. ait: *increbuit conſuetudo impia, ut pene nullus inveniatur quantumlumcumque anhelans, & proficiens ad honorem, & gloriam temporalem, qui non domeſticum habeat Sacerdotem, non ut ei obediat, ſed a quo inceſſanter exigat licitum ſimul, & illicitam obedientiam, non ſolum in divinis officiis, ſed etiam in humanis: ita ut plerique inveniantur, qui aut ad menſam miniſtrant, aut ſacata vina miſceant, aut canes ducant, aut Caballos, quibus fœminæ ſedent regant, aut agellos provideant. Et quia tales, de quibus dicimus, bonos Sacerdotes in domibus ſuis habere non poſſunt (nam quis eſſet bonus Clericus, qui cum talibus hominibus deboneſtare nomen, & vitam ſuam ferret) non curant ommiſſo, quales Clerici illi ſint, quanta ignorantia cæci, quantis criminibus involuti. Ipſis ſufficit, ut miſſam qualitercumque eis celebrent, cuius auditione putant adimplere onus divini mandati, ſanctificandi dies feſtos. Unde derelinquunt frequenter publica officia, & prædicamenta.* Hic abuſus (ait Van-Eſpen) ſequentibus ſæculis eo magis crevit ex honorario Miſſarum, quod invaluit, & ex multitudine Sacerdotum ex illo honorario ſuſtentationem accipientium; Hinc Eccleſiarum Parochialium verbi Dei increvit neglectus, Sacrificii, & Sacerdotii contemptus, & vilipendium, ut ex hodierna experientia manifeſtiſſime conſtat.

Præter privata Oratoria inductus fuit etiam

Cum privatis o.

ſetoriis indulta ſunt quoque Altaria portatilia.

iam uſus Altarium portatilium, quod privilegium frequentius impetrari cœpit ab Apoſtolica Sede ſæculo 13. quod indultum factum fuit ab Honorio III. Fratribus Prædicatoribus, & minoribus, ut ubicumque cum Altari viatico celebrare poſſent. Huiuſcemodi porro privilegio a Regularibus, & ſæcularibus impetrato, vel apud S. Sedem, vel apud proprios Epiſcopos, Miſſa paſſim celebrabatur privatis in locis, & ſæpius parum dignitati, & reverentiæ Sacrificio convenientibus. Huic tanto incommodo occurre ſtuduit Concilium Tridentinum, mandans Epiſcopis, ut ea omnia prohibeantur, ideſt, *ut non patiantur in privatis domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum cultum dicata Oratoria, ab eiſdem Epiſcopis deſignanda & viſitanda, Sanctum Sacrificium a Sacerdotibus quibuſcumque celebrari .... Non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque*. Ex textu igitur Concil. Trident. clare evincitur privilegium indultum Prædicatoribus & Minoribus utendi Altari viatico, ſeu portatili, penitus ſublatum eſſe, ut poſt Barboſa *de poteſt. Epiſcopi* p. 2. alleg. 23. alioſve docet Fagnanus ad cap. *in his* §. *de privilegiis*. Poſſunt tamen Regulares per privilegium non revocatum a Tridentino, ut notat P. Cuniliatus, celebrare in Oratoriis, aliiſve locis honeſtis proprii Conventus; quandoquidem hæc loca non ſint domus ſæcularium, neque profana, de quibus loquitur laudatum Concilium in Decreto *de obſervandis, & vitandis in celebratione miſſarum*. Unde conſtat ex verbi Tridentini, mentem ſuam fuiſſe conſulere reverentiæ Sacrificii, ut Eccleſiæ etiam diſciplina exquirit, præcipiendo Epiſcopis, ut parce, nec niſi ex neceſſitate, graviſque de cauſſis talem conceſſionem indulgeant, ut monet etiam D. Carolus in ſuo Concilio Mediolanenſi; Ubi vult, dum ex neſſitate, gravibuſque de cauſſis hæc Oratoria conceduntur, ut Epiſcopi in his deſignandis, vel probandis, hæc ſervent; ideſt, non ſint in interiorum ædium partibus, in quibus domini, vel familia verſentur, ſed commodo, & honeſto loco, a cubiculis, tricliniis, & ab aula ſeparato, & ad templi formam, & regulam propius accedant: nec ita anguſta, ut qui Miſſam audierint, ad oſtium vel feneſtram ſtare cogantur, aut denique ſacris intereſſe, ubi promiſcue profanum aliquod exerceatur. Ulterius, ne populus per hæc Oratoria a Parochialis Eccleſiæ frequentatione nimium diſtrahatur. Hinc de ſtylo Romanæ Curiæ, & etiam hodierno Epiſcoporum eſt, addere huic indulto, quod hæc conceſſio fiat ſine præiudicio Parochialis, ut notat Barboſa *de offic. Epiſcopor.* p. 2. alleg. 23. & ſic cavetur in formulario Epiſcopali. De ſtylo ordinario in conceſſione Oratoriorum excipi ſolent præcipuæ per annum Feſtivitates, ut nimirum non liceat in illis ibidem celebrare, itaut non ſatisfiat præcepto Miſſam ibi audiendo; & id conformiter ad vetus Decretum Concilii Agatenſis apud Gratianum. Inſuper tali indulto ſtylo hodierno additur, ut alii, præterquam ſervitio perſonæ, cuius intuitu Oratorium conceditur, neceſſarii, ibidem Miſſam audientes, non ſatisfaciant præcepto in die feſto. Hactenus Van-Elpen.

§. VI.

De Altaribus ad ſacrificandum.

In quocumque loco celebretur, ſemper requiritur. Altare lapideum ab Epiſcopo conſecratum, quod proinde ad Sacrificandum ordinatur, & refertur. Quare cum Novatores reiiciant Sacrificium, Altaria quoque reſpuunt, & locum in quo ſuam celebrant cœnam, *menſam* appellant, contra Apoſtoli Doctrinam, qui Hebræorum 13. *Altare* vocat illud, in quo divinum offertur Sacrificium: *Habemus Altare* (ait Apoſt.) *de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt*. Et ſimilia habet 1. Corinth. 10. Nullus fere eſt, ut notat Tourneleius, veterum Scriptorum, qui Altaris, quod eſt in Eccleſia, non meminerit.

Unde nomen Altaris.

Altare hoc nomen in primis ſortitum eſt apud Antiquos ab altitudine ſecundum Lotter *de re beneficiaria* l. 1. q. 30. n. 4. Barboſa *de offici. & poteſt. Epiſco.* p. 2. alleg. 27. n. 20. & alios; in edificiis enim elevatis a terra ſacra ſuis diis Gentiles faciebant; a Latinis vero dicitur a forma, & ritu, quaſi alta res, alta ara; aut area, & deſcribitur quod ſit menſa, ſupra quam conficitur, & offertur Euchariſtiæ ſacrificium, & Sacramentum. Præ nomine vocata fuiſſe Altaria, ait Valafridus *de exord. Eccleſiæ, quia ibi incenſæ victimæ arderent, vel ab orationibus ſeu deprecationibus, quas Græci aras vocant*; vel ut Bleſenſis, quia in ipſis areſierent victimæ quæ ſuper ipſa cremabantur, ut ara dicatur Altare ab *arida*. Altare ſignificat Chriſtum: hinc in eminentiori parte Eccleſiæ erigitur, ut volunt cit. Valafri. Beda *lib. de tabernac.* Rupertus l. 5. *de divin. offic. cap.* 30. Quare antiqui-

tiquitus ad unitatem Chriſti ſignificandam unum tantummodo in Eccleſiis Altare erigebatur, ut colligitur ex SS. Patribus, & præcipue Ignatio Martyre Epiſt. *ad Philadelph.* Feria 5. in cæna Domini denudantur Altaria, ad ſignificandam Chriſti nuditatem in eius paſſione. In Eccleſia vero Ambroſiana expoliantur Fer. 6. in Paraſc. poſt lectionem paſſionis Domini. Et olim, ut meminit ordo Romanus expliabantur ad illa verba Paſſionis Domini: *Partiti ſunt veſtimenta mea;* & hoc fiebat a duobus diaconis, & ſuper Altare ita nudum conſumabatur Euchariſtia delata e capſula, vulgo dicta *ſepulcrum*, ubi die præcedenti fuerat repoſita. Inſuper mos eſt in Baſilica Vaticana, & apud PP. Dominicanos, ut ead. Fer. 5. laventur Altaria cum erba hyſopi; & apud Græcos hic ritus fit per Metropolitas prius aqua benedicta, & poſtea roſacea, ut habent eorum Euchologia. Hæc cæremonia ſignificat unctionem Magdalenæ facta Chriſto biduo quam pateretur. Vinum vero, & aqua, quo lavantur apud Latinos, ſignificat ſanguinem, & aquam, quæ exierunt e latere Chriſti. Primi qui, poſt Noe, a quo erectum fuit Altare vero Deo, excogitaverint Altaria, fuere Ægyptii, ut *Gemm. l. 1. de ritu Miſſæ cap.* 122.

De Altaribus veteris legis. In lege veteri Altaria alia fuere *terrea*, ut legimus in exodo alia *lapidea*, ut commemorant cum exodo alia Scripturæ loca: aliud *Æneum* 2. Paralipom. 4. hoc cremandæ hoſtiæ deſerviebat; Unde ædificatum de lignis ſetim tegebatur tabulis æneis, ne a flama læderetur; aliud *Aureum* Exodi 30. & hoc inſerviebat pro adolendo thymiamate, ſive pro holocauſtis ignem alebat. In lege vero nova aliquando pro temporum conditione lignea fuere & mobilia; aliquando lapidea, &

Altaria legis novæ. ſtabilia Prioribus Eccleſiæ ſæculis furente Gentilium Principum perſecutione contra Chriſtianos, cum fideles non haberent fixum locum pro eorum Conventibus ad celebrationem myſteriorum, ſed quærere deberent loca ſecretiora, ut ſe ſubtraherent Tyrannorum furori (unde aliquando celebrabant ſacrificium, aliaque divina officia vel in cænaculis privatarum domorum, vel in ſpeluncis, vel in cæmeteriis, ut antea iam diximus; unde hinc, & inde transferenda erant altaria quatenus opus erat) altaria erant lignea; & Romæ in S. Praxede adhuc ligneum Altare ſervatur, in quo dicitur S. Petrum celebraſſe. Sic ob talem reverentiam alia etiam Altaria lignea aliquo in loco ſervata fuere, & adhuc ſervantur, quamvis, cum in cæmeteriis Martyrum, ſeu in Criptis ad ſacra conveniebant, ſuper martyrum ſepulcra ſacrificium celebrarent. In his autem locis, quæ nunc dicuntur Catacumbæ, uti loca non facile obvia infidelibus, a quibus profanari poſſent, erexerunt Altaria etiam lapidea, & unum adhuc videtur vetuſtiſſimum in catacumbis, & aliud in Titulo Equitii, in quo S. Sylveſter rem ſacram faciebat.

Reddita tamen Eccleſiæ pace, univerſim erigi cæperunt Altaria, quidquid ſit de decreto, quod attribuitur S. Sylveſtro, vetante Altaria lignea, & præcipiente lapidea, quod decretum non invenitur: pro certo habetur hunc S. Pontificem unum Altare in Baſilica vaticana lapideum conſecraſſe. Et licet etiam multo poſt S. Silveſtrum plurima doceant Eccleſiarum monumenta, quod perduraverit praxis conſtruendi Altaria lignea, nihilominus generaliter erant in uſu Altaria lapidea, ut conſtat ex oratione S. Gregorii Niſſeni in baptiſmo Chriſti, & ex aliis monumentis l. 1. *rerum Liturgicarum* cap. 20. Cardin. Bona; atque iam ab anno 517. a Concilio Epaonenſi ſtatutum fuit, ut Altaria tantum lapidea chriſmatis unctione ſacrarentur. Altaria lapidea ut plurimum ſubter erant vacua, aut una tantum erat petra lata, & longa, poſita ſupra unam, aut plures columnas. Præter hanc latam menſam utebantur petra ſacra, quam vocabant *tabulam Altaris*, aut *viaticum*, ſolummodo tamen inter Latinos; quia orientales loco petræ utebantur quibuſdam panis itidem conſecratis, quos vocant *Antimentias*; & ſuper haice tobaleas, quarum uſus eſt vetuſtiſſimus, teſtatur optatus Millevitanus citatus a Card. Bona quod celebrant divinum myſterium. Altare etiam lapideum duplex erat; unum fixum, ſeu ſtabile & immobile, ut ſunt Altaria, quæ communiter reperiuntur in Eccleſiis; Alterum portatile, ſeu mobile, quod pro commoditate, aut neceſſitate Sacerdotis ſeu aliorum, de loco in locum transferri poteſt, & ex hoc cap. ultimo *de privilegiis* dicitur Altare viaticum pro viatorum commoditate ſeu itinerantium. Utrumque autem Altare debet eſſe lapideum cap. *Altaria de conſecrat.* diſt. 1. ex Concilio Agathen. cap. 6. Ara, autem lapidea debet habere tantam ſaltem latitudinem, ut in ea commode ſtare poſſit per calicis, & hoſtia conſecrata, ut communiter DD. Altare portatili hodie non amplius uti poſſunt Regulares quicumque, quamtumcumque olim privilegiati; immo neque Epiſcopi maioreſque Prælati, etiam eſſent Cardinales ex noviſſimo Decreto Clementis XI. 15. Decembris 1703. in quo expreſſe derogat omni-

Altare duplex, fixum, & portatile.

omnibus, privilegiis etiam clauſis in corpore iuris.

Altare debet eſſe conſecratum S. Chriſmate ab Epiſcopo.

Altare debet eſſe conſecratum ſacro Chriſmate ab Epiſcopo cap. *Altaria de Conſecrat.* diſt. 1. & in 3. Decretalium. Attamen cum hæc diſpoſitio circa miniſtrum conſecrationis Altaris ſit iuris Eccleſiaſtici, ſummus Pontifex ex plenitudine poteſtatis ſuæ concedere poteſt Abbati, & etiam ſimplici Sacerdoti facultatem conſecrandi Altaria. Quod Altare conſecratum eſſe debeat ratio ipſa ſuadet, ait P. Berti, quia non ſolum oportet ut ſacer ſit locus ſacrificii remotus, qualis eſt Eccleſia, ſed etiam proximus, in quo peragitur ipſummet Sacrificium.

Quomodo Altare conſecrationem amittat.

Altare ſive fixum ſive mobile execrari poteſt, ideſt conſecrationem amittere, ac non amplius aptum eſſe ad Sacrificium. Execratur autem fixum ſi motum fuerit a loco ſuo ſine baſi cap. *quod in dubiis de conſecrat.* Mobile vero, ſeu portatile, quod vulgo dicitur *petra ſacra* conſecrationem non amittit, etiamſi a ligno in quo incluſum eſt ſeparetur, niſi forte in ligno locus reliquiarum incluſus ſit. Nam in hoc caſu ſecundum plures Theologos conſecrationem amittit. Verum reliquiæ includi ſolent in ipſo lapide. Item utrumque Altare, ſive fixum, ſive portatile, conſecrationem amittit per enormem, ſeu notabilem effractionem, ut habetur in cit. cap. *Quod in dubiis.* Fractio autem cenſetur notabilis, ſi in nulla parte confractus lapis continere valeat repoſitum Calicem, & ſimul hoſtiam. Utrum autem ablato cornu, in quo ſignum Crucis unctione imprimi ſolet, altare execratum cenſeatur, affirmant alii probabilius, negant alii, unde ſtandum eſt Epiſcopi iudicio. Manet certe execratum, tametſi partes, quæ ſeparatæ non ſufficiant ad continendum calicem, & hoſtiam, calce aut alio modo coadunentur.

In Altari, in quo celebravit Epiſcopus nemini licet eodem die celebrare.

Advertendum. 1. hic occurrit, vetitum eſſe, cap. ult. *diſt. 2. de conſecratione* in Altare, in quo Epiſcopus celebravit, eodem die ob Epiſcopi reverentiam quis celebrare præſumet, niſi Epiſcopus licentiam ei concedat, vel neceſſitatis caſus urgeat. Iuveni: in opere alias cit. P. Berti, aliive, & præcipue S. Rituum ſcriptores, ut Gavantus &c. Immo in Altari maiori quatuor Baſilicarum Patriarchalium Romæ nemini licet celebrare, ne quidem Cardinalibus ſine Papæ diſpenſatione, quam petere ſolent, quoties hoc contingat.

Eſt ritus antiquiſſimus non celebrandi Miſſam in Altari in quo ſervatur SS. Sacramentum.

Advertendum 2. Iuxta cæremoniale Epiſcopor. l. 2. cap. 12. morem eſſe antiquiſſimum non celebrandi in Altari ubi aſſervatur SS. Sacramentum; idcirco tenendum eſſe in Altari altero a maiori, uti fit in Collegiatis præcipuis, & in Cathedralibus; qui ordo multo magis ſervandus eſt, quando in Altari expoſitum eſt; unde reprobantur ii, qui in eodem Altari celebrant; ubi etiam dicunt rerum harum ſcriptores, multo peius & indecens videri, tunc in eo Altari populum communicare.

Advertendum 3. quoad Altare portatile, ſeu petram ſacram, ita eſſe collocandam (ut iam ſemper in Altaribus, de quibus non conſtat eſſe conſecrata, adhibetur) iuxta monitum D. Caroli ſupra tabulam non conſecratam, ut tantiſper ipſi emineat, quo facilius celebrans cavere poſſit, ne calix ſive hoſtia reponatur extra locum conſecratum.

De reliquiis Sanctorum reponendis in Altari in eius conſecratione.

Num vero ad Altaris conſecrationem neceſſe ſit, quod in eo Sanctorum Reliquiæ recludantur, res eſt potius incerta. Multi Theologi contendunt, Altare conſecrari non poſſe ſine Reliquiis; conſecratumque, ſi ex eo illæ tollantur, vel fracto ſigillo loci ubi reconduntur, execrari, probare conantur ex cap. *adhæc de conſecratione* in quo ſic habetur. *Si Altare motum fuerit, aut lapis ille, qui ſigillum continet confractus, aut etiam diminuitur, debet denuo conſecrari*; tum ex can. 7. Concil. Nicæni II. ubi prohibetur, ne templa ſine ſacris Reliquiis conſecrentur; tum ex praxi Eccleſiæ, quæ orare ita ſolet in Introitu Miſſæ; *Oramus te Domine per merita ſanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt.* Alii vero, ut Suarez, Sotus cum aliquibus aliis, nolunt eſſentiale eſſe conſecrationi Altaris, quod reliquiæ in ipſo includantur; idcirco cenſent Altare conſecrationem non amittere, ſi ab eodem Reliquiæ extrahantur, cum non pauca ſine iiſdem reliquiis inveniantur conſecrata; ac ideo monent Rubricarum expoſitores, dictam orationem in tali caſu omittendam eſſe quod ſignum eſſe dicunt, neceſſarium, ideſt eſſentiale non eſſe ad Altaris conſecrationem reliquias ſanctorum in ipſo reponi, ac adductos canones non vigere. Verum non ita facile recedendum videtur a communi Eccleſiarum praxi, firmata a communiori Theologorum ſententia, nempe Altare ſine Reliquiis non eſſe conſecratum. Sollicíti igitur eſſe debent Parochi, dum poſſeſſionem Eccleſiæ ſuſcipiunt, & diligenter explorare, num Altaria integra ſint, cum experientia iam conſtet, non paucos Sacerdotes in hac parte ita negligenter ſe gerere, ut celebrare ſoleant etiam in Altaribus quæ ſunt confracta.

Anti-

Digitized by Google

Antiquitus ſignum erat adorationis ſacro Altari, ob ſacras reliquias in ipſis repoſitas, Altare circuire, ut habetur in vita S. Fulgentii, & in act. S. Othon. Hinc Altaria remota erant a muro ut videtur hodienum in omnibus antiquis Eccleſiis, & talem morem ſervant Græci antiquorum Rituum tenaciſſimi, qui magnam habent reverentiam erga Altare; ita ut licitum non ſit Laicis ad ipſum accedere. Hinc iure merito Balſamon arguit Latinos, apud quos Laicis non ſolum, ſed etiam feminis conceditur ad illud accedere. Quantum plus vero obſtupuiſſet, ſi videre ei contigiſſet petulantiam mulierum noſtrorum temporum, quæ non verentur ſedere, blaterare prope Sacerdotem ſacra facientem, ubi contremiſcunt Cœleſtes ſpiritus.

Ritus valde elegans apud antiquos in nocte Nativitatis Domini ſervabatur. Altare cooperiebant tribus velis, uno nigro ſignificante tempus ante legem, & tollebatur ad primum Nocturnum; altero albo ſignante tempus legis, & removebatur ad finem ſecundi Nocturni, altero rubro figura legis novæ ſeu gratiæ, & levabatur poſt tertium Nocturnum: Ioan. Beleth in rat. *de divin. offic.* cap. 69. Ita fiebat etiam in Paſchate; & quia tunc unum tantum eſt officii Nocturnum, remotio velorum fiebat ad finem ſingulæ lectionis. In Hiſpania tempore Quadrageſimæ ducitur velum ante Altare maius, dum diebus ferialibus recitantur horæ canonicæ, & canitur Miſſa, quod tamen retrahitur ad elevationem Hoſtiæ, & Calicis, & dum canitur Evangelium, & dicitur ultima oratio ſuper populum; prorſuſque tollitur Fer. 4. maioris hebdomadæ, dum cantantur in Paſſione illa verba: *velum templi ſciſſum eſt*.

In Eccleſiaſticis Conſtitutionibus præfixus non eſt numerus Altarium, quidquid dicat Molinæus l. 2. *controv.* cap. 17. contendens unum tantum Altare extare debere in ſingulis Eccleſiis cum ex Apoſtolica Traditione, tum ex SS. Patribus, præcipue Hieronymo in cap. 62. Oſeæ verſ. 13. Etenim nunc quando in ſtatu feliciori eſt Eccleſia ac amplior Sacerdotum copia, extare debet Altarium multitudo. Et cum hoc ſpectet ad diſciplinam, ſecundum temporum locorumquæ conditionem variari poteſt. Et revera S. Gregorius M. l. 5. Epiſt. 43. ad Palladium 13. Altaria eiuſdem Eccleſiæ ſuo tempore commemorat. S. vero Hieronymus cit. loco nomine *Altaris* intelligit fidem, & Chriſtianam communionem, quæ phraſis uſitata habetur etiam in SS. Cypriano, & Auguſtino.

In Eccleſiaſticis Conſtitutionibus non eſt præfixus numerus Altarium.

De ornamentis, quæ requiruntur in Altari.

Altari conſtructo & conſecrato ut in ipſo rite celebrari queat, quædam ex Eccleſiæ præſcripto requiruntur ornamenta; ſcilicet Crux exculpta, in qua imago Chriſti pendeat, pallæ, & toballeæ, lumen, pulvinar. Crux requiritur cum Chriſti imagine ante oculos poſita, ut facilius in nobis Chriſti, eiuſque paſſionis memoria excitetur, ac adoretur ſignum redemptionis noſtræ. Sic tradit Amalarius lib. 1. *de Eccleſiaſt. offic.* cap. 14. aliique omnes, qui de ſacris myſteriis pertractant. Crux in Altari ponenda eſt, etiamſi in eo expoſitum eſſet SS. Sacramentum, ut decrevit S. R. C. die 14. Maii 1707. e contra neceſſe non eſt ut ponatur alia Crux (quidquid in contrarium ſcripſerint alii cæremoniarum præceptores) quando adeſt in Altari magna ſtatua Crucifixi, ut declaravit S. R. C. 16. Iunii an. 1663. Sic Habertus & P. Berti. Omitteretur tamen Crux ſine gravi peccato, immo ſine ullo, quando commode haberi non poſſet. Requiritur ut menſa Altaris habeat ſuper ſe tres mappas extenſas; & una ſaltem debet eſſe auctoritate Epiſcopi benedicta, altera poteſt duplicari, ac pro duabus reputari: & hæ tres toballeæ poni ſolent ſuper Altaris menſam ex vetuſtiſſimo ritu, ut ex Optato Millevitano l. 6. num. 2. & infertur ex cap. *ſi per negligent. de conſecrat.* Concors eſt Theologorum ſententia, quod graviter peccaret Sacerdos, qui ſine mappa, ſeu toballea celebraſſet; nonnulli tamen excuſant a mortali, ſi ſine mappa benedicta celebraret, nec aliam habere poſſet. Lumen pariter requiritur, cum hoc præcipiatur cap. ultimo *de celebr. Miſſarum*; & ſecundum communem Theologorum hoc præceptum obligat ſub mortali, & Rubricæ Miſſalis duas requirunt candelas; verum in neceſſitate una ſufficit. Candelæ debent eſſe ex cera, non ex ſebo, aut alia viliori materia. Neque pro candelis licet adhibere lucernas ex oleo. Meminit Gavantus cuiuſdam decreti S. R. C., quo ſtatuitur, ut in Miſſis privatis etiam Vicariorum Generalium, pluſquam duo cerei ardeant, ut conſulatur modeſtiæ celebrantis. Monet quoque Concil. Trident. ne certus numerus candelarum ex ſuperſtitioſo cultu adhibeatur. Pulvinar tandem, ſeu Lectorinum requiritur ad deponendum Miſſale. Habertus.

§. VII.

§. VII.

De Miſſæ Cæremoniis.

Novatores etiam in ſacris Miſſæ cæremoniis, quibus Eccleſia Catholica utitur in hac divina actione, invenerunt quod calumniarentur, unde alte has exprobant, ut hominum ſupervacaneum, ac ſuperſtitioſum inventum, eo quod nullum de his habeatur in Scripturis fundamentum. Hæc tamen illorum calumnia ſoluta manet ex iis, quæ iam dicta ſunt de ſacra cæremoniarum natura, rectitudine, utilitate, effectu in conficiendis Sacramentis, cum de his generatim ageremus. Nihilominus, prout hic quoque reccurrit occaſio, eorum errores diluentur.

Ex Novatoribus alii, ut Calvinus, cæremonias omnes Miſſæ reiiciunt l. 4. inſtit. cap. 17. §. 43. Agnoſcit quidem Calvinus haſce cæremonias antiquiſſimas, & non longe ab Apoſtolorum ætate cœpiſſe; verum eas *rubiginem cœnæ Domini* audacter appellat, atque natas eſſe ex procacitate humanæ confidentiæ; quæ ſe continere nequit, quin in Dei myſteriis ludat, & laſciviet. Lutherani, qui Chriſtum in Euchariſtia realiter præſentem agnoſcunt, non ita videntur abhorrere a cæremoniis, quarum aliquas retinent, aliquas reiiciunt, inculpantque. Kemnitius pariter alias agnoſcit ex Scriptura præcipi, & has vocat ſubſtantiales, ut accipere panem, benedicere, manducare; alias licet non præceptas in Scriptura, nec neceſſarias, bonas tamen, & pias eſſe dicit, ſi ad ædificationem exerceantur, ut pſalmi, lectiones, preces, fidei confeſſio per ſymboli recitationem; alias vero damnat vel ut ſuperſtitioſas, ut invocare Sanctos, offerre pro defunctis; alias ut indifferentes ſicuti veſtes, vaſa, ornamenta, & cætera quæ verbo Dei non repugnant. Quæ ſunt primi generis docet eſſe omnino ſervandas; tertii ordinis prorſus abrogandas; ſecundi & quarti retinendas, ſed cum libertate, & ut minime neceſſarias. Verum quantum aberret a vero Kemnitius, patet ex doctrina Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 5. ubi habetur, cæremonias, quibus utitur Eccleſia, *ex Apoſtolica doctrina, & Traditione deſcendere*; nec aliam ſpiritualem virtutem in his agnoſcunt Fideles, quam quæ ex conſecratione, & precibus Eccleſiæ a Deo impetratur; & id factum eſt, *ut mentes fidelium*, ait cit. loco Tridentinum *per hæc viſibilia Religionis, ac pietatis ſigna (tamquam quædam adiumenta) ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitentur*; & ad hunc totum finem his utitur Eccleſia; nec alias ut in his reponat Dei cultum; ideoque nihil in his eſt ſuperſtitioſi, ut impie calumniantur. Et licet Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 13. vetet, ne quis miniſter pro libitu ſuo ritus illos omittat, aut ne per quemcumque Eccleſiæ Paſtorem immutentur, non adimit tamen Eccleſiæ poteſtatem, ritus aliquos, ſi expedire iudicaverit, immutandi, neque omnis negligentia eſt apud Eccleſiam mortale, ſed contemptus, aut notabilis negligentia in rebus gravioribus; excuſat enim etiam in his a mortali levitas materiæ.

Diviſio Cæremoniarum.

In duas Claſſes generatim diſtinguuntur ſacræ ceremoniæ Sacrificii Miſſæ, in illas nempe quæ præcedunt, & in illas, quæ comitantur Miſſæ Sacrificium. Quæ Miſſam præcedunt, quædam ſumuntur a perſona, ut veſtes ſacræ; aliæ a loco, ut templa, altaria, de quibus iam egimus; ſacra vaſa, calix, patena, & iſtæ conſiſtunt in rebus; aliæ conſiſtunt in actione, & adhibentur inter ſacrificandum, & ex Bellarmino ad quinque capita reducuntur; aliæ enim referuntur ad Deum, ut elevatio manuum, oculorum, adoratio per inclinationes totius corporis, aut per genuumflexionem; aliæ ad Sacrificium, ut elevatio, oſtenſio, fractio, commixtio; aliæ ad miniſtrum celebrantem, ut tunſio pectoris, lotio manuum; aliæ ad populum, ut ſalutatio, dimiſſio; aliæ tandem ad ea quæ in Miſſa leguntur, ut Gloria in excelſis quæ dicitur Angelorum Hymnus, Symbolus ſeu profeſſio fidei, Epiſtola, Evangelium, Præfatio &c. Præter illas autem nonnullæ ſunt aliis rebus communes, ut ſignum Crucis, aſperſio aquæ, thurificatio, oſculum &c.

§. VIII.

De cæremoniis quæ Miſſam præcedunt.

De veſtibus quibus uſi ſint in Miſſæ celebratione Apoſtoli & primævi Paſtores.

Dum Chriſtus Dominus in ultima cœna S. Euchariſtiam inſtituit non alia plane uſus eſt veſte, niſi ea ordinaria, qua erat indutus, nempe communi, & vulgari; & ſecundum Tourneleium cum aliis, primi quoque Eccleſiæ Paſtores quando furente perſecutione metu latentes in Cryptis, ac locis ſubterraneis ibi ſacra faciebant, non aliis tunc uſi ſunt veſtibus, quam iis, quibus cæteri pro uſu induebatur. Cardinalis tamen Bona in ſuo opere *de rebus Liturgicis* habet pro valde veriſimile, quod licet Apoſtoli uteretur in celebratione veſtibus iiſ-

iiſdem quoad formam, quæ erant in communi uſu; non tamen iiſdem uterentur, quos ordinarie extra ſacra Myſteria deferebant, ſed aliis diſtinctis ob reverentiam tanti myſterii. Non eſt credibile, quod cedere voluerint in decentia miniſterio Nationis Hebreæ, a qua proficiebant, quæ ſicuti nemo ignorat, utebatur in ſacris ſunctionibus veſtibus ab ordinariis diverſis. Huc, inquit cit. Cardinal: Bona, pertinet penula a Paulo relicta Troade, huc lamina, ſeu Mitra Epiſcopalis, quam geſtaſſe Ioannem Evangeliſtam Polycrates Epheſi Epiſcopus auctor eſt apud Euſebium l. 3. *Hiſt.* cap. 31. Hinc infulæ, quarum meminit Tertullianus l. *de Monogamia* cap. 12. Et equidem apud omnes gentes ſemper fuit in uſu ut ſplendida veſte ſua Sacrificia peragerent.

Certum eſt quarto ſæculo extitiſſe veſtes pro Sacrificio.

Quidquid tamen ſit de Apoſtolorum ætate, & de tempore perſecutionum, quorum nulla certa habentur monumenta eſt tamen certo certius, quarto ſæculo Sacerdotes ubique Gentium aliis a communibus uſos fuiſſe veſtibus dum Sacrificium incruentum offerrent: *veſtibus lineis* (ait S. P. Hieronymus in cap. 44. Ezechielis) *utuntur Ægyptii Sacerdotes non ſolum intrinſecus, ſed etiam extrinſecus*. Sed non ſolum Ægypto aſſerit S. Pater fuiſſe hoc peculiare: *Porro Religio divina alium habitum habet in miniſterio, alterum in uſu, vitaque communi*. Et Chryſoſtomus deſcribit initio Liturgiæ orationes a Græcis Sacerdotibus recitandas dum induunt ſacras veſtes.

Indumenta Sacrificii recenſentur.

Indumenta quibus tum Epiſcopi, tum Sacerdotes Latini utuntur cum ad celebrandum accedunt, ſunt *Amictus*, *Alba*, *Cingulum*, *Manipulus*, *Stola*, olim *orarium Planeta* ſeu *Capſula*, quarum ſignificationes morales indicant preces, quæ in ſingulis induendis recitandæ ordinantur. Qui ſæculo 8. & 9. ſcripſere de divini officils, ſigillatim haſce veſtes recenſent, & præcipue Amalarius l. 2. de *Eccleſiaſt. offic.* Alcuinus *de veſtibus ſacris*, Rabanus.

Quid ſignificet Amictus.

Amictus eſt veluti Galea ſpiritualis, ut ſignificet ſpem, & firmam Sacerdotis in Deum fiduciam. Amictus ſæculo 12. Sacerdotes collum obducebant, quod tunc temporis nudum geſtabant, caputque tegebant, dimittebantque in os capſulæ, ut nunc in uſu eſt apud Monachos, alioſve Regulares: Id tamen non apud omnes erat receptum. Illicitum eſſet celebrare capite tecto amictu; quia, ut nititur demonſtrare Ioannes de Tour, ex præcepto Apoſtolico nuſquam licuit in Eccleſia orare capite cooperto; ac ideo multo minus celebrare: morem tamen dicunt eſſe Pariſiis, ſicuti in Polonia, hiberno tempore rigente ſrigore ſacrum fieri capite amictu tecto. Nemini tamen ex S. R. C. 3. Auguſti 1652. licet celebrare cum ficta cæſarie vulgo *parucca*.

Quid ſignificet Alba.

Alba, quam Sacerdos induit, eſt alterum veſtimentum, quod ad celebrandum præſcribitur, ut notat Rabanus Maurus l. 1. cap. 16. ac S. Gregorius Nazianzenus orat. 3. quam habuit poſt ſuum e fuga redditum. Alba vocatur a Scriptoribus Eccleſiaſticis etiam camiſia, veſtis talaris linea, Dalmatica: huiuſce mentionem fecere Concil. Carthagin. celebratum an. 398. cap. 41. S. P. Hieronym. adverſus Pelagianos, Gregorius, & alii: hac veſte deſignatur perfecta munditiss, ſeu vitæ innocentia, ornamenta virtutum, bonorum operum perſeverantia.

Quid cingulum figuret.

Cingulum, quod & baltheum, ac zonam appellant, indicium eſt caſtitatis ut docet Innoc. III. l. 1. de *Myſter. Miſſ.* cap. 15. Rabanus l. 1. *inſtitut. Cler.* cap. 13. Cingulo Alba conſtringenda renibus coaptatur. Congruentius eſt uti cingulo lineo, quam ſerico, ut S. R. C. 22. Iannuar. 1701. & hoc indicat oratio, quam ex praxi Eccleſiæ recitat Sacerdos, dum cingulo ſe adſtringit.

Quid ſignificet Manipulus.

Manipulus in ſua prima origine mappula dicebatur, ſeu ſudarium, quo ſudor frontis, oculorum lacrimæ, narium ſordes tergebantur, & myſtica ſignificatione denotat pœnitentiam, & ſecundum D. Bonaventuram, patientiam, atque humilitatem, quibus tamquam clypeo munimur ad ſpirituale certamen, & ideo ponitur in ſiniſtra, quæ ſignificat vitam præſentem tranſitoriam.

Quid Stola ſeu orarium ſignificet.

Stola, ſeu orarium, quod iam idem eſt, apud Latinos erat linteolum quoddam circa collum appoſitum, ex utraque parte defluens, quo narium pituita excipi ſolebat: orarium autem derivatur, vel ab ore, cui mundando tamquam ſudarium inſerviebat, vel ab oratore. Orarium (ait Alcuinus l. *de divinis officiis*) ideſt ſtola dicitur eo, quod Oratoribus, ideſt Prædicatoribus concedatur; vel ab ora ſeu veſtis extremitate, cum veſtis ſcilicet in medio eſſet aperta extremitates orarium, ſeu Stola dicebantur. Stola vero aliquando ſumitur etiam pro veſte oblonga ſeu talari, ſine qua Clerici procedere non debet. Cap. *Nullam*. Hic autem accipitur pro veſte, ſeu ornamento ſacro, in quod converſum eſt orarium, quod prius adhibebatur, & contrahitur ad modum inſtitæ ſeu ſaſciæ. Stola eſt veſtimentum proprium Sacerdotum tantummodo, & Diaconorum, & nunc hoc ornamentum factum

ctum

ctum eſt tantæ dignitatis, ut ſignum ſit eccleſiaſticæ iuriſdictionis, & honoris, quo premuntur humeri Paſtorum Eccleſiarum: S. enim Antoninus, & Iuriſconſulti dicunt, ſtolam deferri in ſignum iuriſdictionis, ideoque Summum Pontificem Univerſalis Eccleſiæ Paſtorem ſemper procedere ſtola ornatum. Stephanus vero Eduenſis, Durandus, aliique plures ab eo laudati l. 2. *de Ritib. Eccle. Cathol.* cap. 9. docent, ſtola collo ſuperpoſita demonſtrari miniſterium prædicationis. Stola ſymbolum eſt innocentiæ, ſeu iuſtitiæ & immortalitatis, quam amiſimus in Adæ prævaricatione, per iugum Chriſti reparandæ. Graviter reprehendit quidam ſcriptor noſtrorum temporum Sacerdotes, illos, qui contra rubricarum præſcriptum, proiiciunt ſtolam ſuper humeros longe a collo, circa quod collocanda eſt, utpote quæ ſignificet funem, quo Chriſtus in ſua paſſione ligatus fuit, dum ad Sacrificium Crucis ducebatur. Et ita deferendam iuſſit olim Concilium Bracarenſe, ut monet Innoc. III. ſub pœna anathematis, ac proinde ſub gravi, l. 1. *de myſter. Miſſæ* cap. 45. Ex decreto Concil. Bracarenſis in canonem relatum cap. 9. diſt. 21. Sacerdos ſub pœna anathematis, dum accedit ad S. Communionem fer. 5. in cœna Domini, vel quando ei defectur in infirmitate, habere ſtolam ad collum appenſam. Prædicatores Romæ ſtola non utuntur in reverentiam Summi Pontificis, qui ſemper eam defert.

Quid ſignificet Capſula. Sextum, & poſtremum Sacerdotis indumentum ad divinum Sacrificium celebrandum eſt capſula, quæ dicitur græce Planeta. Capſula (ait Alcuinus *de divinis officiis* cap. *quid ſignificent veſtimenta*) quæ ſuper omnia indumenta ponitur, ſignificat charitatem, quæ virtutes alias excellit. *Capſula ideo dicta* ait Iſidorus l. 19. *cap.* 24. *veſtis cucullata quaſi minor caſa, eo quod totum hominem tegat; unde cuculla quaſi minor cella* Quando vero Scriptores dixere caſulam derivari a caſa; quia ut caſa totum hominem tegit, locuti ſunt ſecundum veterem caſularum formam, quæ totum revera Sacerdotem a collo ad pedes ambibant, atque adeo brachia ipſa & manus tegebant; unde quando accedebant ad ſacra facienda, ſive ad alios uſus, neceſſe habebant caſulam ad utrumque latus erigere, aut fibula cohibere debebant, ut obſervat etiam Rupert. l. 1. *de div. offic.* cap. 22. Quapropter quando Sacerdos, vel incenſum adhibebat, vel hoſtiam ſurſum levabat, miniſtri caſulam ſublevabant, cuius quidem miniſterii adhuc veſtigium remanet; ut honoris cauſſa, ac reverentia, ubi hoſtia conſecrata a Sacerdote elevatur, miniſter celebrantis caſulam complicet, aut extollat; ita quod olim factum fuit ex neceſſitate, nunc pura eſt cæremonia. Quidquid vero ſit circa id quod narrat Pater Tomaſſini in ſua Hiſt. Eccle. Diſcipl. Caſulam Dalmaticam in uſu fuiſſe antiquitus etiam apud Laicos, utpote veſtis ordinata ad declinanda phariæ incommoda; certum tamen eſt, inter ſacras veſtes, & Sacerdotis ornamenta numeratam fuiſſe, ut habetur ex Concil. Toletano IV. an. 633. Caſula, ut antea diximus cum Rabano, ſymbolum eſt charitatis, & Stephanus Eduenſis l. *de Sacram. Altar.* cap. 10 ait: *Caſula undique integra unitatem fidei deſignat; charitatem deſignant verba Epiſcopi in ordinatione Sacerdotis; Accipe* (inquit) *veſtem ſacerdotalem, per quam Charitas intelligitur*, & idem ſignificant verba Sacerdotis ipſam caſulam induentis; *Domine qui dixiſti* &c. Alii vero volunt ſignificare quoque veſtem Chriſti inconſutilem.

Caſulam, quæ ut diximus, olim ſuper brachia complicabatur, Latini ut facilius ſacris operarentur cœperunt paulatim ad latera ſcindere, & decurtare, ut advertit Card. Bona l. 1. *cap.* 4. *Rerum Liturgicar.* ſed tantum ſcinderunt & decurtarunt Caſulam, ut non ſolum nihil fere nunc antiquam ſuam formam repræſentet, ſed redacta eſt quædam veſtiola vel parvulum ſcapulare.

§. IX.

De veſtibus Diaconorum ſtola ſcilicet, & Dalmatica.

De indumentis Diacon. Quia ad Miſſæ celebrationem, præcipue ſolemnis, & publicæ ſint miniſtri ad hoc ordinati & ſtatuti, hinc de horum quoque veſtibus agendum hic cenſui, dum in Altaris miniſterio celebranti inſervire debent.

Diaconus præter amictum, albam, cingulum, manipulum utitur etiam ſtola, ſeu orario, & Dalmatica. Stola ſeu orarium, iam antea deſcripſimus quid olim fuerit, & nunc ſit, quidve ſignificet: hinc ſolum de iſta remanet hic notandum, quod ut Diaconus a Sacerdote diſtingueretur uſus invaluit, ut eam non geſtaret circa collum, ſicuti Sacerdotes, ſed in ſiniſtro humero poneret, & lævum circa femur eam in modum crucis accommodandn cingulo firmaret; quamvis in nonnullis locis, præſertim in Gallia, mos inolevit, ut circa collum illam diaconi ſibi aptarent, ut obſervat eruditus P. Le-Brun, utraque extremitate, ſicuti Epiſcopi &

& Sacerdotes quando ſine Aba ea utuntur hinc, & inde defluente. Varius itaque fuit Eccleſiarum uſus circa modum, quo ſtolam Diaconi deferrent; nam olim aliquando ſupra tunicam, aliquando ſubtus collocabatur. Concil. Bracaren. II. an. 583. cap. 9. vult, ut ſupra, non infra tunicam eam ponant, quia ſic latet, nec ullum apparet diſcrimen inter Diaconum, & Subdiaconum. Verum cum ſtola ſupra tunicam hinc, & inde moveretur, ac inſtabilis foret, invaluit praxis, ut infra poneretur, utraque parte ſimul alligata, ne foret amplius incommodo ad agendum ſeu miniſtrandum.

Præter ſtolam utitur Diaconus etiam Dalmatica, ut ex Iſidoro l. 19. *orig.* cap. 22. qui dicit ita appellari, quia in Dalmatia primum reperta ſit; dalmaticam factam eſſe in modum crucis docet antiqua Miſſa, quam vulgavit Mattheus Illiricus, Robertus de Flamesbure Canonicus S. Victoris in Pœnitentiali. Quidquid tamen ſit, ut vult quidam ſcriptor Dalmaticam, Tunicam, & Caſulam in uſu fuiſſe etiam apud Laicos, quibus miniſtri quoque Eccleſiæ uſi ſunt, certum eſt, quod Eccleſia uſu, & deſtinatione fecit ſacra ex prophanis, & ſemper retinuit his etiam temporibus, quando apud Laicos in diſſuetudinem abierunt. Immo ita factæ ſunt propriæ ſacrorum miniſtrorum, ut ab aliis licite uſurpari nequeant: & ex Iſidoro ab ipſo 6. ſæculo Dalmatica pro ſacra veſte memoratur. Hinc Epiſcopus in ordinatione Diaconi eum Dalmatica induit his verbis: *induat te Dominus indumento ſalutis, & veſtimento lætitiæ*. Unde Dalmatica eſt ſpecialis ſacra veſtis quæ gaudii ſymbolum eſt, & lætitiæ.

De Tunicella Subdiaconi.

Subdiaconis pariter dum miniſtrant aſſignata eſt ſpecialis veſtis; nempe præter amictum, albam, cingulum, manipulum, tuniculam, ſeu tunicellam gerunt, ac ſolo privantur orario, in ſignum eorum diſcrimen, & diſtintionem a Diacono. Nonnullis in locis olim eis denegatus fuit uſus manipuli, de quo conquæritur Lanfrancus in Epiſt. ad Ioannem Archiepiſcopum Rothomagenſem. Tunica Subdiaconi tametſi nunc ſit eiuſdem latitudinis, ac dalmatica Diaconi, ſecundum tamen eius uſus inſtitutionem, debet eſſe anguſtior.

Veſtes præcipue Sacerdotales debent eſſe benedictæ.

Sacræ veſtes præcipue Sacerdotales affirmant communiter DD. quod debeant eſſe benedictæ ab Epiſcopo, & hoc ſaltem, inquiunt, ex univerſali conſuetudine in hac parte vim legis habente, quæ obligat ſub mortali, a quo tamen nonnulli excuſant, ſi ſolum cingulum amiſiſſet benedictionem. Benedictionem autem amittunt per eorum fractionem, & immutationem, ut priorem ſtatum, ac figuram non ſervent. Hinc non remanet benedictio ſi manica albæ diſſuatur, licet mox denuo conſuenda; ſi cingulum ita totaliter rumpatur, ut nulla pars ad erigendum ſufficiat. Dixi *totaliter*; nam ſi antequam facta eſſet partium diviſio, interſe connectentur, benedictione ſua non privarentur. Contra vero ſi hæ veſtes duplices ſint, ideſt ſi duplici parte anteriori, & exteriori conſtantes, ſingulæ partes etiam ſeparatæ benedictæ remanent; quia ſuam integram retinent formam. Idemque dicendum ſi pars interior ſit detrita, exterior vero integra, & viceverſa; ſola enim detrita execrata eſt. Sed obſervandum, haſce veſtes poſſe eſſe ita laceras, ut licet formam ſervent, ac exinde benedictionem non amittant, his tamen uti ſit illicitum.

Veſtes detritæ inſervire nequeunt uſibus profanis.

Veſtes detritæ converti nequeunt in uſus profanos, ſed comburendæ ſunt, vel ſepeliendæ. Vaſa vero vel argentea, vel aurea, igne tranſmutata poſſunt profanis uſibus inſervire; quia moraliter æedem non remanent cap. *Altaris* diſt. 1. *de conſecrat.*

Veſtes prophanæ forma mutata inſervire poſſunt ſacris uſibus.

Res profanæ, præſertim ſi earum mutetur forma, poſſunt Altaribus ſive uſibus ſacris inſervire; cum, ut advertit D. Auguſtinus, delubra Paganorum converſa ſint in Chriſtianorum templa.

Si forte deficiat aliqua veſtis ſacerdotalis, nec haberi poſſit, num Miſſa ſine illa ſit celebranda: videndum qualis ex una parte ſit defectus, & ex altera qualis celebrandi neceſſitas; quia in communi ſeu vulgari veſtitu certe non eſt celebrandum; quia in tali veſte nunquam celebrare licet, quod etiam eſt vetitum, ſi deſit Calix, Patena, vel Altare conſecratum, vel etiam Corporale. Secundo ſi magna ſit neceſſitas celebrandi, puta ſi populus frequens dimitti nequeat ſine ſcandalo, tunc celebrare licet ſine manipulo, aut cingulo; ſi vero tanta non ſit neceſſitas, v. g. Si Sacerdos nequeat ſatisfacere præcepto audiendæ Miſſæ, ex S. Antonino melius eſt non audire, quam indecenter celebrare. Monent communiter in caſu neceſſitatis licitum eſſe uti ſtola pro cingulo, manipulo pro ſtola.

In veſtibus induendis præſcriptæ ſunt pro ſingulis ſuæ preces, quas communiter docent DD. paucis repugnantibus, recitandas eſſe ex præcepto, nec omitti poſſe ſine mortali culpa; quia ita expreſſe preſcribunt Miſſalis regulæ. Levitas tamen materiæ, ideſt ſi una

ſi una vel altera non recitetur, excuſare poteſt a mortali, quidquid aliqui in contrarium dicant.

§. X.

De Vaſibus Sacris.

Antiquitus ſæviente perſecutione vaſa ſacra fuerunt lignea, vitrea, & etiam argentea

Calix eſt vas, quod creditur a Varrone in uſu fuiſſe apud veteres in potionibus calidis. Iſidorus cenſet ita dici a nomine *lignum*, cum vaſa olim fierent ex ligno. Quidquid tamen ſit de hoc nomine, certum eſt calices quibus nunc utimur ad Sacrificium, prioribus Eccleſiæ temporibus ligneos fuiſſe, vitreos, ſtanneos pro temporum conditione, ut habetur a viris eruditione celeberrimis, ſicuti ſunt Cardi. Bona l. 1. cap. 25. Boldeſius *de Cœmeteriis* l. 1. cap. 39. aliive. Non defuere tamen etiam ſæviente perſecutione calices pretioſiores, ex argento ſcilicet, & etiam auro. Nam in cœmeteriis Romanæ Urbis inventi ſunt calices argentei, & de vaſis pretioſis illorum temporum teſtatur etiam Optatus Milevitanus l. 1. *contra Parmenianum*. Calices per antiqui adhuc in monumentum antiquitatis ſervantur in Eccleſia SS. Coſmi, & Damiani foro Boario, & in Baſilica Lateranenſi. Triburicenſe Conc. celebratum ann. 895. cap. 18. ait Zephyrinum Romanum Pontificem ſtatuiſſe, ut miſſa celebraretur vaſibus vitreis; Urbanum autem I. Sacra vaſa feciſſe argentea. Idemque Concil. decrevit, ut calix cum patena ſi non ex auro, omnino ex argento fiat; ſi autem pauperrimus eſt locus ſaltem ſtanneum Calicem habeat: de ære, aut auricalco non fiat, quia ob vini virtutem facit æruginem, & vomitum provocat. Nullus denique in ligne, aut vitreo calice facere ſacrum præſumat. Sic in variis capitibus iuris Canonici præcipue cap. 44. *vaſa* & ſeq. Erant & Calices Miniſteriales ampliores, ac pleni vino, in quibus infundebat Archidiaconus paululum Sanguinis ad complementum communionis Laicorum. Hinc errant qui putant factam fuiſſe in huiuſcemodi Calicibus conſecrationem, atque oblationem, ut colligit Hincmarus ex quibuſdam verſibus, quos in uno ex his calicibus inſcribi iuſſit Remigius Remenſis Epiſcopus: & ita etiam tradit Dominicus Georgii in Liturgia Romani Pontificis l. 1. cap. 3. *de uſu calicis miniſterialis*. Priores Chriſtiani pingere ſeu efformare ſolebant in calicibus imaginem Paſtoris ovem deportantis, ut Sacerdotes dum ſacra peragerent, & fideles in hauriendo ex his divino Sanguine, Chriſti in homines charitatis recordarentur.

Conſecratio Calicis eſt de iure Eccleſiaſtico.

Conſecratio Calicis fit ſolo iure Eccleſiaſtico; hinc poteſt ſimplex Sacerdos ex Summi Pontificis diſpenſatione calicem conſecrare. Hanc diſpenſationem habent nonnulli Abbates, & Superiores Regularium. Obſervandum tamen, hanc diſpenſationem habere tantummodo conſecrandi Altaria, & Calices Oratoriorum ſui Ordinis.

Quod de Calice idem dicitur de patena.

Quod dictum eſt de Calice, intelligendum eſt, ac dicendum de patena, quæ antiquitus *diſcus* dicebatur; uterque quorum debet nunc eſſe ex auro, vel argento inaurato, Calix in cupa, & Patena deſuper ubi hoſtia reponitur. Patena non minus quam calix in uſu fuit omni ævo ad celebrandum, ut habetur ex Concil. Carthagin. 4. can. 5. In Eccleſia tum Orientali, tum Occidentali duæ ſaltem erant Patenæ, quia plures erant aliquando pro multitudine communicantium; una qua utebatur Sacerdos in celebratione, & dicebatur quotidiana, & altera grandior, in qua conſecrabatur panis communicandorum fidelium per miniſterium Diaconorum, & hæc vocabatur miniſterialis. Sic habetur ex Liturgiis illorum temporum, cui poſtea ſubſtituta fuit *Pyxis*, quæ hodienum eſt in uſu, in qua continuo pro eodem uſu, & infirmorum ſervatur in ſacris cuſtodiis divinum Sacramentum.

Quomodo vaſa ſacra execrentur.

Calix, & patena execratur per notabilem fractionem, ut ſi pes fixus ſeparetur a cupa, quod non eſt iudicandum de pede tornatili, quia eo ſeparato calix confractus non cenſetur. Item ſi interior cupa non ſit inaurata: quod ſi inaurationem deperdierint ex longo uſu, ut nihil auri remaneat, neuter ſuam amittit conſecrationem. Sicuti etiam non amittunt, eo quia ab aurifice tangantur, dummodo nulla facta ſit fractio, nec mutetur ſuperficies, ſive in uno, ſive in alia; & etiam in hypoteſi, quod aliquis indigne iiſdem uſus fuiſſet in menſa communi, quia nullo canone ſtatuitur in hiſce caſibus ea execrari.

Num vero ſi Sacerdos conſecraſſet, Altare, vel Calice non conſecrato, illa conſecrarentur per contactum Corporis, & Sanguinis Chriſti non conveniunt inter ſe Theologi. Affirmant enim alii ea per talem contactum conſecrari, alii vero negant propter legem, conſuetudinemque Eccleſiæ, quæ vult illa conſecrari ab Epiſcopo per Chriſmatis unctionem, quorumdamque verborum formam, non alias per ſolum contactum Corporis, & Sanguinis Chriſti. Alii vero di-

diſtinguunt inter Altare, & calicem, contenduntque Altare non manere conſecratum ex Sacrificio ſuper illud oblato, quia oppoſita ſententia nullo fulcitur iure, & auctoritate; Calicem vero conſecrari ex contactu Sanguinis Chriſti & firmant hoc auctoritate S. Auguſtini in pſal. 113. ubi ſic habet: *Inſtrumenta habemus . . . in uſu celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata Sancta dicuntur*. Hactenus ex Iuven. P. Berti, Haberto, & aliis.

§. XI.

De Corporalibus, aliiſque Sacris linteaminibus.

Corporale & palla debent eſſe contexta ex lino, & Epiſcopi auctoritate benedicta.

Linteamina ſacra vocantur communiter *corporale, palla, & purificatorium*, quæ ſpeciali quodam modo ſacra ſunt. Corporale appellatur etiam a Scriptoribus Eccleſiaſticis palla, ac pallium, quo Sacra munera conteguntur. Sed mos invaluit, ut palla dicatur parvum lineumque calicis operimentum. Et equidem Concil. Meldenſe apud Bruchardum l. 4. cap. 13. diſtinguit pallam a corporali. De corporali omnes interpretantur quod legitur apud Anaſtaſium in Sylveſtro, Sacrificium non in ſerico, aut panno tincto, ſed in lineo tantum faciendum eſſe. Unde corporale, & palla debent eſſe contexta ex lino ſolo, & auctoritate Epiſcopi benedicta cap. *Conſulto de Conſecrat. diſt.* 1. Satius eſt, & commodius ſi in eius extremitate nullum ſit ornamentum, ſed munditiesin primis eſt in eo ſervanda. Gravem immunditiem in corporalibus, & Calicibus vulgo DD. damnant peccati mortalis, ex Innocen. III. qui cap. *Præcipimus* munditiem in illis præcepit.

Corporalia, quibus Veteres utebantur, erant ampliora unde ipſis totum Altare tegebatur; quia antiquitus, ut iam diximus, plures erant Calices, & Patenæ obtegendæ ad copioſam materiæ conſecrationem pro communione Fidelium, quæ tunc temporis fiebat in Miſſa. Quocirca eam ampliori illo corporali exponi debet palla, non enim ſatisfuiſſent breviores noſtræ pallæ ut tot Calices, & Patenæ obtegerentur, quæ aliquando plures erant ob multitudinem communicantium Iuven. alias cit.

In Manticulo, quod *burſam* vocant, corporalem, & ſindonem, recondi ex veteri conſuetudine habemus. Super hanc deferri nequit a Sacerdote linteolus, quo manus terguntur ex decreto S. R. C. 1. Septem. 1073. Velo Calicem in anteriori parte poſt communionem cooperiendum eſſe, alio Decreto 1. Martii 1698. ſtatuit eadem S. R. C. Hildelbertus Cenomanenſis explicavit ſignificationem horum Sacrorum inſtrumentorum *de Myſteriis Miſſæ* Bibliotheca PP. p. 163.

Explicatio inſtrumentorum Sacrificii quoad eorum ſignificationem.

Nempe Altare ſignificare Crucem, Calicem ſepulcrum, Patenam lapidem, Corporale ſyndonem, qua Chriſti corpus obvolutum fuit in ſepulcro. De velo autem notandum, nomine veli aliquando intelligi periſtromata, quibus ornamenti cauſa templorum parietes exornantur; aliquando ſpecialem cortinam, quæ ſanctuarii foribus appenditur a Græcis, & ad iſtam ſpeciem vel referendæ ſunt orationes, quæ in Liturgiis Ambroſii, Baſilii, Chryſoſtomi, *Orationes velaminis* inſcribuntur: in iis nimirum orationibus Sacerdos gratias Deo reddit pro ſuo in ſanctuarium ingreſſu. Apud Latinos vero non aliud velum præter illud, quo Calix cooperiretur, quondam erat in uſu. In illis locis vero ubi Chorus erat in medio templi ante Altare erectus, velum expandebatur, quo ſanctuarium a Choro diviſum eſſet: idque nunc etiam (notat P. Iuveninus in ſuo Commentario alias cit.) obſervatur Biſuntii apud Sequanos, dum intra maiorem hebdomadam paſſio Chriſti ſolemniter decantatur.

Palla benedicenda eadem benedictione, ac corporale.

Palla qua ſacra nunc obteguntur Myſteria, cum ſit pars quædam corporalis, olim indiviſa, nunc autem ſeparata, benedicenda eſt pariter Epiſcopi auctoritate eadem benedictione qua corporale, & ut iam ſupra notavi, confici debet ex eadem materia, ſcilicet linea, ſaltem ex ea parte quæ tangit Calicem. Immo addit P. Ferrari in ſua *Bibliotheca morali &c.* quod nequidem a parte ſuperiore ſerico drapo cooperta eſſe poteſt ex S. R. C. 22. Iann. 1701.

De linteolo, ſeu purificatorio.

Linteolum quoque, quod dicitur purificatorium, adhibendum ad interiorem partem cupæ Calicis abſtergendam facta purificatione, debet eſſe ex lino, vel ſaltem ex tenui canabe contextum, ac auctoritate Epiſcopi benedictum. Incertum eſt num apud antiquos hoc linteolum fuerit in uſu. Iacobus Vicecomes Collegii Ambroſiani l. 7. *de Miſſæ apparatu* cap. 5. dicit ſe ignorare quid ſentire debeat de hoc linteolo; eo quia apud nullum veterem ſcriptorem eiuſdem mentio reperiatur. Et Card. Bona aſſerit, illud linteodum apud Græcos non eſſe in uſu. Addit inſuper, quoſdam Monachos latinos olim non alium purificatorium adhibuiſſe, quam linteolum in cuiuſque Altaris cornu appenſum, ubi etiam exigua piſcina iacebat,

Digitized by Google

bat, in quam altera Calicis ablutio proiiciebatur. Habert.

De perſonis, quæ tangere poſſunt Sacra vaſa.

Circa perſonas, quæ tangere poſſint Sacra vaſa, certum eſt, quod donec in ipſis continetur Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, nullus præter Sacerdotem, & Diaconum tangere ea poſſit ſine gravi peccato ex cap. *Non oportet* diſt. 23. Quando autem ſunt vacua, idemque dicito de corporali, palla, & purificatorio, nec a laico nec a fœminis, nec ab ipſis Sanctimonialibus etiam ea fas eſt contrectari. Cap. *etiam Sancta* diſt. 1. *de conſecrat.* & cap. *Sacratas* diſt. 23. Huius tamen præcepti tranſgreſſio, ſi abſit contemptus, eſt tantum venialis; immo nulla culpa, ſi adſit neceſſitas, & honeſta cauſſa. Nam cap. *Nemo de conſervat* ſtatuitur, ut corporalia, & purificatoria antequam dentur laicis, prius a Diacono laventur in pelvi ad id præparata. Olim concedebatur Acolythis contingere Calicem vacuum, ſed ſtandum eſt hodiernæ conſuetudini. Alia vero ornamenta, quæ non tangunt Corpus Chriſti, cum debita reverentia tangi poſſunt a laicis.

§. XII.

De Cereorum uſu in Miſſæ Sacrificio.

Eſto verum ſit, morem accendendi in divino Sacrificio ab ipſis Eccleſiæ incunabulis indutum fuiſſe etiam a neceſſitate, & utilitate locorum, ubi illis temporibus præcipue furente perſecutione Sacra celebrare cogebantur Chriſtiani latitantes ſcilicet in antris ſubterraneis, & obſcuris, unde illis prorſus neceſſe erat ut cereis, ac luminaribus uterentur ad fugandas tenebras; ſola tamen hæc neceſſitas, & finis non fuit præcipua illorum origo, ſed myſticus finis etiam, & ſymbolicus, ſicuti veterum tradunt monumenta; itaut talem uſum habeat, ferveatque Eccleſia ex ipſa Apoſtolica traditione, ut declaratum fuit a Concil. Trid. ſeſſ. 22. ait enim Eccleſiam cæremonias inſtituiſſe, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica doctrina, & traditione. Ex Apoſtolica igitur traditione luminaria cereorum adhibendi in S. Lyturgia uſus innolevit, nec ſecus ad uſum mere profanum, & communem, quem non curat Eccleſia, ſed ſacrum, & divinum (S. Iſidorus l. 7. origin. cap. 12. ait) ſed ad ſignum lætitiæ, ut nempe ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua dicitur in Evangelio Ioannis *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*; & eo vel maxime, quod non ſtatim naſcente Eccleſia, primo ſcilicet ſæculo ſtatim lævierint perſecutiones, ut in latebris cryptarum impellerentur primi fideles ſacra peragere, cum, ut vidimus, etiam illis prioribus temporibus templa haberent, ac proinde non cogebantur lumina ad effugandas tenebras accendere; ſed accendebant cum myſtico fine, & ſignificatione: & Concil. Carthag. 4. iuſſit, ut Acolythi in eorum ordinatione Ceroferarium ab Archidiacono recipiant. Quod ſi in divinis peragendis cereis accenſis uſa ſit Eccleſia, conſtat ex hoc igitur, quod ſemper in uſu fuerint etiam Candelabra in Altari, ſuper quibus cerei ponerentur. Duo autem genera Candelabrorum recenſentur in antiquis monumentis, alia quæ in Altari collocarentur, alia quibus Sacerdos a Sacrario ad aram, vel ab arà ad Sacrarium ſageſtumque, vel alio ſolemniter deduci ſolebat. Priora a maioribus noſtris dicta fuere candelabra, poſteriora Canchari ceroſtrati vocabantur.

§. XIII.

De Thure, ſeu incenſo.

Non ſecus ac luminaria, thuris ſeu incenſi uſus etiam primitus inductus fuit ab Eccleſia in Sacrorum celebratione propter ſuam myſticam moralemque ſignificationem (non ſecus, ut ſimpliciter purgaret fœtidum odorem, qui erumpebat ex locis ſubterraneis, ubi, ut ante ſæpe iam dixi, Chriſtiani perſecutionem fugientes ſacra peragebant; qui mos poſtea ex uſu iam inoleto retentus fuerit, ut iam conſuevit Eccleſia in aliis, quæ in ſuis officiis antea adhibuit, cum uſus thuris fuerit ſemper etiam apud Gentiles in officium Religionis, & cultus) & revera Deus ipſe Exodi 30. thuris compoſitionem præſcripſit expreſſe vetando, ne in alium quam in templi uſum huiuſcemodi thus uſurparetur. Uſus thuris, ſeu thurificationis perantiquus eſt in Eccleſia, ut probat Menander ad lib. Sacrament. S. Gregorii p. 195. Et de hoc habetur in 3. Canonum eorum, qui dicuntur Apoſtolici. Habet thus ſuam myſticam ſignificationem. Deo thus adoletur in ſignum ſupremi eius in res omnes dominii, cui latriæ cultus debetur. Thure & odore fumant Altaria in honorem Sacrificii quod ibi offertur. Thuris honores exhibentur Cruci, & Sanctorum immaginibus, qui honos præcipue ad archetypa refertur, & tendit. Exhibetur quoque Sancto Evangeliorum libro in ſignum venera-

ratio-

Digitized by Google

rationis, qua Verbum Dei proſequimur, & boni odoris, quem difundere tenentur Chriſtiani omnes pietate ſua, ac bonorum operum exemplo. Oblationes pariter Altaris ſuffito perfunduntur, ut conſecrentur, grata que fiant Deo, & acceptæ. Fidelibus tandem dum Sacris interſunt incenſum exhibetur, ut moneantur orationes ſuas ad Deum dirigere, & bonorum operum odorem quaſi thus acceptiſſimum circumquaque ſpargere ac diffundere, iuxta illud Pſal. 140. 2. *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.*

De debi u ſub mor, tali ob. ſervandi accurate cæremo. niat. Cæremoniæ vero ſive ad nos advenerint ex traditione Apoſtolica, ſive ab Eccleſia ſuprema qua pollet auctoritate a Chriſto Domino recepta inſtitutæ ſint, omnes profecto accurate obſervandæ ſunt, itaut etiam aliqua earum voluntaria omiſſio peccatum ſit, & quidem mortale, ſi talis omiſſio fiat in re gravi, niſi invincibilis ignorantia, aut inadvertentia excuſet, quia hoc ſecluſo eſt voluntaria præcepti violatio. Unde ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. Decreto *de obſervandis* &c. incumbit Sacerdotibus omnibus, ut nullos ritus præter approbatos, & frequenti, ac laudabili uſu ab Eccleſia receptos, adhibeant in Miſſarum celebratione. Et S. Pius V. in ſua Bulla, quæ habetur initio Miſſalis præcipit omnibus, & ſingulis in virtute S. obedientiæ, ut Miſſam celebrent iuxta ritum, & normam in dicto Miſſali traditam, ut quiſque in cit. Bulla videre poteſt: quæ autem materia gravis cenſeatur, non eſt ita facile definire. Hinc valde periculoſum eſt, ne quæ nobis videtur minoris momenti, oculis divinæ Maieſtatis graviſſima ſint, & quæ in cæteris rebus levia haberi poſſunt, ea ſint multo graviora collata cum auguſtiſſimo Miſſæ Sacrificio, cuius finis eſt ſupremus omnipotenti Deo cultus reddendus. Et equidem ſi dum tantillum aquæ cum vino admiſcere in Miſſa negligatur, DD. omnes reatum mortalis peccati definiunt huiuſcemodi omiſſionem; non ita facile inveniri poterit voluntaria omiſſio, vel immutatio alicuius ritus in divino Sacrificio, quæ levis ſit. Conveniunt DD. omnes gravem materiam eſſe omittere Epiſtolam, vel Evangelium, Præfationem, hoſtiæ fractionem; non vero Canticum Angelicum, Symbolum, unam, vel alteram collectam. Non ſunt tamen excuſabiles, qui truncant, ac deglutiunt magnam verborum partem, vix ullam collectam, ac orationem canonis pronuntiant; in quo peccant etiam ſuperiores qui ſcienter tantam irreverentiam non impediunt. Dixi *præſertim Canonis*, qui ſtrictius obligat, licet in hoc pariter levitas materiæ excuſare poſſit a mortali.

Nequit miniſter proprias preces addere in Miſſæ Sacrificio. Advertendum, non ſolum non debere Sacerdotem nihil omittere, rituſque omnes accurate obſervare in Miſſæ celebratione, ſed non poſſe inſuper ullas proprias preces præſcriptis in Miſſali addere; cum hoc quoque tum a Tridentino, tum a S. Pio V. vetitum ſit, nec eſſet excuſabilis, ut vult Suarez, ſi etiam indirecte pro ſua mera devotione, non animo ritum immutandi, hoc faceret.

Cæremoniæ in Sacrificio Miſſæ, decenter peragendæ ſunt. Inſuper non tantum ſatis eſt nullam omittere cæremoniam, ſed requiritur ut illis detur etiam gravitas, quam exigunt, eas decenter peragendo, ſine ulla præcipitatione, quæ eorum dignitatem contaminet, ſive in crucibus faciendis ſuper oblata ſive in populo ſalutando, ſive in genuflexionibus &c. ſed omnia agenda ſunt ea reverentia, quæ decorem afferat & devotionem conciliet apud fideles tanto myſterio; alias ad riſum potius & contemptum comoverentur: ita ut levius videri poteſt peccaſſe qui aliquam cæremoniam omitteret, quam qui feſtinanter, & indecore eas perageret. Meminerint Sacerdotes, ſe in Altari perſonam Chriſti gerere, cæremonias inſtitutas eſſe tamquam picturas, & ſigna latentium myſteriorum quæ ſanctitatem ſenſibiliter ſignis repræſentant. Ad quod valde confert etiam pronuntiare voces ſingulas affectu, ut ex celebrantis corde exire videantur, ſintque ſinceræ internæ devotionis interpretes, qua animatus ſacer Miniſter ad Altare accedere debet: diſtincte igitur ſyllabas ſingulas proferat, ac voce, quæ rerum repræſentandarum magnitudini correſpondeat, ut attentionem ſui ipſius movere poſſit, & adſtantium pietatem accendere. Quod plane contingere nequit in iis, qui tali involubilitate aut quaſi impatientia verba proferunt, ut non relinquatur libertas aſſurgendi ad cogitationem rei per eadem verba ſignificatæ. Hinc debilitantur animi vires, devotio extinguitur, fideles qui interſunt male ſentiunt de celebrante, dum eum in id intentum cernunt, ut quam celerrime abſolvat. Unde tales Miniſtri ſibi provocant vindices manus Dei, qui ait per Profetam: *Maledicam benedictionibus veſtris, quia non poſuiſtis ſuper cor.* Attendant igitur ſerio Sacerdotes, & omni ſtudio, ac ſolicitudine curent ſancta ſancte tractare. Ita Habertus, cum quo hactenus.

§. XIV.

De Cæremoniis, quæ Miſſam comitantur.

Ad tres claſſes reducun. tur Cæremoniæ quæ in miſſæ celebratione occurrunt, & in actio. ne conſiſtunt.

Cæremoniæ quæ in Miſſæ celebratione occurrunt, ed in actione conſiſtunt ad tres Claſſes reduci poſſunt. In prima enim includuntur actiones omnes præſcriptæ, ut ſacroſanctum hoc myſterium cum decore, modeſtia, ac reverentia perficiatur. Ad hoc multum confert quod Sacerdos accedat ad Altare oculis demiſſis, inceſſu gravi, pectus dum in Confeſſione profert verba *mea culpa* contundat. Ad illa verba in unitate *Spiritus Sancti Deus* manus iungat, elevet dum dicit *ſurſum corda* cum ſpectet ad decorem, & venuſtatem, ut actio verbis conformetur. Se ad populum convertat dum illud ſalutando monet his verbis *Dominus vobiſcum*, cum naturale ſit, ut ad eum convertamur, cum quo loquimur. Non autem converti debet cum hæc verba profert in præfatione, ac in hoſtiæ fractione, quia tunc maior eſſe debet attentio ad propoſita myſteria, ac dedecet ab his oculos avertere. In ſecunda claſſe ſunt actiones, quibus Sacerdos teſtatur ſuum erga Deum cultum, & reverentiam, cuiuſmodi ſunt corporis inclinationes, genuflexiones, oculorum, ac manuum elevatio in Cœlum; ad quod pariter tendit elevatio hoſtiæ poſt conſecrationem, ut populo adoretur, necnon coniunctio digitorum, quibus corpus Domini tetigit Sacerdos, ne ſi forſam his particula aliqua hæreat, diſpergatur. Item in ſignum reverentiæ oſculatur Sacerdos Altare, Miſſale, & fideles communicaturi accipiebant olim, & dabant ſibi invicem oſculum pacia, quod erat teſtimonium amoris, & benevolentiæ, de quo mentio fit in Liturgiis S. Cyrilli S. Chryſoſtomi in Ioannem. In tertia claſſe ſunt omnes actiones illæ, quæ proſcriptæ fuere ob moralem, aut myſticam ſignificationem, quales ſunt 1. translatio Miſſalis a dextera ad ſiniſtram, & e contra. 2. mixtio aquæ cum vino, quæ ſignificat coniunctionem populi cum Chriſto ex S. Cypriano Epiſt. 63. 3. ablutio digitorum in ſymbolum mundationia non digitorum, ſed a peccatorum ſordibua, ut ex S. Cyrillo *Catecbe.* 5. 4. extenſio manuum ſuper oblata in teſtimonium, ait Euſebius l. 1. *demonſtrat. Evangelic.* reatus noſtri in hoſtiam translati. 5. uſus frequens ſigni crucis; quia, ut ait S. Thomaa, conſecratio huius ſacramenti & fructus procedunt ex meritis Chriſti paſſionis. Significatio autem cuique cruci correſpondens exponitur a rubricarum interpretibus. Signo Crucis non benedicit Sacerdos oblata iam ſanctificata, ſed adſtantes commonet, virtutem crucis in hoc myſterio operari; maior enim, ait S. Thomas, non benedicitur a minori; & hic uſus ſigni crucis eſt antiquiſſimus, ut teſtantur omnes Liturgiæ. 6. thurificatio ad ſignificandum bonum Chriſti odorem. In Miſſa ſolemni miniſtri procedente Sacerdote ad Altare cum luminibus præcedunt. Fit denique fractio hoſtiæ quæ iuxta D. Thomam ſignificat diviſionem, quæ in paſſione facta eſt animæ a corpore. Nihil in his improbare poſſunt Novatores. Habertus & alii.

Porro tres cæremoniarum claſſes, quæ in Miſſa exercentur, ut paulo ante notavi, aliæ referuntur ad Deum, ut elevatio manuum, & oculorum, inclinatio corporis, & genuum flexio. Aliæ ad Sacrificium, ut elevatio hoſtiæ conſecrandæ coram Domino, quæ fit in offertorio, oſtenſio Sacramenti ad populum, fractio, & commixtio hoſtiæ conſecratæ cum ſanguine, nec non mixtio aquæ cum vino. Aliæ ad ipſum Sacerdotem, ut tunſio pectoris in ſignum pœnitentiæ in confeſſione, & ad preces Agnus Dei, lotio manuum ante conſecrationem in ſignum puritatis, qua miniſtrum tanti myſterii eſſe convenit. Aliæ ad populum, ut ſalutatio per illa verba *Dominus vobiſcum*, ipſiuſque dimiſſio in illis verbis *Ite miſſa eſt*. Aliæ ad ea, quæ in Miſſa leguntur, ad quæ etiam cantus, organa, muſica &c. referuntur.

Aliæ quoque adhibentur Cæremoniæ in Miſſæ celebratione communes, ut Aquæ benedictæ aperſio, quæ fit diebus Dominicis a Sacerdote ante initium Miſſæ ſolemnis ſuper populum, quæ aſperſio, ait Bellarminus, eſt quædam expiatio, & præparatio ad Sacrificium, quæ ſignificat puritatem, & munditiem tum animæ, tum corporis in iis neceſſariam, qui volunt Sacrificio intereſſe. Omnes igitur hæ cæremoniæ inſtitutæ ſunt ut excitent ad pietatem, & reverentiam tum Celebrantem, tum Fideles intereſſentes huic Sanctiſſimo ac tremendo myſterio. Unde in actionibus, & verbis, quibus conſtat Eccleſiæ Liturgia, nihil revera iuxta Concil. Trident. definitionem ſi ſincero oculo, ſecluſa nempe eorum mala affectione erga Romanam Eccleſiam rem inſpiciant, deprehendent Novatores erroneum vel ſuperfluum, ſicuti ex livore & malignitate calumniantur Habert.

§. XV.

§. XV.

De Miſſa, ipſiuſque partibus.

Quid nomen Miſſæ.

Miſſa non eſt vox hebraica a voce *Miſſach*, quæ ſignificat ſpontaneam oblationem, ſicut *Amen, Alleluia*, ſed Latina, ut contra aliquos ſentiunt permulti inſignes Scriptores, ut Bellarminus l. 1. *de Miſſa* cap. 1. Cardinalis Bona *de rebus Liturgicis* l. 1. cap. 1. P. Le-Brun Congregationis Gallicæ Presbyter. l. 1. cap. 1. aliique. Et revera ſi vocem Miſſæ ab hebræa Miſſach accepiſſent Apoſtoli, eam etiam Græci, & Syri retinuiſſent, non ſecus ac retinuere voces *Amen Alleluia Sabaoth* &c. Græci enim actionem Sacrificii Corporis, & Sanguinis Chriſti *Liturgiam*, ideſt publicum opus, ſeu Ierurgiam ſacrum opus, aut myſtagogiam ſummum miniſterium, ut Nazianzenus ſemper appellarunt, non Miſſam. Miſſæ nomen docet Gavantus eſſe antiquiſſimum; cum habeatur in pluribus Epiſtolis ſummorum Pontificum I.&II. Sæculi. Quidquid ſit autem quod Decretales Pontificum, qui præceſſerunt Syricium a pluribus eruditis viris habeantur ut ſuppoſititiæ, ſaltem fidem facient illa Pii ad Iuſtum Viennenſem Epiſcopum anno 166. & illa Cornelii ad Lupicinum Epiſcopum pariter Viennenſem an. 254. utraque quarum habetur communiter ut genuina, cum in his Sacrificium Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini *Miſſa* vocetur. Hanc vocem Miſſæ volunt aliqui (& huius ſententiæ eſt Gavantus) vulgo potius inductam fuiſſe ſumpto vocabulo a publicis illis verbis, quæ in fine dicuntur: *Ite miſſa eſt*; ac proinde ſignificat, ut alias diximus, miſſionem tum precum populi per Sacerdotem ad Deum ut vult Alcuinus *de divinis offic. cap. de celebr. Miſſæ*, tum Chriſti, qui miſſus eſt a Patre ad nos, ut Durand. *Ration.* l. 4. c. 1. tum eiuſdem Chriſti a nobis ad placationem inter Deum & hominem, ut Ruper. Abb. *de divi. offic.* c 20. tum catechumenorum, qui poſt Evangelium mittebantur a Diacono ut Rabanus; tum Fidelium, qui tamquam rei toto Sacrificio, veluti cuidam iudicio aſſiſtunt. Unde & Canon Miſſæ *actio* dicitur, ideſt cauſſa deducta in iudicium ab advocato Sacerdote; peracta vero cauſſa dimittuntur rei, Durandus l. cit. Dicta eſt etiam *Collectio*, & *Dominicum* ex Baronio an. 303. quia fideles colligebantur ad rem dominicam. Aliis etiam nominibus appellata fuit hæc ſacra actio a SS. Patribus. Vox igitur Latina *Miſſa* ſignificat verum incruentum Chriſti Domini Sacrificium ab eodem in ultima cœna inſtitutum per illa verba: *Hæc facite in meam commemorationem*; & offertur Deo per legitimum miniſtrum certis ritibus, & cæremoniis, vel ad delenda peccata, vel ad gratias agendas pro beneficiis, vel ad opem invocandam, vel ad ſupremum Dei dominium profitendum, in quibus propria ratio Sacrificii conſiſtit.

Qui, & quando primam miſſam celebraverit.

Prima Miſſa poſt Chriſti Domini reſurrectionem communius cenſent Scriptores, quidquid alii in contrarium ſentiant, quod celebrata fuit a D. Petro Hieroſolymis in cœnaculo Sion die Pentecoſtes poſt acceptum Spiritum Sanctum, ideſt poſtquam ad tam excellens Sacrificium Apoſtoli diſpoſiti fuere. Et equidem nonniſi die Pentecoſtes, quando lex Evangelica promulgata fuit decebat novum offerri Sacrificium, & minime ante, quando nondum novum Sacerdotium translatum erat. Quocirca non veriſimilis eſt eorum opinio, qui primam novi Sacrificii oblationem tribuunt D. Iacobo; ſed ut docet Pamelius Tomo primo *Liturgiæ Eccleſiæ Latinæ*, Petrus ordinem præſcripſit, Iacobus evulgavit. Et de Petri prima celebratione abſolute docent Clemens Epiſt. 2. Iſidorus l. 1. *de offic.* cap. 1. Nemini quidem (advertit S. Leo ſerm. 3.) hæc prærogativa convenientius attribui poteſt, quam Petro conſtituto a Domino aliorum Apoſtolorum Principe.

Incertum eſt quo ritu, qua veſte ac idiomate primam miſſam D. Petrus celebraverit.

Licet autem verum ſit præcipuos Miſſæ ritus pro maxima ſua parte derivatos eſſe ab Apoſtolica traditione, & doctrina ut vult Grotius cum aliis; incertum tamen eſt, quo ritu, veſtes, idiomate primam Miſſam S. Petrus celebraverit & cum ipſo poſtea cæteri Apoſtoli illis naſcentis Eccleſiæ primordiis. Cenſent ſuper hoc Scriptores, initio ſola dominica oratione & verbis conſecrationis Apoſtolos Euchariſticam victimam obtuliſſe, & identidem creſcente Fidelium numero ac devotione ipſos Apoſtolos adieciſſe ſacrarum Scripturarum lectionem, preces, cæremonias; & ut euchariſtici Sacrificii dignitas clarius eluceſceret, & ut tam auguſto Sacrificio devotionem conciliarent, non ſemper eamdem formulam ſervaſſe, ſed longiorem, vel breviorem pro temporum conditione, nempe breviorem quando periculum imminebat ne a perſecutionibus inter litandum deprehenderenter, prolixiorem quando tale periculum abeſſet.

Quoad veſtem primæ Miſſæ, quæ cele-

brata fuit in Cœnaculo a D. Petro, licet non ſolum credibile ſit; immo pro certo tenendum, ut vult Cardin. Bona cum aliis hic relatis in cit. obſervat. ſuper Gavantum, Apoſtolos adhibuiſſe in Miſſæ Sacrificio ſacras veſtes, ſumpto a lege huiuſcemodi veſtium uſu, & hoc D. Petrum tradidiſſe; veriſimile tamen eſt in illa circumſtantiarum anguſtia celebraſſe in vulgari veſte, qua indutus erat, ſicuti iiſdem veſtibus, & non aliis Chriſtus Euchariſticum myſterium inſtituerat: immo quod D. Petrus, & alii Apoſtoli non tam cito ſingularibus indumentis, ſed propria vulgari ſacrum myſterium celebrarint, valde credibile eſt, poſtea vero cum precibus ac cæremoniis, ſacram quoque veſtem in Sacrificii celebratione adhibuerint ad conciliandam auguſtiſſimo Sacrificio venerationem & pietatem. Et talem ritum ſingularium veſtium in hac ſacra actione & D. Petrus, & alii Apoſtoli ſucceſſoribus præſcripſere: qui uſus ſtatutus legitur etiam a S. Stephano I. ut notat cit. Card. Bona l. 1. cap. 5.

De lingua qua Apoſtoli celebrarint.

Circa vero linguam, qua Apoſtoli celebrarunt, ſapienter notat P. Martene l. 1. *de Antiq. Eccleſ. Riti.* art. 2. eos, eorumque ſucceſſores celebraſſe ſine ulla reſtrictione ad aliquas linguas particulares, ſed ea, quæ in ſingulis regionibus erat communis, & vernacula; cum revera, ut idem obſervat ex pluribus exemplis, varia idiomata adhibita fuerint in ſacri myſterii celebratione, & multo poſt ſolummodo ſtatutum fuerit, ut tribus idiomatibus iuxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam; ideſt Hebraica, Græca, Latina Miſſa celebraretur; & non niſi ſpeciali privilegio ab hac lege aliquæ Nationes diſpenſatæ fuere, ut ſæculo 9. permiſit Ioann. 8. Sclavis tum ad fidem converſis, ut in ſuo idiomate ſacra peragerent.

De pluribus generibus Miſſarum recenſitis a Scriptoribus.

Plurima a Scriptoribus recenſentur Miſſarum genera ex diverſitate auctorum, & Nationum, præſertim occidentalium, qui eaſdem liturgias inſtituerunt aut frequentarunt. Huiuſmodi ſunt Miſſa Romana, quæ inſtituta dicitur a S. Petro, & quæ hodie eſt in uſu apud fere omnes occidentales Eccleſias. Verum ut notat P. Mabillonius l. 1. cap. 2. *de Liturgia Gallicana* n. 4. non perfecta fuit ſicut hodie habetur a ſolo D. Petro; ſed poſt ipſum amplificata fuit a Gelaſio; & Gregorius Magnus ordinem Gelaſianum correxit, & in meliorem formam, ſicuti nunc eſt, reduxit. Miſſa, ſeu Liturgia Ambroſiana dicta etiam Mediolanenſis inſtituta a S. Ambroſio, ut vult Strabo, vel a S. Barnaba Apoſtolo, cuius ritus a S. Ambroſio fuit illuſtratus, amplificatus, & in meliorem formam redactus: idcirco poſt eius mortem Ambroſiana vocari cœpit, ut ſentire videtur etiam P. Le-Brun. Miſſa, ſeu Liturgia Gallicana, quæ uſitata fuit ante Pipinum & Carolum Magnum: Nam Carolus M. ex quo recepit ab Hadriano Papa I. Sacramentarium S. Gregorii ab Eccleſia Romana adhibitum, & Capitulare edidit, iuſſit ut ordine Romano in Gallia divinum Sacrificium impoſterum celebraretur. Miſſa Mozarabica ſeu Morabum, quæ fuit in uſu apud Hiſpanos, ſic dicta ex quo ſæculo 8. Arabes pene omnia illa Regna occuparunt, ideſt Chriſtiani mixti ſunt Arabis, & corrupto vocabulo Mozarabes vocati, ut vult Baronius ad ann. 1065. Huius Liturgiæ Mozarabicæ, ſeu Hiſpanicæ ritum volunt Scriptores inſtituiſſe, vel ſaltem amplificaſſe Iſidorum Hiſpalenſem. Officium Mozarabicum viguit in Hiſpania, & Gallia Narbonenſi, donec Alexandri II. auctoritate abrogari cœpit, & eius loco Romanum ſubrogari; univerſim tamen non obtinuit, niſi circa tempora Urbani II. ideſt circa annum 1088. Verum Cardinalis Ximenes correcto Miſſali Mozarabico inſtituit Collegium Sacerdotum, qui in 4. Paræciis, & in Sacello a præfato Cardinali in maiori Toletana Eccleſia conſtructo quotidie officium divinum ac Miſſam, ſicuti nunc etiam fit, ritu Mozarabico celebrarent. Hæ ſunt 4. Liturgiæ, quæ in Eccleſia occidentali frequentatæ fuere, & excepta Gallicana, aliæ, ut Ambroſiana ſeu Mediolanenſis, Mozarabica in 4. Paræciis Hiſpaniæ, & in Sacello Toletano, & Romana ubique adhuc frequentantur. Affricana Liturgia aliquando in uſu fuit in Affrica; Prioribus tamen ſæculis Eccleſia Affricana conveniebat cum Romana in Sacrificii ritu. Miſſa Hibernica olim uſitata fuit apud Hibernos, & Britones: huius tamen ritus qualis fuerit nondum compertum eſt. Miſſa Clementina ſeu S. Clementis eſt illa, quæ invenitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis, & quæ Clementis Romani Pontificis, & Apoſtolorum diſcipuli nomen præfefert. Miſſa Dionyſiana illa eſt, quam Dionyſius Areopagita tradit cap. 3. *Eccleſiaſtic. Hierarch.* quæ quidem Liturgia tamquam Apoſtolica cenſetur. Cæterum nunc Romana, ſeu Gregoriana apud omnes occidentales nationes eſt in uſu. Diſcrepant quidem PP. Dominicani, Chartuſiani, & Carmelitæ; ſed adeo in paucis, ut diſtinctæ Liturgiæ appellandæ non ſint.

Gene-

Digitized by Google

Antiqua diviſio Miſſæ Cathecumenorum, & Fidelium.

Generaliter tamen apud veteres Miſſa diſtinguebatur in Miſſam Catechumenorum, & in Miſſam Fidelium. Miſſa Catechumenorum apud Latinos conſtat his ritibus omnibus, qui peraguntur ab Introitu ad offertorium uſque: Nam his peractis dimittebantur Catechumeni, & Pœnitentes; *poſt ſermonem* (inquit S. Auguſt.) *fit Miſſa Catechumenorum*. Sermo autem habebatur ad populum ante offertorium: ſic habetur ex Concilio Valentiniano Hiſpaniæ celebrato. Foras mittebantur Catechumeni cum Pœnitentibus a Diacono elata voce ita iisdem indicente: *Procedite exite Catechumeni*, *exite Pœnitentes*: Dimittebantur primi; *quia ſacramentis Altaris adeſſe non poſſunt*, *qui nondum regenerati noſcuntur* ait Amalarius l. 3. *de divinis offic.* cap. 36. dimittebantur ſecundi, quia donec præſcripta Pœnitentiæ ſtudia, quæ eos a Sacrificio excludebant, compleviſſent, ſacrificio intereſſe non poterant; ſicuti a SS. Canonibus pro utriſque eorum ſtatutum erat, ut notat S. Cæſarius Arelatenſis. Ab hac Miſſa neminem SS. Canones excludebant, ſive Gentiles eſſent, ſive Iudæi, ſive Hæretici, ſive Pœnitentes, ſive Excommunicati ut conſtat ex Concil. Carthagin. 4. can. 48. Huiuſce ſpecialis partis Miſſæ, non ſecus ac alterius Fidelium ſoli Epiſcopi & Presbyteri erant miniſtri, minime vero Diaconi, utpote qui non poterant in hac parte Miſſæ, ſicuti fieri ſolebat, (dum erat ſolum officium Epiſcoporum, & Presbyterorum) manus imponere ſuper Catechumenos, preceſque quæ manuum impoſitionem comitabantur ſuper eos recitare. Hinc quando de tali munere agitur, numquam canones Diaconorum, ſed ſolius Epiſcopi, & Presbyteri meminere. Hæc dimiſſio ad offertorium quæ ſolemniter fiebat a Diacono Catechumenorum, ac Pœnitentium deſiit in Eccleſia occidentali circa annum 700. Apud Græcos vero Miſſa Catechumenorum deſinebat, ſicuti nunc deſinit, citius quam apud Latinos; quia Græci longas preces ante offertorium recitare conſueverunt, quæ nunc ad duas tantum redactæ ſunt; quibus recitatis incipit Hymnus Cherubicus, ſcilicet *Sanctus* &c. qui apud Latinos recitatur poſt præfationem: tum ſolemni pompa ex protheſi ideſt a parvulo Altari Sacerdos cum Diacono, & Clero ad Altare maius ſacra dona proferunt, & nudata ſuper Altare Deo offerunt. Ritus dimittendi Catechumenos & Pœnitentes ad offertorium apud Græcos adhuc perſeverat.

Miſſa vero Fidelium ab offertorio uſque ad ultimam benedictionem conſtituta eſt ut tradit Amalarius cit. l. 3. *de divinis offic.* ideſt ab offertorio uſque ad *Ite Miſſa eſt*. Et hoc conformiter veterum ſcriptorum communi traditioni. Advertendum tamen, quod quamvis prima Liturgiæ pars Miſſa appelletur Catechumenorum, debuerunt tamen Fideles feſtivis diebus illi etiam præſentes ſe ſiſtere: quia utraque pars integram Miſſam conſtituit. Ita etiam præcepit Concil. Agatenſe can. 47.

§. XVI

De partibus omnibus Miſſæ integræ, ideſt tam Catechumenorum, quam Fidelium.

Miſſa dividi ſolet in quatuor partes.

Nunc reſtat breviſſime percurrere ſigillatim partes, ex quibus Miſſa coaleſcit, quatenus ſcilicet complectitur Miſſam tum Catechumenorum, tum Fidelium. Miſſa dividi ſolet in quatuor partes 1. ab initio uſque ad offertorium, & hæc eſt ea pars, de qua ſatis iam antea diximus appellari Miſſam Catechumenorum; quia huic Catechumeni intereſſe poterant: 2. ab offertorio uſque ad conſecrationem: 3. a conſecratione uſque ad communionem: 4. a communione uſque ad finem.

Quare non dicatur Pſal. Iudica me Deus in Miſſis Paſſionis, & Defunctorum.

Incipit prima pars Miſſæ a Pſalmo; *Iudica me Deus*, quæ Pſalmi recitatio eſt antiquior, ait eruditus P. Le-Brum, quam ab eruditis cenſetur. Non dicitur hic Pſalmus in Miſſis defunctorum, & tempore paſſionis ob illa verba, notat Tourneleius; *quare triſtis es anima mea?* quia cum lætitiam ſignificent, qua affici debet Sacerdos quando ad Altare accedit, videtur non convenire Miſſis defunctorum, & tempori paſſionis. Poſt huius Pſalmi recitationem, quia huius myſterii ſanctitas exigit, ut cum magna humilitate, ac conſcientiæ puritate ad illud accedat Sacerdos, ut gratia neceſſaria ad digne celebrandum ei concedatur, facit confeſſionem ſuorum peccatorum, non ſolum Deo a quo ſolo eorumdem remiſſionem, & ſanctificantem gratiam expectare poteſt; ſed etiam B. V. aliiſque Sanctis, ut eam ſua interceſſione ipſi impetrent. Auctorem huius confeſſionis, alii volunt eſſe Damaſum, alii Pontianum Damaſo antiquiorem. Similis Confeſſio reperitur in Liturgia S. Iacobi. Præmiſſa confeſſione aſcendit Altare, recitat, vel canitur a Choro Introitus ex vetuſta conſuetudine, qua ante Sacrificium decantabantur Pſalmi Davidis, quibus per Horas

Digitized by Google

De Introitu & quare ita dicatur.

ras canonicas diſtributis, ſelecti fuere verſiculi idonei ad excitandam devotionem, ut loco Pſalmorum recitarentur; unde Introitus, qui a Pſalmis non ſunt deprompti, a pertractantibus res Liturgicas dicuntur *irregulares*. Hinc Introitus conſtat ex Antiphona ab aliquo Pſalmo deſumpta, & Gloria Patri &c. quæ clauſula dicitur in fine cuiuſque Pſalmi. *Introitus* dicitur, vel quia initium eſt Miſſæ, vel quia canitur a Choro dum Sacerdos Altare aſcendit, ideſt in Introitu Sacerdotis ad Altare. Introitu ſignificantur oracula Prophetarum de Chriſto, vota Patrum, atque ipſe Salvatoris adventus; ac ideo dum ſolemniter hoc ſacrum myſterium peragitur, cantari incipit, priuſquam Sacerdos Chriſti typum gerens ad aram accedat.

De Kyrie eleiſon inſtitutione; & hymni Apoſtolici.

Introitum ſequitur *Kyrie eleiſon* non ex inſtituto S. Gregorii, ut quidam dixerunt, ſed ex vetuſtiore conſuetudine, de qua ante Gregorii tempora loquitur Concil. Valenſe celebratum anno 529. Hæc ſunt verba Græca, quæ idem important ac *Domine miſerere*. Licet olim non eſſet definitus his numerus, & nunc etiam protrahatur in Miſſis Pontificis, ut notat P. Berti, donec perdurat reverentia Cardinalium Pontifici exhibenda; novies tamen repetitur *Kyrie eleiſon*, ut a tribus SS. Trinitatis perſonis imploretur miſericordia adverſus triplicem miſeriam ignorantiæ, culpæ, & pœnæ iuxta D. Thom. q. 83. art. 4.

Poſt Kyrie Eleiſon ſuccedit Hymnus Angelicus. Hunc Hymnum alii attribuunt Teleſphoro, alii Symaco, alii Hilario Pictavorum Epiſcopo; alii adſcribunt Apoſtolis quia fere integer extat l. 7. *Apoſtolicar. Conſtitut.* cap. 47. Toletanum vero Concilium 4. anno 633. exceptis illis verbis *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (qui Hymnus dicitur Angelicus quia illa verba cecinerunt Angeli in Chriſti Nativitate) reliqua quæ ibi ſequuntur, dicit, Eccleſiaſticos DD. compoſuiſſe.

De cæremonia ſalutandi populum per verba Dominus vobiſcum.

Orationi quæ ſequitur poſt Hymnum Angelicum præmittitur *Dominus vobiſcum*, quæ eſt populi ſalutatio: Epiſcopi vero dicere ſolent *Pax vobis*, & ad utrumque reſpondetur: *Et cum ſpiritu tuo*. Hæc cæremonia ſalutandi populum in Miſſa eſt antiquiſſima, ut advertit Bellarminus ex antiquis Liturgiis Iacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, aliorumque, & ſumpta dicitur ex Ritu Hebræorum, qui ſalutantes dicebant *Dominus tecum*.

Oratio quare dicitur etiam collecta.

Oratio dirigitur ad Patrem & concluditur per Filium, per quem acceſſum habemus ad Patrem. Sic ſtatuit Concil. 3. Carthag. Dicitur autem *Collecta*, quia nomine totius populi in unum collecti funditur, ac colligit ſingulorum vota, & attentionem. Unde Sacerdos præmittit *Oremus*, & in fine populus ſcilicet Miniſter illius nomine reſpondet, *Amen*, ideſt *fiat*. Huius cæremoniæ meminerunt Iuſtinus *Apologia* II. D. Hieronymus Præfatio 2. in Epiſt. ad Galat.

De Epiſtola & Graduali.

Poſt Collectam, quæ aliquando alias ſubſequentes habet, recitatur Epiſtola cum Graduali *Alleluia*, vel Tractu: olim quippe factam fuiſſe in Miſſa lectionem Scripturarum ſanctarum clare colligitur ex Iuſtino *Apolog.* 2. cap. 5. Tertull. *Apologet.* cap. 39. & Aucto. *Conſtit. Apoſtolica.* l. 2. cap. 5. Scribunt Micrologus, Durandus, Marrene, munus hoc olim demandatum fuiſſe Lectori, & Can. 4. Concil. Rhemenſ. ann. 813. habemus, Subdiaconi miniſterium eſſe Apoſtolum legere; ſed difficultas ſolvitur ex cit. cap. 57. Conſtitut. Apoſtolic. & ex aliis, unde habemus, olim lectionem propheticam præiviſſe lectioni epiſtolarum D. Pauli; lectio Prophetiæ fiebat per Lectorem, ſeu per minores Clericos, lectio Paulinæ Epiſtolæ per Subdiaconum, ſecundum præſcriptum canonis Concil. Rhemenſ. & ſervatur hodienum talis conſuetudo, quando lectio præmittitur. Graduale nomen accepit ex quo caneretur dum Diaconus per gradus in Ambonem lecturus Evangelium conſcenderet.

Quid Alleluia & quare prætermiſſum diebus ieiunii.

Alleluia vox quæ idem ſonat, ac *laudate Deum*, ſignum eſt tam laudis, quam exultationis; hinc ieiunorum tempore prætermittitur: ſic ſancivit Conc. Toletan. 4. immo teſtatur D. Auguſtinus Epiſt. 109. nunc 55. quod ſuo tempore non decantabatur, niſi diebus Dominicis in ſignum lætitiæ Reſurrectionis Chriſti, & ſingulis diebus a Paſchate, uſque ad Pentecoſten. Unde reprehenſus fuit S. Gregorius, qui iuſſit ad Miſſas cani *Alleluia* in omnibus feſtis, exceptis his quæ occurrunt inter Septuageſimam, & Paſcha, cui reprehenſioni reſpondet Epiſt. l. 7. Epiſt. 63. illum uſum a ſe non incepiſſe, ſed introductum fuiſſe tempore Damaſi. Loco *Alleluia* tempore, quo non eſt dicendum, Tractus ſupponitur, qui Tractus iuxta Innocenti. III. & Alcuinum ſignificat gemitum Eccleſiæ. Inde ſortitus eſt nomen *Tractus*, quod tractim, & graviori voce canatur.

Quid Tractus pro & eius ſignificatio.

In ſolemnioribus diebus Paſchæ & Pentecoſtes canitur *ſequentia* ſeu proſa ſcilicet verſus quidam rithmici. Poſt Epiſtolam Graduale cum Alleluja vel Tractum, ex antiquiſſi-

Google

quiſſimo uſu Eccleſiæ, immo ex primæva inſtitutione legitur Evangelium ut conſtat ex Concil. Laodiceno, Carthagin. 4. Arauſicano, aliiſve Eccleſiaſticis monumentis collectis a Card. Bona & Alcuino, & præcipue ex Liturgiis, quarum nulla habetur, quæ hanc lectionem non præſcribat. Et equidem quid Chriſtiano magis antiquius, & acceptum eſſe debet, quam ut propenſius aures porrigat verbis & geſtis Chriſti? Obſervarunt laudati Bona, & Alcuinus, Evangelium recitari in ſiniſtra, & Aquilonem verſus, ad commoſtrandum quod lex Evangelii ſplenduerit Gentibus, non obſtante quocumque Diaboli conatu.

[Qua parte recitetur Evangelium.]

Diaconus antequam ad decantandum Evangelium accedat benedictionem petit a Sacerdote ad digne Evangelium annuntiandum, atque populum excitat per iſta verba *ſequentia S. Evangelii ſecundum* &c. populus autem reſpondet, ideſt miniſter eius nomine, ſive Chorus in Miſſa ſolemni, *gloria tibi Domine*, quæ cæremonia legitur in Miſſa S. Chryſoſtomi, & apud Amalarium l. *de offic. Miſſæ* cap. 18. & Alcuinum l. *de divinis offic.* Poſt lectionem Evangelii Sacerdos illud deoſculatur in ſignum reverentiæ erga ea, quæ lecta ſunt. Non oſculatur tamen in Miſſis Defunctorum, neque coram Papa, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis in ſuis diœceſibus, Legatis Sedis Apoſtolicæ, Cardinalibus. His enim oſculandum defertur. Olim oſculandum deſerebatur Principibus, Clero, & cuivis etiam de populo; verum Honorius II. vetuit ſub pœna excommunicationis, ne cuiquam amplius deferatur, niſi ſacro oleo munctus fuerit. Evangelium audit populus ſtando, ut ſignificet ſe paratum eſſe ad ea omnia perficienda mandata, quæ leguntur in Evangelio. Olim dum legebatur Evangelium, qui baculum habebant, in ſignum reverentiæ deponebant. Hodie vero Religioſi Ordinum militarium eo tempore vel manum gladio admovent, vel etiam e vagina illum educunt, ut declarent ſe paratos eſſe ad ſanguinem pro Evangelii defenſione fundendum. Poſt Evangelium ſemper mos fuit ut ſermo habeatur ad populum feſtis diebus: & id derivatum eſt ab Hebræis, qui in more habebant poſt lectionem Legis, & Prophetarum ſermonem facere ad populum. Hoc peracto antiquitus dimittebantur Catechumeni, energumeni & publici Pœnitentes.

[Poſt Evangelium ſermo habetur ad populum feſtis diebus.]

[Poſt Evangelium recitatur,] Poſt Evangelium ſequitur recitatio, ſeu decantatio Symboli, & eſt quoddam ſignum profeſſionis fidei; & merito notat Bellarminus, recitatur poſt Evangelium, quia fides eſt ex auditu verbi Dei. *Fides* (ait Apoſtol. Rom. 10.) *ex auditu*. Symbolum quadruplex eſt, ideſt quadrupliciter vulgo diſtinguitur: nempe Apoſtolicum quod ab Apoſtolis; Nicænum quod a Concilio Generali. I. anno 325. Conſtantinopolitanum quod a Concilio Conſtantinopolitano Generali II. anno 381. Athanaſianum, quod a S. Athanaſio communius compoſitum creditur. Symbolo Apoſtolorum occaſione erroris Arii, qui negabat conſubſtantialitatem Filii cum Patre maioris expoſitionis gratia aliquid Nicæni PP. addidere: ſicuti in Concilio Conſtantinopolitano aliqua explicatio facta fuit Nicæno ob errorem Macedonii, qui negabat Spiritum Sanctum tertiam Perſonam Trinitatis vere eſſe Deum: qui error occaſio fuit, quare Symbolum in Miſſa recitaretur, cum prioribus ſæculis ante quintum nullibi legatur morem fuiſſe Symbolum inter Miſſarum ſolemnia recitari. Timotheus quippe Epiſcopus Conſtantinopolitanus primus fuit, qui iuſſit talem ritum in Oriente, qui paulo poſt in uſum tranſiit etiam in Occidente. Prius recitabatur Nicænum, poſtea iuſſum fuit recitari Conſtantinopolitanum a Concilio Toletano 3. cap. 2. anno 589. in Hiſpaniarum Eccleſiis; & hic ritus acceptus fuit ab omnibus Eccleſiis; & cum mos eſſet ſolummodo idem Symbolum recitare, ex conceſſione Benedicti VIII. facta votis Henrici Imperatoris, ut habemus ex Lambertino, cantari cœpit. Genuflectitur ad illa Symboli verba *& Incarnatus eſt* &c. ut indicetur, quæ Chriſto pro nobis homini facto, crucique affixo adoratio debeatur. Symbolum Apoſtolicum, ut iam diximus, ab Apoſtolis compoſitum fuit tamquam ſignum, teſſera, ſeu ſummarium articulorum Fide credendorum, & creditur hoc Symbolum litteris Apoſtolos non conſignaſſe, ne Infidelibus notum periculo deriſionis, & contemptus exponeretur. Athanaſius poſtea, Baſilius &c. reddita Eccleſia pace ſub M. Conſtantini Imperio, quando nihil plus Eccleſia a Iudæis, & Gentilibus ſibi timebat, litteris Symbolum prodiderunt. Nicænum Symbolum Oſius Epiſcopus Cordubenſis vir magnæ auctoritatis in eo Concilio, iuſſu aliorum Patrum compoſuit: Conſtantinopolitanum S. Gregorius Nazianzenus probante Concilio. Ad illa verba *venturi ſæculi* Sacerdos ſignat ſe ſigno Crucis, ut totius Fidei profeſſio ſigillo Crucis quodammodo obſignetur.

[ſeu decantatur Symbolum quod eſt ſignum profeſſionis fidei.]

[Unde cœpit ritus recitandi Symbolum in Miſſa.]

§. XVII.

§. XVII.

De ſecunda parte Miſſæ, quæ incipit ab Offertorio.

De offertorio a quo incipit ſecunda pars Miſſæ.

Offertorium eſt altera pars Miſſæ, quæ ſequitur poſt partem alteram dictam Catechumenorum, & ita iam diximus fuiſſe vocatam; quia huic intereſſebant Catechumeni, Pœnitentes, & excommunicati ad audiendas inſtructiones, quæ in hac parte Miſſæ fiebant, & huic parti adeſſe debebant etiam Fideles, ideſt qui non erant in prioribus ſtadiis pœnitentiæ: & pro offertorio intelliguntur ea omnia, quæ peracta ſunt ab illis verbis *Dominus vobiſcum* poſt Symbolum, uſque ad clauſulam ſecretæ orationis, quando Sacerdos dicit elata voce *per omnia ſæcula ſæculorum* ante Præfationem. Hæc pars Miſſæ nomen traxit Offertorii 1. a munerum oblatione, quæ olim poſt Evangelii lectionem, & ſermonem ad populum, (tunc enim non recitabatur adhuc Symbolum) a populo fiebat, panis ſcilicet, & vini. Has oblationes Fidelium comitabatur cantus alicuius Pſalmi cuius unus, aut alter verſiculus, qui in hodierna Liturgia ſupereſt, dicitur *Offertorium*. 2. nomine Offertorii intelligitur oblatio tum panis, tum vini, quæ ex populi muneribus ſelecta eſſent ad conſecrationem. Illa autem oblatio fiebat a Sacerdote, & nunc etiam fit per orationem, *Suſcipe Sancte Pater* &c. De oblatione Fidelium ad Offertorium habetur ex S. Cypriano ſerm. *de opere & eleemoſ.* ex S. Auguſtino Serm. *de Temp.* ex Conc. Matiſcocenſi II. habito anno 585. & alibi. A tali oblatione excluſi erant excommunicati pœnitentes Peccatores, qui diſſidiis laborabant, ut conſtat ex veteribus Patrum, & Conciliorum monumentis.

Ex quo hæc Miſſæ pars nomen habuit Offertorii. Quid fiebat in Offertorio a fidelibus.

Varii ritus olim in offertorio.

Variis ritus in hac oblatione ſervabantur. Nempe 1. ubi Cantores inceperant Pſalmum, viri, deinde mulieres panem, & vinum offerebant. 2. Sacerdotes, & Diaconi offerebant, ſed ſolum panem, & Cantores ſolam aquam. 3. Panes datos Sacerdoti ſacrificanti Subdiaconus reponebat in ſyndone, quam duo Accolyhi ſuſtinebant. 4. Subdiaconus Archidiacono porrigebat panes, quos ille imponebat Altari, tum idem Archidiaconus infundebat Calici partem vini oblati, nec non aquam, quam Subdiaconus alter acceperat a Cantore primario. 5. ſelecta ex oblatis, quæ conſecrari debebant Archidiaconus dabat in manus Pontificis, qui ubi thus adoleviſſet, converſus ad populum, ut oraret ſecretam orationem ſuper illa oblata proferebat. Hæc omnia habentur ex Ordine Romano. Laici numquam permiſſi ſunt oblata offerre in Sanctuario. Uſus antiquus oblationum ad Euchariſtiam comparatus prorſus evanuit. Remanſit tamen aliquo modo, ſi abſque relatione ad Euchariſtiam conſideretur; quia loco panis, & vini ſucceſſit retributio nummorum Sacerdoti celebranti unde, ut iam diximus, ortum habuit onorarium, ſeu ſtipendium Miſſarum.

De cæremoniis in oblatione.

Quando in oratione oblationis panis, quæ fit in offertorio, dicitur oblatio *immaculata hoſtia*, referuntur hæc verba non ad panem tunc oblatum, ſed ad Chriſtum in quem convertendus eſt panis. In fine orationis recitatæ in oblatione fit ſignum crucis, cum rebus oblatis, ad ſignificandum oblata ſuper Crucem poni, ubi Chriſtus pro noſtra redemptione Patri ſe obtulit. Infunditur vino aliquid aquæ ex præcepto Eccleſiæ, non divino (qui ritus ex Patrum traditione eſt antiquiſſimus) ut advertatur, mundiſſime, ac ſtudioſe tractanda eſſe hæc divina myſteria, & ut ſignificetur iuxta D. Thom. p. 3. q. 74. art. 7. populus quem ſignat aqua, adunatus Chriſto, quem ſignificat vinum, & aqua quæ de eius latere profluxit. Sacerdos aquam tantum benedicit, & non vinum, quia hoc exprimit Chriſtum, qui nulla indiget benedictione; aqua populum, qui cum in hac vita liber non ſit omni prorſus culpa, indiget benedictione. Hæc vero benedictio non erat olim in uſu. Non benedicitur aqua in Miſſa Defunctorum; quia hoc loco aqua populum ſignificat Purgatorii, qui gratia & benedictione cœleſti fruitur. In oblatione Calicis Sacerdos dicit *offerimus*, quia olim proferebat hæc verba cum Diacono, qui vinum in Calicem infuderat, & ſanguinem tunc temporis populo miniſtrabat. Olim, ſicut nunc etiam in Eccleſia Græca, in Romana quoque vigebat mos collocandi hoſtiam ad latus Calicis: nunc ponitur ante, ideſt inter Calicem, & Sacerdotem. Poſt oblationem & Spiritus Sancti invocationem Sacerdos manus abluit Pſalmum recitando *Lavabo*; quia manus abluere ſordes detegere ſignificat. Recitat in fine Pſalmi verſiculum *Gloria Patri &c.* qui cum ſignificet lætitiam, omittitur in Miſſis defunctorum, & a Dominica Paſſionis uſque ad Sabbatum Sanctum, quia in utraque Miſſa luctuoſæ cæremoniæ continentur. Recitat poſt manuum ablutionem orationem, in qua mentio fit Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti, ut totum Chriſti Sacrificium exprima-

Quid ſignificet parum aquæ, quæ in oblatione infunditur in vinum.

Digitized by Google

primatur, quod Paſſione, Reſurrectione, &c. conſtat. Dictis poſtea vel unam, vel plures, ſecundum cuiuſque diei officii ritum, ſecretis orationibus recitat elata voce Præfationem, quam incipit concluſione orationum *Per omnia* &c. Hæc oratio dicitur *Præfatio*, quod Sacro præeat canoni, & ſit quædam præparatio ad Sacrificium. *Inlatio* dicitur a Mozarabibus, in Sacramentario Gallicano *Conteſtatio*, quod inſerat Sacerdos ex fidelium verbis, & conteſtetur vere & iuſtum eſſe Deo gratias agere. Hæc oratio dicitur Præfatio, quia etiam ſignificat proloquium, quo fideles, qui divinis adſunt myſteriis, excitentur, ac diſponantur ad canonem, conſecrationem, & communionem, ſcilicet ut animum ſurſum erigant ad tremendam Miſſæ actionem mox futuram conſecrationis Corporis Chriſti; hinc dicit *ſurſum corda*, & populus, ſeu per ipſum miniſter reſpondet ſe cor iam ad Deum elevatum habere. Finita Præfatione recitatur Canticum *Sanctus Sanctus &c.* quod deſumptum eſt partim ex hymno Angelorum audito ab Iſaia cap. 6. partim ex cantico Hebræorum, quod Chriſto cecinerunt, cum in die Palmarum intraret in Ieruſalem Matth. 20. Præfationum, quæ præter ordinariam variæ ſunt, applicatæ diebus ſolemnioribus, Nativitatis ſcilicet, Reſurrectionis Domini &c. B. M. Apoſtolorum, auctorem quidam volunt Gelaſium I. ſed iſtæ cum uſu cantici ſunt antiquiores, ut habetur in Liturgiis SS. Iacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, & apud S. Auguſtinum ſerm. 217. edit. Benedictinæ; ac proinde ſuſpicari poteſt eius inſtitutio, vel a SS. Apoſtolis, vel aliis qui eodem tempore floruere. Pulſatur campanula ad Hymnum Angelicum *Sanctus &c.* ut animi adſtantium ad devotionem excitentur: Sacerdos non convertitur ad populum dum eum ſalutat in Præfatione, vel quia cum dixit eidem ante Præfationem ut oraret per ea verba, *Orate Fratres*, quodammodo populum dimiſerit, vel quia ante Præfationem iuxta Liturgiam SS. Iacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, Sanctuarium claudebatur, & circum Altare velum pandebatur, ideoque opus non erat, ut in illa ſalutatione ſe ad populum converteret, quem iam videre non poterat.

De præfatione & quid ſignificet.

§. XVIII.

De Canone qui eſt tertia pars Miſſæ.

Quid nomen Canonis.

Canon ſecundum nominis ſignificatum idem importat, ac *regula*. Unde cum hic ſumatur pronorma, ad quam Sacrificium novi Teſtamenti celebrandum eſt, totum complectitur ritum, ac regulam Sacrificii peragendi; unde & antonomaſtice dicitur; *Actio*, & a Concilio Eboracenſi *ſecretum Miſſæ* appellatur.

De Auctore Canonis.

De Auctore Canonis loquitur Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 4. dum dicit: *Is enim conſtat tum ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum Traditione, ac SS. quoque Pontificum piis inſtitutionibus:* Quis autem omnium prior fuerit, qui formam aliquam celebrandi induxerit, collectis in unum Domini verbis, aliiſve notatis a Tridentino, difficile eſt ſtatuere. S. Iſidorus l. 1. *de officiis* cap. 15. credit, S. Petrum primum fuiſle, qui dederit aliquam formam celebrandi Sacrificium, additis verbis Domini certis precibus, & ritibus: ſubinde Pontifices preces diverſas adiunxere uſque ad Gregorium, qui fuit ultimus eorum, qui canoni aliquid addidere, ut vult Walfridus lib. *de obſervat. Eccleſias.* cap. 22. Unde licet perantiquus ſit canon, ſicuti tamen nunc extat apud nos, certum eſt ab initio Eccleſiæ non extitiſſe, cum identidem Pontifices aliquid adiunxerint præcipue uſque ad laudatum Gregorium.

De variis Orationibus quas complectitur Canon.

Canon Miſſæ complectitur orationes duplicis ordinis: aliæ præcedunt, aliæ ſubſequuntur conſecrationem: aliæ ſunt deprecatoriæ, aliæ in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Et hæ preces, paucis exceptis, cum toto canone recitantur voce ſubmiſſa. Et recte hoc feciſſe Eccleſiam non una ratio ſuadet: ſiquidem ſacra myſteria ſervare in occulto dignitatem ſuam ſcribit S. Baſilius *de Spiritu Sancto* cap. 27. quidquid impie calumniando obmurmurent Novatores; cum Chriſtus quoque offerens ſemetipſum Patri oraverit in ſilentio, ſeptem verbis, ideſt ſeptem ſententiis exceptis, quæ alta voce, ut teſtantur Evangeliſtæ, protulit.

Orat Sacerdos in Canone pro Papa &c.

Deprecatur Sacerdos in hac prima parte canonis pro Eccleſia univerſa, pro Papa, pro Epiſcopo, pro Imperatore in aliquibus locis, pro Rege, pro quibus ſacrificat, & pro Sacrificio intereſſentibus per illa verba, *& omnium circumſtantium pro quibus tibi offerimus*: dicit *offerimus*, non *offero* quia hac voce tum ſua vota complectitur, tum populi, qui cum ſit offerens ſimul cum ipſo Sacerdote hinc ſubiungit *vel tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*. Poſt applicationem Sacrificii, quæ fit per illa verba *Memento Domine*, recitatur oratio *Communicantes*, quod verbum ſignificat communionem, ac conſo-

latio-

Digitized by Google

lationem ſanctorum, qui regnant in cœlo cum Fidelibus in terra peregrinantibus, quos iiſdem ſanctis coniungit Eccleſia, in hac actione, ac illorum interceſſionem implorat; ut etiam per eorum merita divino protegamur auxilio: & per hoc nihil meritis Chriſti detrahitur quia quidquid Sancti poſſunt, hoc habent per merita Chriſti. Hæc oratio, ut habetur in antiquis Miſſalibus, olim dicebatur *Oratio ſuper Diptycha*, quæ Diptycha erant quædam tabulæ diviſæ in partres tres ita ſibi coniunctæ, ut complicari poſſent. In his inſcripta erant, in una ſcilicet nomina B. M. V. SS. Apoſtolorum, ac Martyrum;. in altera Fidelium qui viverent, & dignitate eminerent, vel de Eccleſia benemeriti, ut Pontifex, Epiſcopus, aliique primi ex clero: deinde Imperator, Magiſtratus, omniſque fidelium cœtus: in tertia Defunctorum nomina, qui in Fidelium communione deceſſiſſent; & in Miſſis privatis a Sacerdote, in ſolemnibus a Diacono, vel Subdiacono recitabantur nomina, quæ in Diptycis ſcripta erant. Hic ritus Diptychorum perduravit ad ſæculum II. poſtea inductus eſt mos ut Sacerdos morali oratione Deo commendet qui antea, Diptychorum recitatione, ſeu voce commendabantur.

De ritu iungendi & expandendi manus ſuper oblata.

Facta Sacrificii applicatione, & Sanctorum implorata interceſſione ultimam recitat ſacerdos orationem conſecrationi oblatarum præcedentem, quæ incipit: *Hanc igitur oblationem*, quam recitat manibus ſimul iunctis, & expenſis ſuper oblata, iuxta morem legis veteris, quo indicabatur Sacerdotem coniungi cum victima, ac cum ea conſecrari; quatuor petitiones continet hæc oratio, nempe 1. *ut Deus oblationem noſtram placatus accipiat* 2. *ut dies noſtros in ſua pace diſponat*. 3. *ut ab æterna damnatione nos eripiat*: 4. tandem, *ut in electorum ſuorum iubeat nos grege numerari*. His peractis fit a Sacerdote actio conſecrationis panis, & vini oblati, in corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

De actione conſecrationis.

Actio conſecrationis incipit ab illis verbis: *quam oblationem*: In hac oratione fiunt quinque Crucis ſigna, quæ quidam putant ſignificare, Chriſtum ſecundum carnem in quinque ſenſibus paſſum eſſe; in viſu cum ei facies velata eſt; in auditu cum eſt irriſus; in guſtu cum ſel & acetum ei propinatum eſt; in odoratu ex tetro corruptorum corporum odore, quando in Calvario monte cruci affixus eſt; in tactu quando eius manus, & pedes transfixi ſunt. Semel autem ducitur crux ſuper hoſtiam & calicem, vel ad duas Chriſti naturas ſignificandas, vel ad oſtendendum, Chriſtum paſſum eſſe in anima, & in corpore. Tandem per verba, quæ ſunt forma conſecrationis utramque ſpeciem conſecrat Sacerdos.

De recitatione orationis Dominicæ.

Poſt conſecrationem recitatis paucis precibus ſequitur recitatio orationis Dominicæ, quæ eſt omnium præſtantiſſima, utpote quæ formam præteſtumque a Chriſto Domino acceperit. Unde appellatur a Tertuliano *breviarium totius evangelii*; & hic ritus ſervatur etiam apud Græcos, cum hac ſola differentia, quod apud Latinos canitur hæc oratio a ſolo Sacerdote, & apud Græcos cum Sacerdote celebrante a toto etiam aſtante populo. Quadam veluti præfatiuncula diſponitur ad eam prænunciandam Sacerdos his verbis *Præceptis ſalutaribus moniti* &c. *Pater noſter* &c. Antiquiſſima eſt illa præfatiuncula, cuius meminit S. P. Hieronymus l. 3. contra Pelagianos, & fere integra reperitur apud S. Cyprianum l. *de Oratione*. Recitationem orationis Dominicæ habent in ſuis Liturgiis omnes Chriſtiani populi nationes ex Chriſti, & Apoſtolorum traditione.

Quid ſignificet fractio hoſtiæ.

Paulo poſt Dominicam orationem ſequitur fractio hoſtiæ in tres partes, quarum una, ut quidam cecinit, ſignificat, Chriſti carnem. 2. Sanctos Defunctos, 3. viventes, ſinguli quorum tincti ſunt Sanguine Chriſti. Hæc hoſtiæ fractio eſt antiquiſſima ut habetur ex Clemente Alexandrino l. 9. *Stromatum*, Gregorio Nazianzeno Epiſt. 240. ad Amphilochium, & in aliis. Poſt fractionem hoſtiæ una pars infunditur in Calice & commiſcetur cum vino conſecrato, & hoc ut ſicuti disiunctio utriuſque ſpeciei adumbrat mortem Chriſti, in qua ſanguis a corpore Chriſti fuit ſeparatus, ita per commixtionem corporis, & ſanguinis Chriſti ſignificetur, Chriſtum toto reſumpto ſanguine ſurrexiſſe a mortuis, non amplius moriturum. Sic Amalarius l. 3. *de Eccleſiaſ. offic.* cap. 31. Facta hoſtiæ confractione, & ſpecierum commixtione dicitur ter *Agnus Dei*, ex inſtitutione, ut fertur, Sergii I. Et apud Græcos hic ritus iam antea obtinuerat, ut oſtendunt antiquæ eorum Liturgiæ. Ea tamen verba, quæ dicuntur in tertio, *dona nobis pacem* loco *miſerere nobis*, quod dicitur in duobus prioribus, addita fuere poſterioribus temporibus ad ſchiſmata Eccleſiæ tollenda, quæ verba auctorem agnoſcunt Innocentium III. l. 5. *de myſt. Miſſæ* cap. 6. Hinc deſiderantur in veteribus Miſſalibus, nec recitantur in Baſilica Lateranenſi, ſed etiam in tertio A-

gnus.

gnus Dei dicitur *miſerere nobis* ut ſcribit Card. Bona l. 2. cap. 16. n. 5.

De oſculo pacis in Miſſa ſolemni, quod ſignificet.

Poſt Agnus Dei datur in Miſſa ſolemni oſculum pacis ex antiquo Eccleſiæ more, quando Fideles communicaturi in eodem ſacrificio ſecundum eorum temporum praxim præmittebant Euchariſtiæ communioni oſculum pacis, quo mutuam interſe charitatem obſignabant, ſuum in divina myſteria conſenſum teſtabantur, ac mutuam in Chriſto unionem ſignificabant, ut habetur ex Patribus, præcipue Iuſtino Martyre ad calcem alterius Apologiæ, Tertuliano, & aliis cit. hic a Iuvenino in ſuo comment. Hiſtor. *de Sacrament.* Oſculum pacis vult Albaſpineus inſtitutum fuiſſe a veteribus ad ſignificandum potius effectum Sacrificii, qui eſt unio Fidelium cum Chriſto, quam ad diſponendum populum ad communionem Euchariſticam. Verum mutata ſimplicitate priorum Fidelium in malitiam, neceſſe fuit, ut uſus oſculi pacis tolleretur, & eius loco ſucceſſit uſus Fidelibus, & etiam Clericis Sacrificio adſtantibus porrigendi tabellam, in qua picta eſſet, vel inſculpta Chriſti imago, qui ritus hodie apud populum fit ad offertorium, & apud clerum ſuo loco, ſecundum antiquum morem poſt primam orationem, quæ ſubſequitur Agnus Dei. Apud Orientales olim datum fuiſſe oſculum pacis ante conſecrationem habetur ex eorum Liturgiis. Aliæ autem preces, quæ fiunt poſtea a Sacerdote, ſunt diſpoſitiones ad proximam communionem. Facta a Sacerdote communione, ideſt ſumptione ſpecierum pro ſe conſecratarum, fiebat communio Fidelium. Hinc habetur in Miſſali quidam verſiculus alicuis Pſalmi, qui dicitur *communio*, & decantatur a Choro dum Sacerdos ſe communicat, qui verſiculus eſt veſtigium Pſalmorum, qui decantabantur donec perdurabat populi communio.

Poſt communionem recitatur una, aut plures collectæ ſecundum ritum cuiuſcumque diei, in gratiarum actionem beneficiorum, quæ per hoc Sacrificium conferuntur. Tandem facta a Sacerdote populi benedictione, eum dimittit per illa verba *Ite Miſſa eſt*, ideſt, ite quia Miſſa, completa eſt; nunc tamen finitur per recitationem Evangelii S. Ioannis.

Miſſa ſit conformis officio niſi gravis cauſſa exigat, & ritus permittat aliter facere.

Miſſa, niſi gravis cauſſa aliter exigat, debet eſſe conformis officio, tum quia reprobantur cap. *quidam de celebratione Miſſarum*, qui prætermiſſo ritu officii diei currentis, Miſſas, quas votivas vocant, frequentius celebrant, tum quia S. Congreg. prohibuit, ne in Feſtis ſolemnibus, & duplicibus Miſſæ votivæ dicantur. Dixi *niſi gravis cauſſa aliter exigat*, quia in exequiis præſente corpore Miſſa *de Requiem* ſeu de defunctis eſt celebranda; ſic quando Sacerdos ratione beneficii vel ſtipendii tenetur celebrare Miſſam de B. V. vel de Defunctis; non tamen in diebus Dominicis & feſtis duplicibus; quia in his etiam ſi fundator aliter diſpoſuiſſet, non eſſet attendendus, cum laicus, aut quævis alia privata perſona non poſſit velle, & præcipere, quod ritus Eccleſiæ immutetur; cum talis mutatio ad ſolam Eccleſiam pertineat, ac pro circumſtantiarum, locorum, & temporum diverſitate variare.

Olim poſt Miſſam fiebat Eulogiarum diſtributio.

Poſt Miſſam olim fiebat Eulogiarum diſtributio; ex pane enim oblato per fideles ad offertorium pro Miſſæ Sacrificio, qui ſupererat ex accepto pro conſecratione diſſectus in particulas benedicebatur, a Sacerdote, & in fine Miſſæ diſtribuebatur iis, qui ob aliquod impedimentum non potuerunt fieri participes communionis Euchariſticæ: & tum de Latinis, tum de Græcis, apud quos adhuc hic ritus perſeverat, teſtantur Balſamon, in can. 2. Concil. Antiocheni, Durandus, Bona, & alii. Et hæc erat veluti altera ſpecies communionis illorum temporum: & hæ particulæ panis benedicti dicebantur *Eulogiæ* vel *fermentum*, ad differentiam panis azymi. Et quia non licebat in quadrageſima ob ieiunium hunc panem benedictum diſtribuere, pro pane dicta eſt alia collecta ſupra populum, qui ritus adhuc ſervatur, ad hanc participationem populum invitando his verbis. *Humiliate capita veſtra Deo*. Fideles enim ſemper ſoliciti fuere, ut ſecum invicem unionem, & communicationem ſervarent (ait Cardin. Bona l. 2. cap. 20. n. 2.) vel Eulogiæ ſeu Antidora, quod loco Domini dabatur perceptionis; vel ſaltem mutuo orationum conſortio. In Dominicis vero quadrageſimæ, quia ieiunium non ſervatur, diſpenſabantur Eulogiæ, nec dicebatur oratio ſupra populum.

De Agapis.

Quid Agapæ & quando fiebant.

Agaparum nomine intelliguntur certa convivia, quæ in Eccleſia ſtatutis diebus fieri ſolebant ad mutuam fovendam charitatem, & ad pauperes refocillandos. Quod hæc convivia olim fuerint teſtatur Apoſtolus 1. Corinth. 11. ubi regulas præſcribit, quibus peragi debebant huiuſmodi convivia; vult nimirum, ut communiter ſervetur, quod Fideles ſeſe ad invicem expectent, una diſcumbant, ſtudeant frugalitatem. Et de uſu Agaparum teſtatur etiam S. Chryſoſtomus in cap.

11. 1.

Digitized by Google

11. 1. ad Corinth. D. P. Hieronymus, & alii. Hæ autem Agapæ cum fierent, poſt Euchariſtiæ communionem celebratæ fuere, aliquando mane, & ex laudatis PP. aliquando ſub veſperas, ut ex Tertuliano *in Apoleg.* cap. 9. Agaparum charitatis convivia perdurarunt etiam poſt 4. ſæculum; quando plurima exhibebantur huiuſmodi charitatis convivia, nonnullis tamen de uſu veteri immutatis. Primo enim vetitum fuit, ne fierent mox poſt communionem Euchariſticam. 2. ne celebrarentur in Baſilicis ob incommoda quæ contingere cœperant, ut ex Concil. Laodicenſi in Oriente, & Chartagin. 3. in Occidente an. 394. idemque innovatum fuit a Concil. Trullano; & hoc multo ante interdixerat S. Ambroſius in Eccleſia Mediolanenſi teſte S. Auguſtino l. 6. ſuarum Confeſſionum cap. 2.

Finis Tomi Quarti.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005677303

Digitized by Google

Digitized by Google